INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

I

17 août 1924

à A. Faure

< Heurtebise >

de son catalogue n° 18, 17 et 19

N° 3281

Ce Bool - 10

colis postal - 1.95

3 fr

Lucien Dorbon (Catal. 1923)

N° 479 - 12

Res Pfx IX 390 (1)

COMPENDIOSÆ INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

AD USUM SEMINARII TOLOSANI,

Jussu et auctoritate Illustrissimi et Eminentissimi D. D. Cardinalis

ANNÆ ANTONII JULII DE CLERMONT-TONNERRE,

ARCHIEPISCOPI TOLOSANI ET NARBONENSIS,

GALLIARUM PRIMATIS, ORDINIS REGII SANCTI SPIRITÛS COMMENDATORIS, DUCIS AC PARIS FRANCIÆ, REGNI MINISTRI REGISQUE A PRIVATO CONSILIO, DOCTORIS SORBONICI, etc., etc., etc.,

in lucem editæ.

TOMUS PRIMUS.

THEOLOGIÆ PROLEGOMENA, DE FIDE, DE DEO ET EJUS ATTRIBUTIS, DE RELIGIONE.



TOLOSÆ,
È TYPIS JOANNIS MATTHÆI DOULADOURE.

M. DCCC. XXVII.

(827)

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

Nous Anne-Antoine-Jules DE CLERMONT-TONNERRE, Cardinal-Prêtre de la Sainte Eglise Romaine, par la miséricorde de Dieu et l'autorité du Saint-Siége Apostolique, Archevêque de Toulouse et de Narbonne, Duc et Pair de France, etc., etc.,

Nous avons cédé et transporté, cédons et transportons par ces présentes au sieur *Jean-Matthieu Douladoure*, Imprimeur-Libraire, le droit de propriété qui nous appartient sur l'Ouvrage que nous avons fait composer et publier, ayant pour titre : *Compendiosæ Institutiones Theologicæ, ad usum Seminarii Tolosani*, etc., à la charge par ledit sieur de remplir les conditions stipulées dans l'acte de ce jour.

Donné à Toulouse, en notre Palais archiépiscopal, sous notre seing, le sceau de nos armes, et le contre-seing du Secrétaire de notre Archevêché, le 20 juin 1828.

† A.-J. Card. Duc DE CLERMONT-TONNERRE,
Arch. de Toulouse et Narbonne.

Par Son Eminence :

Cabrol,
Secrétaire genéral, Chan. honoraire.

COMPENDIOSÆ

THEOLOGICÆ

INSTITUTIONES.

PROOEMIUM.

Sacra hæc doctrina quam aggredimur, tota cœlestis dici potest, cùm sit increatæ Sapientiæ, in mente divinâ genitæ, veluti splendor aliquis, quo illustratus humanæ mentis oculus, eò facilè assurgit quò vel ipsa philosophia pertingere nequit. Enim verò Theologus, prævio cœlesti radio, perfectiones divinas propiùs et in se ipsis intuetur; augustissimæ Triadis recludit sacrarium; et alia arcana christianæ Religionis demiratur mysteria, summâque animi suavitate contemplatur. Nostra ergo Theologia, illa est è cœlo delapsa sapientia, de cujus felici adventu mirabatur olim Salomon, plurimùmque sibi gratulabatur quòd, unà cum tam opulentâ et liberali hospitâ, omnia ad se confluxissent bonorum genera: quibus et nunc abundè omnes cumulat suî cultores, dùm ipsis inexhaustos divinæ sapientiæ thesauros aperit, immensasque opes non ostendit modò, sed plenâ manu distribuit; ut quisque poterit experiri, si quas veritatis magistra tradit lectiones, assiduè simul et attentè audire et ponderare voluerit.

THEOLOGIÆ
PROLEGOMENA.

QUISQUIS ad aliquam disciplinam mentem appellit, is generalia ipsius principia primùm addiscat necesse est. Hinc à Philosophis prolegomena, à Rhetoribus præceptiones oratoriæ, à Jurisperitis institutiones accuratè traduntur. Cùm igitur ea methodus, quâ sub uno velut aspectu proponuntur omnia principia quibus aliqua scientia continetur, perutilis sit, hanc præcipuè à Theologis usurpari operæ pretium est. Hinc, priusquàm de rebus theologicis dicere incipiamus, nonnullas circa Theologiam quæstiones præambulas expendemus. Prima erit de nomine, naturâ et divisione Theologiæ; secunda de ejus proprietatibus; tertia de locis theologicis.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, naturâ et divisione Theologiæ.

THEOLOGIA, juxta vim nominis origine græci, *sermonem de Deo* significat. Quilibet autem de Deo sermo, vel in solo lumine naturali, vel in revelatione immediatâ, vel in discursu ex revelatione nititur. In primo casu dicitur Theologia naturalis; in secundo, vocatur Fides; in tertio, Theologia simpliciter nuncupatur. Et hæc sufficiant de nomine Theologiæ, cujus naturam modò inquirimus.

Natura rei per definitionem ejus agnoscitur: hæc est autem Theologiæ vulgaris definitio: *Scientia quæ discurrit ex principiis Fidei circa Deum, et ea quæ ad Deum aliquo modo pertinent.*

1.° Dicitur *scientia*, non quidem strictè, ad sensum Philosophorum, qui scientiæ nomine intelligunt cognitionem evidentem, ex principiis evidentibus ortam; sed latiori sensu, prout est certa et immobilis cognitio, deducta ex principiis omninò certis et inconcussis.

Additur 2.° *quæ discurrit ex principiis Fidei*, id est, conclusiones elicit ex propositionibus immediatè revelatis à Deo; quæ quidem voces exprimunt, quâ ratione Theologia à Fide et Metaphysicâ secernatur. Metaphysica enim Deum ex solo lumine naturali considerat; Fides autem non discurrit, sed inclinat ad assentiendum rebus à Deo revelatis, propter summam ipsius in dicendo veracitatem.

3.° Dicitur *circa Deum;* quibus verbis primum Theologiæ objectum designatur: ad Deum enim Theologia potissimùm attendit, cunctaque tractat in ordine ad divina attributa.

4.° Dicitur *et circa alia ad Deum aliquo modo pertinentia;* quæ secundarium et minùs præcipuum Theologiæ objectum exprimunt. Theologia enim non solùm de Deo agit, sed etiam de iis qnæ ad Deum aliquam servant habitudinem et ad ipsum referuntur, ut Angeli, v. g., homines, sacramenta, etc.

Hæc autem Theologiæ definitio legitima est, cùm sit clara, brevis et reciproca, id est, ità convenit Theologiæ, ut ipsi soli conveniat.

At, *inquies*, Theologia sæpiùs argumentatur

ex veritatibus lumine naturali cognitis, contra Atheos scilicet, et alios qui Scripturæ, Traditionis et Ecclesiæ auctoritatem respuunt; ergo ipsi essentiale non est discurrere, sive argumentari ex fidei principiis.

Resp. Dist. ant. Theologia sæpiùs argumentatur, etc., sed per accidens et secundariò, *conc.*; per se et primariò, *nego.* Itaque cùm Theologi aliis disciplinis, quasi Theologiæ ancillis utuntur, ut suas contra infideles stabiliant conclusiones, id non præstant quatenùs Theologi, sed potiùs ut Philosophi.

Multiplex est Theologiæ divisio, pro multiplici ejus respectu : 1.° Si spectetur ratione objecti sui, sive rerum circa quas versatur, dividi solet in *speculativam* seu *dogmaticam*, et *practicam* seu *moralem*. Theologia *dogmatica* ea est quæ in objecti sui contemplatione quiescit, qualis est illa pars quæ de Deo, Trinitate, Angelis tractat. Theologia *practica* seu *moralis* ea dicitur quæ ad opus tendit, dùm regulas et præcepta tradit ut rectè et sanè componantur mores; qualis est ea Theologiæ pars quæ de Justitiâ, Restitutione, etc., disserit.

2.° Theologia, ratione finis proximi quem sibi proponit, vel modi quo divina tractat, dividitur in *polemicam*, *mysticam*, *positivam* et *scholasticam*.

Theologia *polemica* veritates Religionis et Fidei christianæ contra infideles et hæreticos defendit in controversiis. Hinc alio etiam nomine Theologia *polemica* vocatur *controversa*.

Theologia *mystica* seu *affectiva* est doctrina de Deo et rebus divinis, oratione potissimùm, contemplatione, ac mediis supernaturalibus

comparata, et affectum in Deum præsertìm dirigens.

Theológia *positiva* dicitur ea quæ in illustrandis probandisque primariis Fidei capitibus ex Scripturâ, Patribus et Conciliis potissimùm versatur; idque elegantiori et puriori stylo, qualis est apud SS. Patres. Indè autem Theologiæ positivæ nomen habuit, vel quòd posita et constituta usurpet, vel quia Scripturæ, Concilia et Opera SS. Patrum quibus ipsa nititur, sunt juris positivi.

Theologia *scholastica* secundùm strictam suam significationem accepta, ea dicitur quæ de rebus divinis subtiliùs disserit, quatenùs nec ad fidem nec ad mores spectant. In ampliori verò magisque propriâ significatione intellecta, illa est quæ certâ methodo, definiendo scilicet, dividendo, statum figendo quæstionis, argumenta proferendo, et objectiones solvendo, procedens, sacræ fidei dogmata illustrat; eòque feliciùs contra hæreticos defendit, quò strictiùs et accuratiùs deducit ex illis conclusiones. *Scholastica* autem nuncupatur, quòd jampridem in scholis obtinuerit, ibique usu et frequenti exercitatione comparetur.

Theologiæ scholasticæ fundamenta jecit apud Græcos S. Joannes Damascenus, VIII seculo; apud Latinos verò, S. Anselmus, Cantuariensis Archipræsul. Hunc proximè secutus est Petrus Lombardus, Parisiensis Episcopus, vulgò dictus *Magister Sententiarum*, eò quòd Theologiam ex SS. Patrum sententiis miro compendio complexus fuerit, quatuor Sententiarum libris, in quos deinceps multos commentarios ediderunt Theologi, præsertìm S. Thomas, qui novam

ipse Summam Theologiæ longè celebriorem adornavit, tribus comprehensam partibus. In primâ parte, post ipsam de sacrâ Doctrinâ quæstionem, agit de Deo Uno, Trino et Creatore. Secundam verò partem pro dicendorum copiâ duplicem fecit: in primâ parte hujus secundæ partis, disserit de Fine ultimo, de Virtutibus et Vitiis in genere, de Peccatis, Legibus et Gratiâ; in aliâ quæ *secunda secundæ* dicitur, agit de Virtutibus et Vitiis in particulari. Tertia pars est de Incarnatione, Sacramentis, non tamen omnibus; magno enim Theologiæ damno, morte præventus, imperfectam reliquit Summam: propterea ipsi adjectum est supplementum, ex majori ejusdem S. Doctoris in quartum Sententiarum librum compendio.

Cùm verò in scriptis Theologorum frequens habeatur mentio Summæ D. Thomæ, non abs re erit aperire quâ methodo in veritatis inquisitione usus fuerit, ne, ut quibusdam contigit, objectiones ab ipso propositæ instar responsionum ejus in probationem afferantur. Itaque S. Doctor unamquamque partem sui operis in plures subdividit quæstiones, quibus singulis plures vel pauciores subjiciuntur articuli, quorum titulus ipsam quæstionem agitandam proponit. Hunc autem proximè sequitur responsio directè opposita sententiæ quam amplectitur D. Thomas, sequitur, inquam, sub hâc verborum formulâ *videtur quòd sit* aut *videtur quòd non*. Posteà momenta subduntur quibus confirmari potest hæc responsio distinctis numeris 1.°, 2.°, 3.°, etc.; suam deindè mentem aperit Angelicus Doctor his verbis conceptam *sed contrà*, eamque brevi Scripturæ testimonio

vel alicujus Patris, aut ratiocinio confirmare satagit; postmodùm sequitur id quod vocant Theologi *corpus articuli*, in quo suam iterùm D. Thomas sententiam evolvit, dilucidat, variisque conatur stabilire momentis; tandem clauditur disputatio solutione momentorum quæ ingratiam sententiæ contrariæ distinctis numeris fuerunt prolata. Hinc quisquis thesim aliquam auctoritate et suffragio S. Thomæ confirmare desiderat, sensum ipsius repetat necesse est vel ex contradictione quæ sic incipit, *Sed contrà;* vel ex corpore articuli, *Respondeo dicendum;* vel ex solutione objectionum, *Ad primum, ad secundum, ad tertium, etc.*

CAPUT II.

De proprietatibus Theologiæ.

Ex variis Theologiæ proprietatibus, magis præcipuas totidem articulis expendendas seligimus, necessitatem scilicet, certitudinem et unitatem; de quibus distinctis articulis breviter agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate Theologiæ.

Quæstionis hujus solutioni quædam præmittenda sunt. 1.° Theologia considerari potest vel quoad substantiam, et independenter à variis modis quibus traditur, vel quoad modum, sive methodum quâ doceri et edisci potest.

2.° Aliquid necessarium dici potest absolutè vel hypotheticè, simpliciter vel secundùm quid.

3.° Theologiæ necessitas inquiri potest vel relativè ad totam Ecclesiam, vel relativè ad singulos fideles. His præmissis,

Certum est 1.° Theologiam, tùm quoad substantiam, tùm quoad methodum consideratam, minimè necessariam esse, necessitate absolutâ. Illud enim dicitur necessarium absolutè quod tale est in omni hypothesi: atqui Theologia non est necessaria in omni hypothesi, cùm præter Deum, qui est à se et omninò independens, nihil absolutè necessarium sit.

Certum est 2.° Theologiam, spectatam quoad methodum quæ in scholis tradi solet, nec toti Ecclesiæ, nec singulis fidelibus necessariam esse simpliciter. Nam illud est simpliciter necessarium sine quo finis nullo modo obtineri potest: atqui sine Theologiâ, juxta methodum scholarum traditâ, omnes et singuli fideles obtinere finem suum possunt, ut satis liquet ex eo quòd primis Ecclesiæ seculis inusitata fuerit. Itaque status quæstionis est, 1.° an, etiam quoad substantiam spectata, sit toti Ecclesiæ et singulis fidelibus simpliciter necessaria; 2.° an Theologia quoad methodum quæ solet in scholis tradi, id est, an Theologia scholastica necessaria sit secundùm quid, sive perutilis.

CONCLUSIO PRIMA.

Theologia, quoad substantiam spectata, simpliciter necessaria est toti Ecclesiæ, non verò singulis fidelibus.

Prob. 1.ª pars, ex Script., ad Titum, cap. 1, ℣. 7-9. *Oportet Episcopum esse... amplectentem eum qui secundùm doctrinam est,*

fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere. Undè sic argumentari licet : fidelis sermo qui secundùm doctrinam est, cujus ope sanam doctrinam edocentur fideles, nec non ipsi contradicentes arguuntur, ipsa est Theologia quoad substantiam spectata : atqui ex Apostolo, fidelis ille sermo necessarius est toti Ecclesiæ, ut liquet ex hâc voce *oportet;* ergo, etc.

2.° *Ex SS. Patribus*, inter quos sufficiat appellare S. Augustinum, lib. 14 de Trinitate, cap. 1 : Theologia, quoad substantiam spectata, est scientia quâ *Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur :* atqui evidens est disciplinam quâ Fides gignitur, esse toti Ecclesiæ necessariam : *Sine Fide*, enim, inquit Apost., *impossibile est placere Deo.*

3.° *Ratione theolog.* Theologia, quoad substantiam spectata, est disciplina quæ veritates Fidei exponit, probat, defendit, atque ex illis deducit conclusiones : atqui talis disciplina toti Ecclesiæ necessaria est. Illud enim toti Ecclesiæ necessarium est, sine quo finem suum Ecclesia obtinere nequit : atqui sine Theologiâ Ecclesia finem suum obtinere nequit; finis enim Ecclesiæ est vita æterna per fidem comparanda : porrò sine Theologiâ Fides non esset in Ecclesiâ, cùm ad Theologiam pertineat fidem exponere, probare et vindicare.

Prob. 2.ª *pars.* I. ad Corinth., cap. 12, ℣. 29. *Numquid omnes Doctores ?* inquit Apost.; undè sic : Ex hypothesi quòd Theologia singulis fidelibus esset necessaria, jam singuli fideles doctores essent, aut saltem esse deberent:

atqui ex Apostolo singuli fideles non debent esse Doctores; ergo, etc.

2.° *Ex SS. Patribus.* Tertull., lib. de præscript. *Fides tua*, inquit simplicem alloquens fidelem, *te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum.* S. Aug., lib. 14, de Trinitate, cap. 1: *Quâ scientiâ* (id est Theologiâ) *non pollent plurimi, quamvis polleant fide plurimùm; aliud est enim scire tantummodò quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam..., aliud scire quemadmodùm hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.* Hæc clara sunt.

Objicies contra 1.am *Concl. partem: Nobis curiositate opus non est*, inquit Tertullianus, lib. Præscript., *post Christum, nec inquisitione post Evangelium*; ergo Theologia, quæ distinguitur ab Evangelio, absolutè necessaria non est, etiam toti Ecclesiæ.

Resp. Neg. cons. Sensus Tertulliani iste est: nulla post datum Evangelium inquirenda esse nova dogmata, ex eo quòd illa quorum fides ad salutem necessaria est, in Evangelio contineantur: nullibi autem prohibere voluit Tertullianus quin Ecclesia, Theologiâ adjuvante, veritates Evangelii proponeret, argumentis confirmaret, et ab impugnationibus hæreticorum vindicaret, cùm ipse Tertullianus plures theologicos libros ediderit.

Et verò Theologia spectari potest, vel quatenùs Scripturam et Traditionem evolvendo sua probat principia, vel quatenùs ex iis legitimas eruit conclusiones: atqui sub neutro ex illis respectibus Theologiæ necessitatem Tertullianus negare potuit; non sub primo: nam ut Ecclesia

possit fidem persuadere hominibus, necesse est ut res à Deo revelatas proponat, ipsamque à Deo factam revelationem comprobet. Nec etiam Theologiæ necessitatem sub secundo respectu impugnare voluit prædictus auctor : etenim ad Ecclesiam pertinet damnare, et à fidelibus avertere non solùm errores qui propositionibus à Deo immediatè revelatis seu principiis fidei contradicunt, sed etiam eos qui nonnisi mediatè revelatis, id est, conclusionibus theologicis opponuntur : atqui evidens est Ecclesiam non posse damnare ipsos etiam errores qui propositionibus tantùm mediatè revelatis adversantur, quin sciat ex principiis Fidei legitimas eruere conclusiones ; ergo, etc.

Obj. contra 2.am Conel. partem. S. Petrus, 1, cap. 3, ℣. 15, à singulis exigit fidelibus ut sint parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de eâ quæ in ipsis est spe : atqui hoc præstare non possunt fideles sine Theologiâ ; ergo singulis fidelibus necessaria est.

Resp. Neg. min. Istud Apostoli mandatum fideles implere possunt, etsi Theologiam minimè didicerint, per simplicem nempè fidei suæ expositionem et generalem ipsius probationem.

CONCLUSIO II.

Theologia spectata quoad methodum hodiernam, sive scholastica, perutilis est Ecclesiæ.

Nota. Cautè distinguendum est inter Doctores scholasticos, et Theologiam scholasticam, ne plurium ex iis in tractandis rebus theologicis vitia et defectus, ipsi Theologiæ scholasticæ imputentur.

Prob. 1.° In totâ passìm Ecclesiâ viget methodus scholarum, et nedùm improbetur ab iis qui positi sunt regere Ecclesiam Dei, scilicet ab Episcopis, imò ab ipsis satis clarè commendatur, ut constat ex creatione Universitatum, in quibus scholastica traditur Theologia, ex privilegiis et honoribus quibus à Summo Pontifice et Episcopis cumulatæ sunt sacræ Facultates. Hinc meritò damnatus est hic Wiclefi articulus: *Universitates, collegia, studia, gradationes et magisteria sunt vanâ garrulitate introducta, et tantùm prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.*

Prob. 2.° Theologia, quoad substantiam considerata, ex ipsismet adversariis bona est et utilis; ergo et ipsa Theologia scholastica. Consequentia valet, modò id quod scholastica superaddit Theologiæ, quoad substantiam spectatæ, sit bonum et ad finem promovendum utile: atqui res ita se habet; nam schola Theologiæ substantialiter acceptæ superaddit, 1. genus dicendi simplex et concisum, 2. dialecticam: atqui hæc duo bona sunt; ergo, etc.

Obj. 1.° Theologia scholastica ea est quæ Philosophiâ et præsertìm dialecticâ utitur: atqui talem usum damnant SS. Patres; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Damnant usum perversum seu abusum, *conc.* Legitimum, *nego.* È contrà illum approbant: *Vis dialectices dogmatum est murus*, inquit S. Basilius, in cap. 2. Isaiæ, n.° 92, *quæ ea à quibuslibet qui vellent, facilè interverti, aut facilè expugnari non sinit.* S. August. contra Cresconium, lib. 1, cap. 14. *Cave*, inquiebat ipsum Cresconium alloquens, *cuiquam dialecticam pro crimine objeceris, quâ usos Apostolos confiteris.*

Obj. 2.° Schola plures agitat quæstiones vanas et de merè possibilibus; 2.° Nata tantùm videtur ad fovendas discordias; 3.° Stylus ejus impolitus est ac barbarus.

Resp. ad 1.*um* Quæstiones de merè possibilibus aliquandò esse utiles, ut constat exemplo SS. Patrum, præsertìm Augustini. Quòd si prorsùs vanæ sunt, improbamus eos qui illas agitant.

Resp. ad 2.*um* Dissident tantùm Theologi in problematicis quæstionibus et scholarum libertati ab Ecclesiâ permissis; non probandi tamen, si plùs æquo inter se disputent.

Resp. ad 3.*um* Non deesse Theologos qui purè ac nitidè loquuntur. Cæterùm in tractandis novis rebus, novæ excogitandæ sunt voces; nec à Theologis postulanda est eloquentia quam ipse Cicero Philosophis deesse non improbabat; quod verò deest sermoni in rebus Theologicis, sententiarum copiâ et veritatum majestate abundè suppletur.

ARTICULUS II.

De Theologiæ certitudine.

De Theologiæ dignitate silemus, quia manifestum est eam aliis scientiis digniorem esse: istis enim præstat ratione objecti, quod Deus est, et ratione motivi, quippè motivum Theologiæ est revelatio mediata; postremò ratione finis, qui est vita æterna per fidem comparanda. Controversia quæ hìc movetur inter Theologos spectat certitudinem Theologiæ, non quidem absolutam, *quæ*, nullo diffitente, summa est; sed relativam, id est, comparativè ad Fidem

divinam et Scientias merè naturales : scilicet quæritur an conclusio Theologica suâ certitudine superet quamlibet notionem naturalem, etiam primorum principiorum.

Ad solutionem *nota* 1.° Ad conclusionem propriè theologicam duo requiri, 1. ut ex revelatione evidenter deducatur, alioquin non esset conclusio scientifica, sed tantùm opinativa; 2. ut ex propositione revelatâ sic eruatur conclusio theologica, ut ab ipsâ distinguatur virtualiter, aliàs non esset verus discursus, sed mera evolutio.

Nota 2.° Triplex distinguitur certitudo, objecti scilicet, subjecti et motivi. Certitudo objecti est immobilitas rei in se; certitudo subjecti est firma mentis adhæsio alicui propositioni; certitudo motivi est ipsamet vis et valor argumenti impellentis ad assensum, seu firmitas et immobilitas connexionis motivi cum veritate ad quam credendam impellit.

Hìc non agitur de certitudine objecti : Theologia enim, Fides et Scientiæ naturales idem objectum habere possunt et aliquandò habent; sed agitur de certitudine subjecti, quæ sola, propriè loquendo, certitudinis nomen meretur. Verùm hæc subjecti certitudo duplex distinguitur: imprudens una et illegitima, quâ mens adhæret alicui propositioni plus quàm exigit virtus motivi impellentis ad assensum, et dicitur temeritas, obstinatio, pertinacia. Talis est hæreticorum in suis erroribus credendis obstinatio. De hâc imprudenti certitudine non agitur. Altera subjecti certitudo, quæ prudens dicitur, ea est quâ mens adhæret veritati, quantùm postulat robur et valor argumenti impellentis ad assensum, quæ

proindè commensuratur certitudini motivi; hinc tota quæstio præsens revocatur ad istam motivi certitudinem.

Nota 3.° Certitudinem motivi triplicem esse, moralem scilicet, physicam et metaphysicam. Sed quia nunc agitur de motivo Theologiæ comparato ad motivum scientiarum naturalium, quod est metaphysicè certum, ideò de metaphysicâ certitudine hìc tantùm quæstio esse potest. Metaphysica autem certitudo ea dicitur, cui nequidem divinitùs falsum subesse potest.

Nota 4.° Certitudinem spectari posse secundùm extensionem suam, vel intensionem. Tunc major est extensivè certitudo, cùm ad plura se extendit objecta; est intensivè autem major, cùm fortiùs impellit ad assentiendum veritati.

Nota 5.° *deniquè.* Assensuum nostrorum duplex generatìm esse motivum, propriam scilicet cognitionem, vel alterius loquentis auctoritatem. Scientiæ naturales propriâ cognitione, hoc est, evidentiâ humanâ nituntur; Fides verò, auctoritate Dei; Theologia de utroque motivo participat. Auctoritas verò Dei loquentis duo includit et exigit ut moveat ad assensum: 1.° certam veritatis apprehensionem et evidentiam in Deo; 2.° certam veritatis apprehensæ manifestationem, adeò ut nec fallatur Deus, nec fallere possit.

Non una omnium est circa præsentem quæstionem opinio. Alii, maximè veteres, Theologiam scientiis naturalibus certiorem esse putant; alii verò æqualem ipsis tribuunt certitudinem, inter quos illustrissimus Argentræus, Tutelensis Episcopus, in suis Elementis theologicis, cap. 1. Cum quibus sit

CONCLUSIO.

Theologia non est certior Scientiis naturalibus.

Prob. Theologia non est certior scientiis naturalibus, modò ipsius motivum non superet certitudine motivum scientiarum naturalium: atqui Theologiæ motivum certitudine non superat motivum scientiarum naturalium; nam certitudo motivi, ut suprà observavimus, æstimari debet ex ipsius connexione cum veritate ad cujus assensum impellit: atqui motivum Theologiæ non magìs connectitur cum veritatibus theologicis, quàm motivum scientiarum naturalium cum veritatibus naturalibus; namque Theologiæ motivum ipsa est auctoritas Dei revelantis mediata; scientiarum verò naturalium est evidentia humana: atqui auctoritas Dei revelantis mediata non magìs connectitur cum veritatibus theologicis, quàm evidentia humana cum veritatibus naturalibus; quod enim connectitur cum veritate quantùm fieri potest, illud non potest ab alio superari in genere connexionis: atqui evidentia humana cum veritatibus naturalibus connectitur quantùm fieri potest; connectitur enim essentialiter; in essentialibus autem, ut fert axioma, non datur majus aut minus; ergo, etc.

Obj. Scientiæ naturales fundantur in evidentiâ humanâ, quæ sæpiùs nos fallit; Theologia verò nititur mediatâ Dei revelantis auctoritate, qui nunquàm fallit nec fallere potest; ergo Theologia certior est scientiis naturalibus.

Resp. Neg. ant. quoad 1.^am^ *partem.* Falsum est enim quòd evidentia sæpiùs nos fallat, namque priùs est rem esse quàm videri; ergo quo-

tiescumquè rei cujusdam evidentiam habemus, totiès certissimè non fallimur. Equidem nonnunquàm contingit ob mentis nostræ in judicando præcipitationem, vel aliis de causis, ut rem aliquam percipere nobis falsò videamur; sed in hoc casu non ipsa evidentia, sed apparentia tantùm ejus, in errorem nos inducit; sic auctoritas Dei revelantis, per se nunquàm decipit, ipsius tamen apparentia quotidiè plures, v. g. Hæreticos ad falsa inclinat dogmata.

COROLLARIUM.

Ergo Fides ipsa Theologiâ certior non est.

Sequitur ex dictis in probatione. Applicari enim potest Fidei, comparatè ad Theologiam, argumentum quo usi sumus ad evincendum Theologiam, comparatè ad scientias naturales, non esse certiorem.

Quæres an Theologia sit scientia supernaturalis.

Resp. affirm. Hoc videlicet sensu quòd extrinsecè et præsuppositivè, ut loquuntur Theologi, supernaturalis sit, naturalis verò si ratione suî et intrincsè spectetur. 1.° Quidem Theologia extrinsecè et præsuppositivè supernaturalis est; illa enim scientia extrinsecè et præsuppositivè supernaturalis est cujus principia supernaturalia sunt: atqui Theologiæ principia sunt verè supernaturalia, cùm, ex dictis, Theologiæ principia sint propositiones immediatè à Deo revelatæ, quæ certo certiùs supernaturales sunt. 2.° Theologia est naturalis, si spectetur intrinsecè et ratione suî. Etenim scientia quæ

rationis usu et discursûs ope suum attingit objectum, ipsa naturalis intrinsecè dicenda est : atqui Theologia rationis usu et ope discursûs suum attingit objectum, ut constat ex ipsius definitione, juxta quam dicitur scientia quæ discurrit ex principiis fidei.

ARTICULUS III.

De unitate Theologiæ.

Scientiæ unitas, de quâ hìc agimus, repetenda est ex unitate motivi illius ; ergo Theologia erit una, si unico nitatur motivo, id est, si uno eodemque motivo impellamur ad assentiendum omnibus conclusionibus theologicis. Sic Philosophia unitate gaudet, quia evidentia est motivum unicum omniscognitionis philosophicæ.

Difficultas in præsenti solvendâ quæstione procedit ex eo quòd Theologia conclusiones suas deducat modò ex duabus præmissis revelatis, modò ex unâ revelatâ et alterâ naturali : porrò videtur non unum esse in iis duabus illationibus motivum. In priori enim, sola revelatio videtur esse motivum conclusionis ; in posteriori autem, revelatio simul et ratio concurrunt et movent ad assentiendum conclusioni.

Profectò difficultas illa nullius erit momenti, si dicatur conclusionem deductam ex duabus præmissis revelatis non esse theologicam : atqui reverà dicendum est conclusionem deductam ex duabus præmissis revelatis non esse theologicam. Nam ut aliqua conclusio sit verè theologica, necesse est ut ipsa, quoad sensum, distinguatur à revelatione : atqui conclusio deducta ex duabus præmissis revelatis, quoad sen-

sum minimè distinguitur à revelatione, cùm nihil ipsarum collectivè sumptarum conceptui superaddat; in conclusione enim duo extrema uniuntur quæ secum priùs unita fuerunt in præmissis revelatis, ope medii termini.

His positis, colliges 1.° *Theologiam esse scientiam specificè unam.* Illa enim scientia est specificè una, cujus omnes conclusiones uno eodemque in specie motivo nituntur : atqui theologicæ conclusiones uno eodemque in specie motivo nituntur; ex dictis enim, conclusiones theologicæ erui non possunt ex duabus præmissis revelatis, sed ex unâ tantùm revelatâ, mediante alterâ naturali : atqui omnes conclusiones ex unâ tantùm præmissâ revelatâ, mediante alterâ naturali, deductæ, uno eodemque motivo nituntur, scilicet revelatione mediatâ, hoc est, nexu cum revelatione lumine naturali cognitâ.

Colliges 2.° *Conclusiones theologicas, sensu mox exposito, non esse de Fide.* Etenim conclusiones theologicæ eæ sunt quæ per veram illationem deducuntur ex unâ præmissâ revelatâ, et ex alterâ lumine naturali notâ; conclusiones verò de Fide sunt illæ quæ eruuntur ex duabus præmissis revelatis: atqui conclusiones hujusmodi inter se differunt, tùm ratione motivi assensûs qui ipsis præbetur : nam motivum conclusionis de Fide est ipsa revelatio, motivum autem conclusionis theologicæ est partìm revelatio, partìm ratio naturalis; tùm ratione medii : medium enim conclusionis de Fide dignoscendæ est Ecclesiæ definitio, medium verò conclusionis theologicæ assequendæ est ipsa ratio, discursus seu forma syllogistica; ergo prorsùs differunt conclusiones theologicæ à conclusionibus de

Fide, ac proindè conclusiones *propriè* theologicæ de Fide non sunt.

Hæc olim fusiùs in scholis agitari solita, breviori perstringimus calamo, quia de nomine potiùs quàm de re litem motam fuisse nobis visum est.

De rationis usu in Theologiâ hæc pauca subjicimus.

1.° Rationis officium est ut probet omnimodam Deo loquenti ab omnibus deberi fidem, eò quòd sit infinitè verax, id est, falli et fallere nescius.

2.° Ad ipsam quoque pertinet ut revelationis existentiam per varia credibilitatis motiva astruat firmiter.

3.° Ipsius quoque est revelata quædam minùs difficilia humanis confirmare ratiociniis, non quidem ex necessitate, sed ad juris abundantiam.

Et non ultrà progrediatur necesse est; si enim ad trutinam suam mysteria et sensum Dei velit expendere, jam nimiùm audax in præceps ruit, juxta istud oraculum: *Scrutator majestatis opprimetur à gloriâ.* Et verò inutile, periculosum et impossibile est nostræ religionis mysteria ad normam humanæ rationis expendere. 1.° Quidem inutile: nam ubi semel constat præfata religionis nostræ mysteria divinitùs fuisse revelata, jam liquet ipsâ veritate niti (Deus enim falli et fallere nequit), et rationi non esse contraria; siquidem Fides humanam rationem superare potest, at ipsi contradicere nequit; 2.° periculosum: in arduis enim et intricatis, pronus nimiùm est in errorem descensus; 3.° impossibile: quæ enim humanæ rationis captum prætervolant, humana ratio metiri non potest.

CAPUT III.

De Locis theologicis.

Loci theologici definiri solent : *promptuaria seu fontes ex quibus Theologia sua depromit argumenta.* Scilicet, Theologia est scientia quæ discurrit, id est, conclusiones eruit ex principiis Fidei : principia autem Fidei non sunt per se nota, sicut prima scientiarum naturalium principia ; ergo indigent probari per argumenta. Item, conclusiones ex principiis Fidei non ita clarè semper eruuntur, ut variis probationibus non indigeant : porrò omnis probatio sive argumentum ex aliquo medio sive loco et fonte sumatur necesse est ; ergo dantur loci theologici.

Loci theologici subdividuntur in proprios et extraneos, quorum definitio ex ipsismet verbis satis intelligitur. Scriptura sacra, Traditio, etc., sunt loci primi generis ; posterioris autem, Historia profana et humana ratio.

Locos theologicos in minorem numerum redigere, vel in majorem producere subdivisionibus quibusdam potest Theologus : de hoc verò parùm curandum est, modò nullus omninò locus superfluus numeretur, vel prætermittatur necessarius. Nos autem cum vulgo Theologorum decem computamus ordine sequenti : nempè Scripturam sacram, Traditionem, definitiones Ecclesiæ, Conciliorum decreta, judicium Romani Pontificis, auctoritatem SS. Patrum, Theologorum, Historicorum, Philosophorum, et humanam Rationem ; de quibus totidem articulis disserendum nobis est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Scripturâ sacrâ.

PRÆSENTIS instituti non est singulas quæ circa Scripturam sacram agitari possunt quæstiones expendere et solvere; sed nostri muneris est ea omnia circa Scripturam sacram discutere, quæ absolutè necessaria sunt, ut ex illâ probationes et argumenta, in confirmationem dogmatum, haurire valeat Theologus. Quod quidem ut exsequamur, tria evincemus: 1.° Existere Scripturam sacram cujus auctoritas, utpotè divina et infallibilis, argumentum præbet efficax et ineluctabile; 2.° Vulgatam nostram esse authenticam, id est, fideliter exprimere sensum textûs primigenii Scripturæ sacræ; 3.° Varias proponemus regulas in interpretandâ Scripturâ sacrâ observandas.

§ I.

De existentiâ Scripturæ sacræ.

Scriptura sacra definitur: *Verbum Dei assistente et inspirante Deo scriptum.* At verò ut intelligatur hæc nostra Scripturæ definitio, paucis aperiendum est quid sit inspiratio et assistentia divina. Inspiratio est internus motus animi à Deo profluens, quo homo ad aliquid loquendum vel scribendum determinatur. Assistentia est Dei auxilium efficax, omnem à loquente vel scribente errorem errandique formidinem feliciter avertens.

Ex hâc definitione patet in quo Scriptura sacra cum traditione conveniat, et ab illâ distinguatur: nempè, in quantùm Scriptura sacra

est Dei verbum, cum Traditione promiscuè sumitur; et quatenùs Deo assistente scriptum est, ab eâ distinguitur.

Existentiam Scripturæ sacræ negârunt olim plurimi; negant hodiedùm Judæi, quantùm ad libros novi fœderis; negant et Deistæ revelationis hostes. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Existit Scriptura sacra libris novi et veteris Testamenti contenta.

Prob. 1.° *Ex testimonio auctorum quorum ministerio usus est Deus in illis conscribendis libris.* Undè sic arguo: illa Scriptura est divina cujus divinitatem testantur ipsiusmet auctores summâ fide digni: atqui Scripturæ sacræ divinitatem testantur ipsiusmet auctores summâ fide digni. Minor duabus constat partibus, quarum prima, utpotè ab adversariis concessa, fusiori probatione non indiget. Hìc ergo textus paucos in probationem ejus referre sufficiat. Exod. cap. 6, ℣. 2, *Locutus est Dominus ad Moysen.* Et cap. 34, ℣. 27, *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc quibus et tecum et cum Israël pepigi fœdus.* Deut., cap. 31, ℣. 24, 25 et 26, *Postquàm ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine...., præcepit Levitis, dicens: tollite librum istum et ponite eum in latere arcæ fœderis...., ut sit ibi contra te in testimonium.* In 1.° textu, Moyses testatur Deum fuisse locutum; in 2.° sermones Dei ipso jubente sive inspirante fuisse conscriptos; in 3.° satis clarè indicat sibi in exarandis sermonibus Dei non defuisse ejus assis-

tentiam, cùm præcipiat ut volumen legis à se scriptum servetur, in testimonium contra ipsius infractores; ergo auctores veteris Testamenti testantur illud esse Scripturam sacram sive divinam. Idem in gratiam novi Testamenti proferunt Scriptores illius. S. Joannes, Apocalyps., cap. 1, ℣. 10, 11: *Audivi.... vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides, scribe in libro.* Et cap. 22, ℣. 18, 19, *Contestor*, inquit S. Joannes, *omni audienti verba Prophetiæ libri ejus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* In priori textu declarat Apost. à Deo verbum exiisse, ipso jubente et inspirante scribendum. In posteriori autem textu, supponit in scribendo Dei verbo non defuisse ejus assistentiam; ergo auctores sive novi, sive veteris Testamenti, testantur Scripturam libris utriusque Testamenti contentam, sacram esse et divinam. Deindè iidem auctores summâ fide digni sunt. Illi enim omnimodam fidem merentur, qui omnes sinceritatis præ se ferunt characteres, quique testimonium suum miraculis et prophetiis confirmant: atqui auctores sive novi, sive veteris Testamenti, etc., ut fusè probatur in *Tractatu de Religione;* ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex constanti et unanimi Judæorum et Christianorum consensu.* Judæi cum Christianis consentiunt circa divinitatem librorum veteris Testamenti; et Christiani, licèt in plures sectas sibi oppositas divisi, à primis Ecclesiæ temporibus, libros novi fœderis ut divinos venerantur: atqui consensus ille constans et una-

nimis, manifestum est veritatis indicium. Ille enim consensus manifestum est veritatis indicium, qui nec à præjudiciis nec à cupiditatibus ortum habere potuit : atqui consensus ille unanimis neque à præjudiciis, neque, etc., non quidem à præjudiciis ortum habuit, siquidem doctrina hisce libris contenta præjudiciis opponitur ; nec etiam à cupiditatibus, quibus eadem doctrina contraria est ; ergo, etc.

Et verò consensus ille probat veritatem rei in cujus gratiam datur, à quo Deus, pro suâ erga religionem providentiâ, errorem debuit avertere : atqui talis est consensus unanimis et constans de quo agitur ; namque admissâ semel veritate Cultûs Judaïci usque ad tempora Messiæ permansuri, et Religionis Christianæ usque ad mundi finem duraturæ, consensus unanimis et constans est medium necessarium ad conservandam et transmittendam posteris veritatem factorum ad Religionem pertinentium ; sed Deus, pro suâ erga Religionem providentiâ, errorem omnem avertere debet à medio necessario conservationi et transmissioni veritatis factorum quæ spectant ad Religionem diù aut semper duraturam, qualia sunt inspiratio et divinitas librorum ; ergo, etc.

Prob. 3.° *Ex motivis credibilitatis.* Illi libri sunt divini, quorum divinitas est pars Religionis confirmatæ per miracula, prophetias, et alia credibilitatis motiva : atqui divinitas librorum veteris et novi Testamenti est pars, sive articulus Religionis confirmatæ, etc. Etenim Religio Christiana miraculis et prophetiis stabilita est, ut probatur in *Tractatu de Religione :* atqui divinitas librorum veteris et novi

Testamenti est pars, sive articulus Religionis Christianæ, ut patet; ergo, etc.

Prob. 4.° *Ex definitione Ecclesiæ.* Illi libri sunt divini, quorum divinitas asseritur à judice controversiarum infallibili : atqui divinitas librorum novi et veteris Testamenti asseritur à judice controversiarum infallibili : namque Ecclesia est judex controversiarum infallibilis, ut demonstratur in *Tractatu de Ecclesiâ*, et Ecclesia Catholica confirmavit divinitatem librorum utriusque Testamenti; ergo, etc.

Prob. 5.° Illi libri sunt divini quorum doctrina et effectus planè divini sunt : atqui librorum veteris et novi Testamenti doctrina et effectus planè sunt divini. 1. Doctrina librorum veteris et novi Testamenti omninò divina est; illa enim Deum auctorem habet, nec ab homine sibi relicto (illis præsertim tenebrosis temporibus quibus conscripti sunt utriusque Testamenti libri) tradi potuit, quæ innatam hominis superbiam non fovet, sed resecat; quæ Deum solum hominis finem ultimum constituit; quæ media ad ipsum conducentia demonstrat; quæ Dei naturam incomprehensibilem, et hominis originem tam altè, tam divinè exponit; uno verbo, quæ semper una et constans sibi, non voluptati consulit, ut Poetæ; non superbiæ, ut Philosophi; non politicæ, ut Legislatores humani; sed hominem totum et omnia quæ hominis sunt supra ipsum evehit, et ad Deum solum convertit : atqui talis est doctrina in libris Christianorum contenta; ergo, etc.

2. Libri apud Christianos sacri effectibus verè divinis conspicui sunt; illi enim libri ef-

fectibus verè divinis conspicui sunt, qui orbem universum convertêre, à præjudiciis inveteratis et universalibus liberavêre, perditis hominibus angelicam suasêre vitam, qui nullo, saltem humano, muniti præsidio, nusquàm à Tyrannis exscindi potuêre, à Philosophis everti, ab Oratoribus infirmari : atqui libri veteris et novi Testamenti hisce omnibus effectibus conspicui sunt; ergo libri illi sunt verè divini.

Obj. 1.° Sacri Historici ab hominibus videntur ad scribendum inducti, non ab ipso Deo. Ita SS. Joannes et Marcus fidelium precibus excitati, sua scripserunt Evangelia, ut testatur S. Clemens Alexandrinus apud Eusebium, lib. 2 Historiæ Eccles., cap. 15; ergo libri veteris et novi Testamenti, Deo inspirante et assistente conscripti non sunt.

Resp. Neg. ant. Fidelium preces quibus inducti sunt Evangelistæ ad scribendum, divinæ inspirationi minimè adversantur; scilicet, dùm Fideles, votis et precibus, Marcum et Joannem excitabant ad scribendum Evangelium, Spiritus Sanctus eosdem interiùs movebat ut Fidelium precibus victi, reipsâ scriberent. Et verò nullatenùs repugnat ad unum eumdemque actum hominem impelli et per alterius hominis exhortationem, et per Dei supernaturalem motionem; ergo, etc.

Inst. Historici sacri ut auctoritatem sibi concilient ad inspirationem minimè recurrunt, sed ad auctoritatem merè humanam, nempè quòd oculati testes fuerint eorum quæ narrant; ita S. Joannes, Evang., cap. 19, ℣. 35, qui cùm in Apocalypsi ad revelationem Dei confugiat ut scripto suo faciat fidem, eam procul dubio ex

inspiratione auctoritatem in Evangelio non omisisset, ex hypothesi quòd se à Deo inspiratum sensisset. Pariter S. Lucas, Evang. cap. 1, revocat Theophilum ad Apostolorum auctoritatem, qui testes fuerant factorum quæ in Evangelio suo tradit : atqui sanè Theophilum de suâ inspiratione monuisset S. Lucas, si reverà tali privilegio instructum se cognovisset; uno verbo, nonnisi in Prophetiis, sacri Scriptores se à Deo afflatos esse asserunt; ergo in aliis conscribendis libris non fuerunt inspirati.

Resp. Nego consequent. Ideò novi Testamenti auctores ad fidem faciendam in rebus historicis, non recurrunt ad inspirationem, quia quæ narrant facta priùs ex auctoritate humanâ confirmari debuerunt, quàm Apostolorum missio probaretur; ex his enim factis adstruebatur : hinc non erat cur se inspiratos fuisse monerent, siquidem illa monitio fuisset inutilis, tum erga fideles qui eos inspiratos esse credebant, tum erga infideles qui priùs factis Evangelicis fidem præbere debuerunt, quàm Evangelistarum inspiratio crederetur. Non mirum autem videri debet quòd S. Joannes in Apocalypsi, se omnia à divinâ revelatione accepisse dicat, quia semper prophetam agit, non historicum; prophetiæ autem non nisi Deo revelante esse possunt. Quoad auctores historicos veteris Testamenti, non erat cur se divinitùs afflatos profiterentur; eorum enim historiæ nonnisi in gratiam Judaïcæ gentis, quæ eos inspiratos esse probè sciebat, exaratæ erant.

Obj. 2.° Illi libri non sunt divini qui multis laborant vitiis : atqui libri apud Christianos

sacri multis laborant vitiis, ut cuilibet eos per singula decurrenti patebit; ergo, etc.

Resp. 1.° hanc formam procedendi circa quæstionem divinitatis librorum utriusque Testamenti, vitiosam esse; peccat enim contra hanc regulam : *à magis noto ad minùs notum procedendum est;* siquidem adversarii ex vitiis librorum nostrorum concludunt eos non esse divinos, quamvis divinitas illorum viâ auctoritatis cognita sit, et notior sit prætensis vitiis quibus, discussionis ope, prædictos libros scatere volunt.

Resp. 2.° *Nego min.*; et responsionem nostram objectorum solutio comprobabit.

Inst. 1.° *Prob. min.* In libris Christianorum multos legere est textus contradictorios; v. g., S. Marcus, cap. 15, v. 25, dicit Christum fuisse crucifixum horâ tertiâ; S. Joannes, cap. 19, ℣. 14, jam fuisse horam quasi sextam cùm damnatus est Christus; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Sunt quidem in libris sacris contradictiones apparentes, non autem veræ et reales; nulla est enim cui probabilem non afferant solutionem Interpretes. Quòd si quædam reperiantur difficiliores, quarum veram conciliandi rationem ignoremus, illud oritur ex circumstantiis locorum, temporum et personarum, aut rerum ejusmodi nobis propter distantiam ignotis. Et hæc sufficiat responsio generalis quoad sexcenta scripturæ loca, quæ in speciem sibi repugnant, et quorum distributiva conciliatio pertinet ad Interpretes.

Ad probandum nullam esse contradictionem inter S. Marcum et S. Joannem, circa horam quà Christus cruci affixus est, non equidem

diffiteor veram prædictos Evangelistas conciliandi rationem veterum Scripturæ Sacræ interpretum non parùm torsisse ingenia, ita ut ad varias confugerint explicationes; sed ut mihi videtur, tota difficultas orta est ex ignorantiâ, seu potiùs inadvertentiâ modi quo Judæi solebant diurnas nocturnasque computare horas. Itaque observandum apud Hebræos diem octo partibus fuisse comprehensam, ita ut quatuor diei et totidem nocti assignarentur partes. Noctis quidem partes dicebantur vigiliæ, singulæ tribus horis constantes, eò quòd milites trium horarum spatio agerent excubias; cæteræ autem quatuor diei partes, tribus horis singulæ pariter constantes, horæ nuncupabantur, prima, tertia, sexta et nona, secundùm proportionem quam servabant inter se. Prima ab ortu solis, id est, horâ juxta nos sextâ matutinâ, incipiebat; hora tertia ab horâ juxta nostrum computum nonâ inchoabatur; sexta ab horâ duodecimâ meridianâ initium sumebat; nona verò à tertiâ pomeridianâ ortum habens, sextâ vespertinâ claudebatur. His præmissis, evanescit contradictio. Juxta S. Marcum, Christus affixus est cruci horâ tertiâ, exeunte scilicet, ideòque cùm propiùs instaret hora sexta; et juxta S. Joannem, damnatio Christi, quæ non multùm præcessit supplicium ejus, contigit horâ quasi sextâ, id est, horâ tertiâ jam secundùm majorem suî partem effluxâ: atqui hæc duo nullatenùs sibi contradicunt; ergo, etc.

Inst. 2.° Libri apud nos sacri absurditatibus non vacant; hoc enim nomine vocantur à Deistis altissima Religionis nostræ mysteria; ergo, etc.

Resp. Nego ant. In libris sacris proponuntur mysteria supra, non contra rationem posita; quod adeò verum est, ut nullum sit cujus possibilitas negativè non demonstretur à Theologis. Si quid ergo in Scripturâ Sacrâ absurdum videatur, dicendum cum S. Augustino, aut codicem esse mendosum, aut interpretem errâsse, aut legentem, quod sæpiùs contingit, non rectè intelligere.

Inst. 3.° Multa in Scripturis leguntur sanioris philosophiæ principiis contraria, v. g., circa motum solis et stabilitatem terræ; deindè in iis multa narrantur scripta juxta præconceptas et vulgares hominum opiniones, licèt falsas, quale est istud Salomonis, Prov. cap. 6, de Formicâ, quæ dicitur congregare in messe quod hieme comedat, quamvis constet variis observationibus formicam, utpotè nimio frigore correptam, tempore hiemali comedere non posse; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Neque enim Scripturis Sacris voluit Deus homines ad philosophiam, sed ad virtutes informare. Hinc potuit absque veracitatis suæ dispendio movere sacros auctores ad scribendum, pro datâ occasione, de rebus naturalibus, secundùm rerum apparentias et veritatem moralem, quæ sumitur ex usitatâ sentiendi apud homines ratione, neglectâ interìm veritate philosophicâ, cujus, relativè ad scopum suum, nulla erat utilitas.

Inst. 4.° In Scripturâ, præsertìm in Psalmis, continentur convicia et maledictiones quæ à spiritu furoris et vindictæ magìs proficisci videntur quàm à spiritu Dei qui benignus et patiens est; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Imprecationes illæ prophetico sensu intelligendæ sunt, non autem optativo, ita ut Psaltes regius prænuntiet mala peccatoribus infligenda, non verò precetur.

Inst. 5.° In libris novi Testamenti per incuriam irrepserunt memoriæ lapsus; v. g., S. Matth. c. 17, ℣. 9, tanquam de Jeremiâ citat textum Zachariæ : *Acceperunt triginta argenteos*, et S. Marcus, cap. 1, ℣. 2, tanquam Isaiæ laudat textum Malachiæ : *Ecce ego mitto Angelum meum;* ergo, etc.

Resp. Nego ant. Difficultati propositæ, quantumlibèt gravi, multiplex solet afferri responsio probabilis; ergo per illam infirmari non potest thesis nostra, in cujus gratiam adduximus argumenta extra omne dubium posita. Cæterùm, inter varias explicationes textûs S. Matth., hanc seligimus, juxta quam dicitur nomen Jeremiæ in textum S. Matthæi incuriâ amanuensium irrepsisse; quod quidem evinci potest ex eo quòd S. Matth. non soleat exprimere nomina Prophetarum quos citat; et reverà textus Syriacus et multi Codices latini olim, teste S. Aug., quorum unum adhuc videre est Romæ in bibliothecâ Augustinianorum, non habent nomen Jeremiæ, sed *Prophetam* generatìm.

Quoad textum S. Marci, respondeo testimonium ejus ex duobus Prophetis desumptum esse, nempè, ex ℣. 1, cap. 3 Malachiæ, et ex ℣. 3, cap. 40 Isaïæ. Marcus autem solum Isaïam appellavit, ut magìs præcipuum.

Inst. 6.° In Scripturis plures extant circumstantiæ inutiles et Deo indignæ, v. g., quod narratur Tob., cap. 11, *Præcucurrit canis, et*

blandimento suæ caudæ gaudebat; multæ sunt quoque cum dubio et incertitudine propositæ, v. g., Luc., cap. 1 : *Mansit autem Maria cum Elisabeth quasi mensibus tribus;* deniquè stylus ejus sæpissimè humilis est et obscurus : atqui defectus illi Deo tribui non possunt; ergo, etc.

Resp. ad 1.*um Nego ant.* In Scripturis alia sunt aliis utiliora, quatenùs Dei cultum et salutem hominis propiùs attingunt; nihil tamen in iis reperitur quod inutile prorsùs ac vanum dici possit. Itaque circumstantiæ quæ nobis objiciuntur tanquam inutiles et Deo indignæ, prosunt ad integritatem et simplicitatem narrationis, et ad historiæ nexum.

Ad 2.*um* Ista particula *quasi*, similesque loquendi rationes, sæpiùs non sunt dubitantis, sed usurpantis, ex usu, numerum absolutum, sive ut loquuntur, rotundum pro fracto. Nunquid vellent adversarii ut omnes numeri numerorumque fractiones, omnes anni, menses, dies, horæ et minuta, et cætera hujusmodi in Scripturis Sacris expressa fuissent?

Ad 3.*um* Obscuritas Scripturæ Sacræ, sæpiùs oritur ex ipsis rebus per verba expressis; altissima enim continet mysteria, et tunc sanè non est defectus; nonnunquàm oritur ex versionibus, ideòque hominibus, non Deo imputanda est; quandòque ex verbis primigeniis quibus usus est auctor sacer; sed ut dicemus infrà, omnia et singula Scripturæ verba non fuerunt à Deo inspirata.

Cæterùm divinæ Providentiæ congruum erat ut sacri Codices obscuritate non vacarent, tum ut fideles studio Scripturarum magìs incumbant, eamque scrutentur profundiùs, tum, ut ait S.

Aug., *ad edomandam labore superbiam, et intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumquè vilescunt.* Lib. 2, de Doctrinâ christianâ, cap. 6. Quidquid sit, nullus est Scripturæ Sacræ locus tam obscurus, cujus intelligentiam certò non assequatur Ecclesia, quæ est judex controversiarum infallibilis.

Obj. 3.° Si libri apud Christianos sacri ipsum Dei verbum eodem inspirante et assistente scriptum continerent, jam auctorum quorum Deus in illis exarandis ministerio usus est, nullus fuisset labor, nullus conatus, nulla rerum scribendarum inquisitio : atqui tamen auctores sacri de se testantur quòd multùm in scribendo laboraverint; sic enim loquitur auctor lib. 2 Machab., cap. 2, ℣. 27 : *Et nobis quidem ipsis qui hoc opus breviandi causâ suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus;* ergo, etc.

Resp. Nego maj., cujus quidem falsitas ut magis pateat, tria sunt in libris sacris accuratè distinguenda, nempè, res sive sententiæ, verba et verborum compago, et compositio sive stylus. Quoad res sive sententias Scripturæ Sacræ, certum est, quidquid in contrarium asserant pauci, eas omnes et singulas, vel etiam levissimas, Deo inspirante fuisse conscriptas; quoad verba, certum est etiam quædam ex illis à Deo inspirata et dictata fuisse, ea, scilicet, quibus exprimuntur mysteria, prophetiæ, et alia similia hominis sibi derelicti superantia captum; verùm inter se disputant Catholici de inspiratione singularum vocum, et compositionis earum, sive styli : sententia negans probabilior nobis videtur, ita

ut credamus Spiritum Sanctum per assistentiam specialem, non autem per inspirationem, sacris Scriptoribus adfuisse, quoad verba et verborum compositionem. His præmissis, dico auctores sacros in scribendis libris laborâsse in delectu et compositione verborum; assistentia enim specialis quâ in hunc finem instruebantur, laborem et difficultatem non tollit, sicut videmus Ecclesiam, quantumvis ex assistentiâ Spiritûs Sancti infallibilem, multùm laborare et diù examinare antequàm definitiones suas emittat.

Prætereà, etiam admissâ opinione eorum qui volunt non solùm sententias, sed etiam singula Scripturæ verba à Deo fuisse inspirata, facilè concipitur quomodò auctores sacri labore et industriâ in compositione sacrorum Codicum indiguerint. Enimverò Dei operatio humanæ diligentiæ ita potest accedere ut illam perficiendo minimè destruat; scilicet, auctores sacri non sine labore et curâ inquirebant ea quæ scriberent, et verba quibus uterentur in scribendo, Spiritus autem Sanctus divino eos afflatu specialiter inclinabat ut hæc potiùs quàm illa dicerent, tali vel tali et non alio modo.

Obj. 4.° Scriptura in multis corrupta fuit et vitiata, ut constat ex innumeris variantibus exemplarium ejus : atqui si fuisset Deo inspirante conscripta, profectò omnem ab illâ corruptionem avertisset. Et verò Scriptura, ex hypothesi quòd sit divina, jam data est ut sit perpetua credendorum regula : atqui hoc munere fungi non potest si semel vitiata sit ; ergo, etc.

Resp. ad 1.*um Nego min.* Deus Angelum et hominem, licèt opus suum, et quidem præs-

tantissimum, vitiari et peccato infici permisit. Quidni pariter Scripturam suam ab incuriâ vel hominum malitiâ corrumpi permisisset ? Et verò naturaliter contingere debuit Scripturam Sacram cujus exemplaria adeò multiplicata sunt, temporum lapsu in aliquibus corrumpi : Deus autem per miraculum huic malo occurrere non debuit, quia tantum non est ut finis ab ipso intentus obtineri non possit; siquidem admissâ tantùm providentiâ speciali quæ rebus ad Religionem pertinentibus invigilat, tanta non est illa corruptio ut in rebus necessariis Ecclesia non possit ex collatione exemplarium Scripturæ Sacræ certò et infallibiliter, assistente Spiritu Sancto, judicare quænam lectio sit aliis anteponenda. Hinc patet responsio ad 2.um syllogismum.

COROLLARIUM.

Ergo Scriptura Sacra, ritè intellecta, est locus Theologicus omninò firmus.

Prob. Locus Theologicus omninò firmus est medium sive sedes et promptuarium ex quo Theologus sumit argumenta certa et inconcussa : atqui ex Scripturâ Sacrâ ritè intellectâ sumit Theologus argumenta certa et inconcussa. Nam Theologiæ proprium est, ut pluries diximus, principia Fidei adstruere, et ex illis conclusiones eruere : atqui ex Scripturâ certò et inconcussè demonstrantur principia Fidei, id est, propositiones à Deo immediatè revelatæ ; Deus etenim Sacrarum Scripturarum auctor, nec falli nec fallere potest ; ergo, etc.

Obj. Non repugnat Deum fallere sive per semetipsum, secundùm illud Ezech., cap. 14,

℣. 4 : *Homo..... qui posuerit immunditias in corde suo..... et venerit ad Prophetam interrogans per eum me : Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum ;* et ℣. 9 : *Propheta cùm erraverit....., ego Dominus decepi Prophetam illum ;* sive per alium, ut colligitur ex cap. 22, ℣. 21 et 22, lib. 3 Regum : Deo enim interroganti, quis decipiet Achab, egressus Spiritus respondit : *Ego decipiam illum....., ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis ; egredere et fac ita :* et reverà cùm error sit pœna quædam, nihil obstat quominùs Deus justus criminum vindex, in errorem inducat eos qui culpis præcedentibus decipi meruerunt.

Resp. 1.° *Nego ant.* Deum mentiri non posse Scripturæ Sacræ testantur. Hebr. cap. 6, ℣. 18 : *Impossibile est mentiri Deum.* Hinc D. Augustinus, lib. 22 de Civitate Dei, cap. 25 : *Si volunt*, inquit, *invenire quid Omnipotens non potest, habent prorsùs : Ego dicam, mentiri non potest.* Sed ne quis dicat quæstionem à nobis supponi, cùm probamus ex verbo Dei, cujus veritas in controversiam adducitur, Deum mentiri non posse : sic ex ratione efficaciter pugnamus. 1. Non posse mentiri est perfectio; siquidem concipimus ens essentialiter verax melius ente à quo proficisci error potest : atqui Deus omni perfectione donatur, ut probatur in Theodiceâ; ergo, etc. 2. Mendax aliud sentit et aliud loquitur; qui autem aliud sentit et aliud loquitur dicit se habere in mente id quod reverà non habet; qui dicit se in mente habere id quod reverà non habet, seipsum negat et

sibi contradicit : atqui repugnat ens perfectissimum seipsum negare et sibi contradicere ; ergo, etc. 3. Mendacium non modò est imperfectio quædam et deordinatio, sed etiam ortum habet ab aliquo defectu, v. g., timore, vanâ gloriâ, ambitione, pĕnuriâ, etc. : atqui omnes illi defectus à Deo exulant, cùm sit independens, summè potens et sibi sufficientissimus ; ergo, etc. 4. Deus potest creaturas suas rationales alloqui et verborum suorum fidem facere ; alioquin ex hâc parte ipso homine deterior foret : atqui si posset Deus mentiri, jam non posset creaturas suas alloqui et verborum suorum fidem facere, siquidem timere semper meritò possent ne Deus tunc vellet decipere ; ergo, etc.

Resp. 2.° *per singula. Ad* 1.^um^ Juxta stylum Scripturæ, ea Deus facere dicitur, quæ cùm possit impedire, ex justo judicio à malis fieri permittit. Hinc cùm legimus apud auctores sacros Deum indurare et decipere, sensus non est ipsum malitiam et errorem impertiri, sed illa mala ab ipso per denegationem gratiæ non impediri, juxta illud S. Aug. : *Deus obdurat non impertiendo malitiam, sed denegando gratiam.*

Ad 2.^um^ Quidquid sit de ratione pœnæ quam errori tribuit objectio, certum est Deum non posse inducere in errorem, quia illud essentialiter malum est ; *non sunt autem facienda mala*, ut habet S. Paulus, *ut eveniant bona.* Et verò eodem argumento conficeretur Deum posse impellere nos ad peccatum, quia peccatum ut potè summè malum, rationem pœnæ adjunctam habet : atqui absurdum est dicere Deum id posse ; ergo, etc.

§ II.

De authenticitate Vulgatæ Versionis.

Authenticitas vulgatæ versionis nihil aliud est quàm ipsius conformitas cum textu primigenio Scripturæ Sacræ; textus autem primigenius Scripturæ Sacræ ipsum est idioma seu lingua in quâ ab auctoribus exarata fuit : quæ quidem lingua non singulis Scripturæ partibus communis est; scilicet, omnes veteris Testamenti libri, si tamen nonnullos post Esdræ tempora græcè scriptos excipias, hebraicè, novi autem Testamenti libri græcè exarati sunt, dempto S. Matth. Evangelio, hebraico idiomate scripto; ex quibus patet textum Scripturæ Sacræ primigenium duabus linguis contineri, hebræâ et græcâ.

Cùm autem textus Scripturæ primigenius ab omnibus non poterat intelligi, plures diversis temporibus et variis linguis factæ sunt versiones illius, quarum tres magis præcipuè celebrantur, nempè translatio græca veteris Testamenti à septuaginta Judæis Interpretibus facta, sub Ptolomæo Philadelpho, Ægyptiorum Rege; vetus Itala, id est, versio latina totius Scripturæ Sacræ ab auctore incerto, ipso tempore Apostolorum adornata; et Vulgata nostra latina, quæ, quoad libros veteris Testamenti, paucis tamen exceptis, ipsa est versio quam ex hebræo fonte S. Hieronymus edidit, et quoad novum Testamentum, ipsa est vetus Itala versio ab eodem S. Doctore, jussu Damasi Papæ, ad textum græcum emendata.

Jam verò quæritur utrùm ex illis Scripturæ

versionibus, aliqua sit de quâ nobis certò constet eam esse authenticam, id est, conformem quoad sensum textui primigenio Scripturæ Sacræ, cujus quidem propter ignorantiam linguæ hebraicæ et græcæ satis communem, infrequens est in Scholis theologicis usus. Hæc quæstio maximi est momenti, et ex ejus solutione pendet usus primi loci theologici, id est, Scripturæ Sacræ. Quid enim proderit Theologis scire Scripturam Sacram existere cujus auctoritas omninò infallibilis est, nisi simul noverint quænam ex versionibus ejus, linguâ quam ipsi nôrunt, latinâ scilicet, editis, authentica sit. Ut autem pleniùs absolvatur hæc quæstio, duas conclusiones instituemus : in 1.ª adstruemus Vulgatam esse authenticam, id est, conformem textui primigenio Scripturæ Sacræ ; in 2.ª autem aperiemus quonam sensu declarata fuerit authentica.

CONCLUSIO PRIMA.

Vulgata nostra authentica est.

Prob. 1.°. *Ex dotibus ipsius auctoris.* Illa versio Scripturæ Sacræ authentica est, id est, conformis textui primigenio Scripturæ Sacræ, cujus auctor sanctitate eximiâ, profundiori doctrinâ et perfectâ linguarum peritiâ fuit insignis : atqui S. Hieronymus, vulgatæ versionis auctor, prædictis dotibus instructus fuit : sanctitatem ejus probat cultus sacer quo eum prosequitur Ecclesia Catholica ; eruditionem ejus testantur non solùm opera quæ in publicum edidit, sed etiam præstantissimi auctores et Patres Ecclesiæ, inter quos S. Aug., lib. 1 contra Julianum ; deindè linguarum fuit peritissimus. Hinc S.

Prosper de illo sic habet : *Hebræo simul et græco latinoque venustus eloquio, morum exemplar, mundique magister;* ergo, etc.

Et verò quatuor requiruntur conditiones in translatore ut versio ejus sit authentica, nempè cognitio linguarum quibus conscriptus est textus primigenius, assiduus labor, fidelitas, et usus Codicum seu exemplarium textûs primigenii quæ sint optimæ notæ : atqui quatuor illæ conditiones S. Hieronymo non defuerunt; de tribus prioribus satis constat ex jam dictis; de quartâ major difficultas, quæ sic probatur : certè S. Hieronymus in transferendâ Scripturâ Sacrâ usus est Codicibus optimæ notæ, modò eo quo scribebat tempore extarent optima exemplaria textûs primigenii maximè nota, quæque ab ipso facilè consuli potuerunt : atqui res ita est; nam facilè uti potuit textu primordiali, hebræo scilicet et græco, quem Origenes in suis Hexaplis fideliter inscribi curaverat.

Prob. 2.° *Ex usu et praxi Ecclesiæ.* Versio S. Hieronymi, quæ Vulgata dicitur eò quòd in totâ Ecclesiâ jam diù obtineat, statim atque edita, à nonnullis adoptata fuit Ecclesiis particularibus, sed non ab omnibus : plures enim eam rejecerunt propter suam novitatem, ut testatur idem S. Doctor. At verò post mortem ejus celebrior facta est, ita ut apud Ecclesiam ejusdem esset auctoritatis ac versio Itala, ut constat ex S. Gregorio Papâ, Præfatione in Libros Moralium, cap. 5, et in Epistolâ ad Leandrum. Demùm à VII seculo usque ad Concilium Tridentinum, sola auctoritatem habuit in Ecclesiâ Latinâ : atqui ex illo diuturno usu et praxi Ecclesiæ, satis liquidò constat Vulgatam

nostram esse authenticam. Enim verò absurdum est dicere veram Christi Ecclesiam *quæ est columna et firmamentum veritatis*, ut loquitur Apostolus, longo temporis tractu, nempè à VII seculo usque ad XVI, versionem spuriam et verbum Dei integrum minùs referentem adhibuisse in catechizandis rudibus, concionibus habendis ad populum fidelem, edendis fidei novis definitionibus, dogmatibus confirmandis, et Hæreticis refellendis : atqui tamen hæc omnia absurda involvit opinio quæ Vulgatæ nostræ authenticitatem abjudicat; ergo certum manet Vulgatam nostram esse authenticam.

Prob. 3.° *Ex solemni Decreto Concil. Trid., sess.* 4, cujus tenor sequitur : « Sacrosancta » Synodus considerans non parùm utilitatis ac- » cedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus » latinis editionibus quæ circumferuntur sacro- » rum librorum, quænam pro authenticâ ha- » benda sit, innotescat, statuit et declarat ut » hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo » tot seculorum in ipsâ Ecclesiâ probata est, in » publicis lectionibus, disputationibus, præ- » dicationibus et expositionibus, pro authenticâ » habeatur, et ut nemo illam rejicere, quovis » prætextu, audeat vel præsumat. » Undè sic argumentor : illa versio est authentica cujus authenticitas à judice infallibili definita est : atqui Vulgatæ nostræ authenticitas à judice infallibili definita est ; ergo Vulgata nostra authentica est.

Obj. contra 1.^{am} *prob.* S. Hieronymus in elaborandâ versione vulgatâ non fuit inspiratus; ergo versio dubiæ est auctoritatis.

Resp. Nego consequent. Ex eo quòd S. Hie-

ronymus in elaborandâ versione vulgatâ non fuerit inspiratus, sequitur duntaxat ipsum errare potuisse, non autem ipsum de facto errâsse. Quòd autem non erraverit de facto, probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ opus ejus usu constanti, et praxi suâ, et solemni Decreto comprobavit.

Inst. D. Hieronymus hebraïcæ linguæ non multùm peritus fuit, ut constat ex eo quòd ipse nonnulla in versione suâ emendaverit, et confessus sit rectiùs quandòque verti potuisse; ergo, etc.

Resp. Nego ant., cujus contrarium asserunt ex veteribus SS. Patres, ex recentioribus doctissimi et linguarum periti, inter quos Erasmus; et ex ipsismet Judæis, Rabbini quidam, quorum sanè testimoniis præjudicare non possunt pauci novatores, Lutherus, Calvinus, etc.

Obj. 2.° *contra* 2. *prob.* Ex eo quòd Ecclesia diù fuerit usa versione vulgatâ, non sequitur illam esse authenticam; alioquin eadem auctoritas tribuenda foret antiquæ Vulgatæ, quæ alio nomine dicitur vetus Itala; illa siquidem septem prioribus Ecclesiæ seculis prævaluit in Ecclesiâ Latinâ : atqui dici nequit Vulgatam antiquam esse authenticam : aliàs non fuisset ab Ecclesiâ derelicta, nec altera in ejus locum inducta.

Resp. Nego ant., et dico veterem Italam authenticam fuisse. Hinc ab Ecclesiâ non est derelicta quia erat spuria, sed quia perfectione cedebat vulgatæ versioni.

Obj. 3.° Authenticitas Vulgatæ ipsius est conformitas cum textu primigenio hebræo et græco: atqui Ecclesia in Conc. Trid. congregata non

potuit definire Vulgatam esse conformem textui primigenio hebræo et græco ; ergo , etc.

Resp. Nego min. Quidquid enim agit societas ex Spiritûs Sancti assistentis instinctu , illud sanè agere potest : atqui assistente Spiritu Sancto definivit Vulgatam esse conformem textui primigenio ; ergo , etc.

Inst. Ecclesia in Concilio Trid. congregata , non potuit definire vulgatam versionem conformem esse textui primigenio , nisi Patres hujus Concilii hebræum et græcum idioma noverint : atqui Patres Tridentini non noverunt hebræum et græcum idioma ; ut enim fatentur omnes , tunc temporis paucissimi , maximè inter Episcopos , linguarum peritiâ claruêre.

Resp. Nego maj. Ad declarandam authenticitatem vulgatæ versionis , duplex medium adhibere potuerunt Patres Tridentini , discussionem nempè , comparando textum Vulgatæ cum textibus primigeniis ; et auctoritatem , attendendo scilicet eamdem Vulgatam longo tot seculorum usu in Ecclesiâ fuisse probatam : atqui sive primum , sive alterum assumpserint medium Trid. Patres , non necessarium fuit ut omnes et singuli , vel etiam illorum major pars , hebræam et græcam linguam noverint : non quidem in primâ hypothesi ; discussio enim et comparatio textûs Vulgatæ nostræ cum primigenio , à paucis linguarum peritis Theologis et Episcopis fieri potuit , et ab aliis postmodùm approbari ; neque in secundâ hypothesi , ut per se patet.

Obj. 4.° Vulgata nostra in quibusdam contradicit textui hebræo et græco ; ergo textui primigenio non est conformis.

Resp. Vel contradictio quæ nonnumquàm reperitur inter Vulgatam nostram et textus primigenios versatur circa res alicujus momenti, fidem nempè et mores, factaque historica magìs præcipua, vel circa res leviores : si primum, lectio Vulgatæ præponenda est propter Ecclesiæ definitionem quæ ita declaravit Vulgatæ nostræ authenticitatem, ut altum siluerit de textu primigenio, qualis hodiedùm existit; et tunc Vulgata nostra non erit conformis textui primigenio hodierno, sed veteri tantùm, de quo maximè solliciti sumus. Si secundum, nulla difficultas est; omnes enim Catholici facilè concedunt in vulgatâ versione nostrâ quosdam leviores nævos reperiri qui authenticitati ejus minimè officiunt.

Obj. 5.° Tempore Concilii Trid. quàm plurima erant in versione vulgatâ menda, ut omnes fatentur; ergo ab eo non potuit declarari authentica.

Resp. Neg. consequent. nam præterquàm quòd menda illa non sunt magni momenti, ut constat ex collatione hodiernæ versionis vulgatæ cum illis editionibus quæ Concilium Trid. præcesserunt, certum est menda hujusmodi non fuisse in omnibus Vulgatæ exemplaribus, undè corrigi poterant, sicut reverà correcta sunt Sixti V et Clementis VIII diligenti accuratiorum Codicum examine. Porrò Concil. Trid. non ipsa Vulgatæ exemplaria in individuo, sed ipsam editionem in specie probavit. Ut autem inter omnia certò constaret de aliquo Vulgatæ determinato exemplari, jussit S. Synodus illam posteà quàm emendatissimè imprimi, ut huic editioni tanquam genuinæ Vulgatæ fides habe-

retur ; quod mandatum exsequi conati sunt multi ; ad felicem autem exitum rem perduxit Clemens VIII, cujus editio jam sola publicam habet in Ecclesiâ auctoritatem.

Inst. atqui etiam in vulgatâ versione, prout extat in editione Clementis VIII, menda reperiuntur, siquidem ipsi editores ejus in præfatione suâ testantur plura adhuc menda superesse. In eamdem descendunt sententiam Bellarminus et alii quorum operâ usus est Clemens VIII in correctione Bibliorum ; ergo, etc.

Resp. hæc menda quæ supersunt in vulgatâ versione post correctionem Clementis VIII, ut potè leviora, ejus authenticitati nullatenùs nocere ; ergo, etc.

Et hæc sufficiant de authenticitate vulgatæ versionis. Ut autem ad propositum revertamur, investigandum nobis est quonam sensu Tridentina Synodus definierit prædictam versionem authenticam esse, et nunquàm, sub quovis prætextu, in disputationibus rejiciendam.

Cùm quæstionis hujus solutio pendeat ex Decreto Concilii Trid., illud oculis subjiciendum duximus. Prædicta Synodus, Sess. 4, postquàm sacrorum librorum indicem et catalogum recensuit, de iis sic habet : « Si quis » autem libros ipsos integros cum omnibus » suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholicâ » legi consueverunt, et in veteri Vulgatâ latinâ » editione habentur, pro sacris et canonicis » non susceperit..... anathema sit.... Insuper » eadem sacrosancta Synodus considerans non » parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, » si ex omnibus latinis editionibus quæ circum-

» feruntur sacrorum librorum, quænam pro » authenticâ habenda sit, innotescat, statuit » et declarat ut hæc ipsa vetus et vulgata » editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsâ » Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, » disputationibus, prædicationibus et expo- » sitionibus, pro authenticâ habeatur, et ut » nemo illam rejicere, quovis prætextu, au- » deat et præsumat. »

Itaque Patres Tridentini declarant vulgatam versionem ita esse authenticam, ut libri quos continet integri, cum omnibus eorum partibus, sacri sint et canonici; nec ipsius auctoritas in disputationibus possit licitè rejici.

Hæc verba Decreti Concil. Trid., quantumvis clara primâ fronte appareant, non eodem tamen sensu ab omnibus intelliguntur. Hinc variæ circa præsentem quæstionem Theologorum opiniones, quæ ad tres præcipuas revocari possunt. Ut autem pleniùs intelligatur in quo dissentiant præfati Theologi, priùs exponere juvat ea in quibus concordes sunt. Itaque

Certum est 1.° Tridentinam Synodum declarando vulgatam versionem authenticam esse, eam nullatenùs textui primigenio hebræo et græco, etiam hodierno, anteposuisse. Contrarium quidem asserunt Protestantes, sed calumniosè, ut satis constat tum ex verbis Concil. Trid. mox relatis, in quibus nulla instituitur comparatio inter vulgatam versionem et textus hebræos et græcos, tum ex testimoniis Doctorum qui prædicto Concilio adfuerunt; nempè Salmeronis, Prolegomeno 3, et Andrææ Vega, lib. 15 de Justificatione.

Certum est 2.° authenticitatem Vulgatæ à

Concil. Trid. definitam, ab illâ non excludere cujuslibet generis errata, ea scilicet quæ ad stylum pertinent, ita ut solœcismis et etiam barbarismis quibusdam vitiari possit, necnon quædam loca minùs clarè et distinctè transferantur.

Tota igitur quæstio vertitur de sententiis sive rebus per verba expressis, utrùm quædam ex illis in Vulgatâ nostrâ reperiantur minùs veræ et autographo minùs conformes : porrò circa illam quæstionem tres, ut jam dixi, circumferuntur sententiæ.

1.ª Eorum est qui docent vulgatam editionem eo tantùm sensu declaratam fuisse authentîcam, quòd nullum errorem contra fidem vel bonos mores contineat. Hujus sententiæ propugnator esse videtur Andræas Vega mox appellatus : *Synodus Tridentina*, inquit, *eatenùs voluit vulgatam versionem authenticam haberi, ut certum omnibus esset nullo eam defœdatam errore esse, ex quo perniciosum aliquod dogma in Fide et moribus colligi possit.* Addit insuper Cardinalis à Sanctâ Cruce qui præfuit 4.æ Sessioni Synodi Tridentinæ, in quâ Decretum cujus modò sensum inquirimus emissum est, pluries fuisse sibi testatum, Tridentinos Patres nihil ampliùs definire voluisse.

Juxta auctores 2.æ sententiæ, vulgata versio ita declarata est authentica, ut quantùm ad sententias sive res expressas, quantumvìs leviores, cum primigenio Scripturæ textu divinitùs inspirato semper consentiat.

3.ª Sententia viam tenet mediam, duasque præcedentes aliquatenùs conciliare intendit. Hinc juxta illam, Decretum Concilii Tridentini

tini ita intelligendum est, ut nemini liceat Vulgatam nostram sub quovis prætextu rejicere quasi vel etiam minimæ notæ falsitatis apertæ certò argui possit, licèt non prohibeat quin eruditi critici textum hebræum et græcum quibusdam in locis, conjecturâ verisimili tantùm, vulgatæ versioni præferant.

Opinionem illam olim amplexus est illustrissimus Argentræus, Tutelensis Episcopus, cui jam præiverat Cardinalis Pallavicinus lib. 6 Hist. Conc. Trid., cap. 17.

CONCLUSIO II.

Ad servandam vim Decreto Concil. Trid. circa authenticitatem vulgatæ versionis emisso, non sufficit dicere prædictam versionem declaratam fuisse authenticam eo tantùm sensu quòd nihil contineat repugnans sanæ fidei et bonis moribus.

Prob. 1.° Si Vulgata fuisset authentica eo tantùm sensu quòd nihil contineat repugnans sanæ fidei et bonis moribus, jam Concil. Trid. nihil statuisset de iis quæ leguntnr in vulgatâ versione, et quæ nec ad fidem nec ab bonos mores pertinent: atqui falsum est Concil. Trid. nihil statuisse de iis quæ leguntur in vulgatâ versione, et quæ nec ad fidem nec ad bonos mores pertinent. Nam Sess. 4, declaravit omnes utriusque Testamenti libros integros, et cum omnibus suis partibus, prout in vulgatâ versione habentur, pro sacris et canonicis esse suscipiendos: atqui sunt in vulgatâ versione libri quidam, aut saltem partes illorum, videlicet historiæ, quæ nec ad fidem nec ad mores pertinent; ergo, etc.

Prob. 2.° Idem Concil., Sess. 4, statuit ut nemo vulgatam versionem, quovis prætextu, rejicere audeat in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus: atqui tamen si declarata fuisset authentica eo tantùm sensu quòd nihil repugnans sanæ fidei et bonis moribus contineat, jam posset aliquo prætextu rejici in publicis lectionibus, iis nempè quæ nec ad fidem nec ab bonos mores pertinerent; ergo, etc.

Prob. 3.° Aliqua versio non potest dici authentica nisi ad minùs secundùm suî maximam partem conformis sit, quoad sensum, textui primigenio: hæc propositio evidens est. Si enim aliqua versio secundùm partem notabilem non esset conformis, quoad sensum, scripturæ originali, jam versio ejusmodi esset quidem secundùm suî partem, non secundùm se totam, authentica: atqui Ecclesia declaravit vulgatam versionem esse authenticam; ergo ad minùs secundùm maximam suî partem conformis est textui primigenio, Deo inspirante scripto. Porrò longè major pars Scripturæ Sacræ nec ad fidem nec ad mores pertinet; ergo declaravit S. Synodus etiam de rebus quæ nec ad fidem nec ad mores pertinent, quæque in Vulgatâ continentur, ipsas authenticas esse.

§ III.

De Regulis in interpretandâ Scripturâ Sacrâ observandis.

Necessitas ejusmodi regularum oritur ex obscuritate verbi divini, quâ quidem ipsum laborare variis argumentis ex Scripturâ, Traditione

et experientiâ desumptis conficitur, quamvis dissentiant Protestantes qui, cùm velint Scripturam solam omnium Religionis controversiarum esse judicem, ipsam saltem in rebus necessariis claram esse, ipsisque rudibus obviam dicere coacti sunt : verùm facillimè revincuntur, ut jam dixi, 1.° ex Script. II. Petri, cap. 3, ℣. 16, *in quibus* (Epistolis S. Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti et instabiles depravant sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem;* 2.° Ex SS. Patr. inter quos S. Hieronymus sic habet, Epist. ad Paulinum, cap. 7 : *Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem quis possit... exponere?... Jacobus, Petrus, Joannes, Judas.... septem Epistolas ediderunt.... breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit qui non in earum lectione cæcutiat; Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba.* S. August., lib. 2 de Doct. Christ., cap. 6 : *obscurè quædam dicta* (in Scripturis Sacris) *densissimam caliginem obducunt.* 3.° Experientiâ. Si enim Scriptura Sacra adeò sit clara ut ipsismet imperitis proportionata sit, cur tanta est interpretationum ejus varietas? Non omnes et singulas in particulari, sed generaliores tantùm proponemus hìc regulas, in interpretatione Scripturæ observandas ut legitimus earum habeatur sensus.

Regula I. *Nullus Scripturæ Sacræ tribuendus est sensus alicui definitioni Ecclesiæ contrarius.*

Prob. Definitiones Ecclesiæ sunt omninò infallibiles, ut demonstratur in *Tractatu de Ecclesiâ* : atqui non licet tribuere Scriptu-

ris sensum contrarium definitioni infallibili; ergo, etc.

REGULA II. *Non licet Scripturas interpretari sensu contrario huic quem ipsis affingit Patrum unanimitas.*

Prob. ex Concil. Trid.; Sess. 4, sacrosancta Synodus decernit ut nemo in rebus fidei et morum contra unanimem consensum Patrum Scripturam Sacram interpretari audeat.

REGULA III. *Scriptura Sacra sensu litterali intelligenda est, non autem figurato, quotiescunquè ipsa juxta litteram intellecta nec fidei, nec bonis moribus, nec rationi evidenter repugnat; et vice versâ, toties figurato sensu, non autem litterali accipienda est, quoties intellecta juxta litteram, evidenter repugnat fidei et bonis moribus.*

Hanc regulam, cujus veritas vel leviter attendenti statìm patet, tradit S. August., lib. 3 de Doctr. Christ., cap. 11 et seqq.

REGULA IV. *Textus obscuri Scripturæ Sacræ illustrandi sunt ex antecedentibus, consequentibus, ex scopo auctoris sacri, et aliis Scripturæ ejusdem clarioribus locis.*

REGULA V. *Ad plenam et tutam Scripturarum intelligentiam necessum est cognoscere hebraismos et hellenismos, id est, quasdam loquendi formulas apud Græcos et Hebræos usitatas, et in vulgatam versionem introductas contra genium linguæ latinæ.*

REGULA VI. *Sensus litteralis Scripturæ ad probandum valet, non autem mysticus seu spiritalis, nisi certò constet ipsum à Spiritu Sancto fuisse intentum; constare autem potest vel ex Scripturâ ipsâmet, vel ex traditione.*

Sensus autem mysticus sive spiritalis ille est qui non verbis ipsis sed rebus per verba significatis indicatur, per oppositionem ad sensum litteralem, qui per verba immediatè significatur, v. g., vocabulum illud *Jerusalem* litteraliter significat urbem Judæorum regiam; spiritualiter verò et mysticè, patriam cœlestem.

ARTICULUS II.

De Traditione.

Traditio generatim sumpta est doctrina non scripta, et vivâ tantùm voce ab auctore suo prolata.

Traditio ex parte auctoris ejus divina est vel humana : traditio humana subdividitur in ecclesiasticam et profanam. Ecclesiastica iterùm duplex est, apostolica scilicet, quæ ab Apostolis tanquam pastoribus ordinariis originem trahit, et purè ecclesiastica quæ à successoribus Apostolorum principium habet. De Traditione divinâ hìc tantùm movetur quæstio, et definiri solet : *Verbum Dei non scriptum, sed vivâ voce quasi per manus ad nos usque transmissum*, juxta illud Apost. II. ad Timoth. cap. 2, ℣. 2 : *Quæ audisti à me* (ipse autem à Christo audierat) *commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere.* Scilicet, Apostoli à Christo et Spiritu Sancto multa didicerunt quæ Deo inspirante ab iis non fuerunt scripta, sed vivâ tantùm voce tradita pastoribus quos immediatè docuerunt; à quibus et successores eorum eamdem hauserunt doctrinam, et sic per gradus, descendendo usque ad tempora nostra.

Observandum est Traditionem dici *verbum*

Dei non scriptum, id est, non scriptum sub inspiratione Dei, quale est illud quod in codicibus sacris continetur; siquidem posteà SS. Patrum scriptis humanitùs exceptum est.

Traditio spectata ratione objecti sui vel est dogmatica vel practica. Prior aliquid credendum, posterior aliquid agendum exprimit : v. g., quòd valeat Baptisma ab hæreticis collatum, illud habemus à Traditione dogmaticâ sive speculativâ; quòd autem dies Dominica sanctificanda sit, à Traditione practicâ hausimus.

1.° Omnes, sive Catholici sive Hæretici, facilè consentiunt Traditionem sive verbum Dei non scriptum, ejusdem esse auctoritatis ac Scriptura Sacra, id est, verbum Dei scriptum. Tam enim repugnat Deum loquendo mentiri quàm scribendo.

2.° Certum est et apud Christianos inconcussum, Deum multa fuisse locutum quæ tamen, ipso inspirante, scripta non sunt, juxta illud S. Joannis, cap. 21, ℣. 25 : *Sunt alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.*

Itaque controversia in hoc sita est, utrùm Deus voluerit verbum ipsius, etiam non scriptum, esse regulam credendorum et agendorum in Ecclesiâ necessariò tenendam. Affirmant Catholici omnes. Hinc juxta ipsos, Traditio non minùs est locus theologicus quàm ipsa Scriptura Sacra. Negaverunt verò plures hæretici, et etiam hodiedùm negant Protestantes Lutherani et Calvinistæ, quia, ut loquuntur apud Melchiorem Canum, lib. 3, de Trad. Apost. cap. 1 : *Infidelis est et incerta illa per manus*

Traditio, quòd is qui accipit, vel non satis accuratè auscultat, vel morbi, ætatis, naturæque injuriâ nonnunquàm obliviscitur, vel certè interdùm moritur antequàm tradat accepta. Ea etiam, inquiunt illi, quæ de aure in aurem transeunt... non eadem profectò, perseverant, sed mutatis auribus permutantur; quin etiam pereunt, nisi ea litterarum monumenta conservent.

Duas instituemus conclusiones : in primâ demonstrabimus existentiam et necessitatem divinæ Traditionis ; in secundâ proponemus regulas quibus illa certò dignosci et ab eo quod ipsa non est discerni possit.

CONCLUSIO PRIMA.

Existit divina Traditio æquè ac Scriptura Sacra in credendis et agendis necessariò consulenda.

Prob. 1.° *ex Script.* I. ad Corinth., cap. 11, ℣. 2 : *Laudo autem vos, fratres,* inquit Paulus, *quòd..... sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* En Traditio, inquiunt Theologi, *tradidi vobis;* et quidem necessariò tenenda, cùm per modum præcepti se habeat, *sicut tradidi, præcepta mea tenetis;* et ℣. 23 ejusdem capitis : *Ego Paulus accepi à Domino quod et tradidi vobis* (nempè Eucharistiæ institutionem) ; ergo Apostolus priusquàm hæc scriberet, vivâ voce tantùm tradiderat Corinthiis doctrinam Sacramenti Eucharistiæ necessariò tenendam.

℣. 34 ejusdem capitis : *Cætera,* id est ea quæ ad congruam et dignam divinorum Mysteriorum celebrationem et sumptionem pertinent, *cùm venero, disponam :* atqui certum est illa omnia quæ postmodùm disposuit et ordinavit

Paulus, nec in Epistolis ejus, nec in ullo alio sacrorum Codicum libro contineri; ergo tradita sunt, non autem scripta.

II. ad Thessal., cap. 2, ℣. 14 : *Itaque, fratres, state et tenete Traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* In prædicto textu Doctor gentium quatenùs opponit doctrinam sermone traditam doctrinæ per Epistolam acceptæ, existentiam Traditionis adstruit; et quatenùs exigit à Thessalonicensibus ut Traditionem teneant, necessitatem ejus clarè demonstrat; et Epist. ejusdem cap. 3, ℣. 6 : *Denuntiamus vobis, fratres, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè et non secundùm Traditionem quam acceperunt à nobis.* Ex quibus colligitur quanta sit Traditionis necessitas, cùm ipsi repugnantes excommunicationis pœnâ digni sint.

II. ad Timoth., cap. 1, ℣. 13 : *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide, ... bonum depositum custodi.* S. Paulus præcipit Timothæo ut fideliter custodiat doctrinam quam vivâ voce à se audierat; ergo, etc.

Ejusdem Epist. cap. 2, ℣. 2 : *Quæ audisti à me..... hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere :* ex quibus inferre licet Apostolum quædam suis Discipulis vivâ voce tradidisse, cum obligatione strictâ eadem successoribus eorum transmittendi.

Deniquè, II. S. Joannis, ℣. 12 : *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui;* ergo omnem doctrinam scriptis non mandârunt Apostoli, sed partem illius vivâ tantùm voce fidelibus commiserunt.

Et hæc sunt luculentiora Scripturæ testimonia quibus Traditionis necessitatem conficere sibi videntur Theologi. Sed, ut fateamur quod res est, non adeò clara sunt, ut os adversariorum penitùs occludant : etenim vim exindè petitam sic eludere, si non elidere conantur. Textus illi, inquiunt, nullius sunt roboris : possunt enim distributivè intelligi, vel de Traditione scriptâ, non autem orali, qualis est illa de quâ agitur II. ad Thessal., cap. 2, ℣. 15; vel de Traditione orali quidem, sed humanâ tantùm, non divinâ; quædam enim statuerunt Apostoli independenter ab inspiratione divinâ, et ut Pastores ordinarii, juxta illud S. Pauli, I. Cor., cap. 2 : *Cæteris ego dico, non Dominus;* vel de Traditione divinâ et orali ex parte illius qui loquitur in allatis Scripturæ textibus, non autem ex parte aliorum, Apostolorum nempè et Evangelistarum qui fortè jam à Deo tradita, Deo inspirante scripserunt : v. g., D. Paulus, I. Cor., cap. 11, testatur se vivâ voce tradidisse Corinthiis doctrinam Eucharistiæ : porrò hæc doctrina quæ ex parte ipsius erat Traditio divina et oralis, ex parte S. Matth. erat Traditio scripta sive Scriptura Sacra. Iste enim Evangelium suum, in quo narratur Eucharistiæ institutio, Deo inspirante scripsit circa annum 33 æræ vulgaris; ille verò Corinthiis Christum annuntiaverat circa annum ejusdem æræ 52. Vel denique textus suprà exscripti intelligi possunt de Traditione divinâ primùm vivâ voce tantùm, postmodùm verò litteris expressâ. Nempè Apostoli, initio prædicationis suæ, multa sermone docuêre fideles quæ subindè consignata sunt scriptis.

Undè sic argumentantur adversarii : in omnibus textibus quos præbere solent Catholici ad demonstrandam divinæ Traditionis existentiam et necessitatem, nullus est cui non possit afferri una ex prædictis solutionibus ; ergo Catholicorum causam nihil juvare possunt.

Resp. Præterquàm quòd varietas illa sensuum in quos trahi possunt textus Scripturæ Sacræ, satis clarè evincit sub Deo provido non deesse Traditionis lineam, ad normam cujus exponuntur ; respondeo, inquam, textus suprà exscriptos in probationem nostræ Conclusionis, à SS. Patribus eo qui doctrinæ Catholicorum faveat sensu intelligi, ita ut ex illis, contra Hæreticos sui temporis Traditionis vim explodentes, ejusdem existentiam et necessitatem comprobarent.

Prob. 2.° *ex SS. Patribus.* S. Ignatius Martyr, teste Eusebio, lib. 3 Hist. Eccles., cap. 36, singularum civitatum quas ingrediebatur Ecclesias monebat imprimis *ut sibi à pravis Hæreticorum opinionibus caverent ; hortatusque est ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent.*

S. Iræneus, lib. 3. adversùs Hæreses, totus est ut ex Traditionibus Apostolorum Hæreticos sui temporis refellat : *Traditionem Apostolorum*, inquit, cap. 3, *in toto mundo manifestatam in omni Ecclesiâ adest perspicere omnibus qui vera velint audire.*

Origenes, Præfatione lib. 1 Peri Archôn, seu de Principiis : *Necessarium videtur*, inquit, de credendis.... *manifestam regulam ponere.... servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad*

præsens in Ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesiasticâ... discordat Traditione.

S. Basilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 27 : *Dogmata et instituta quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scripto proditâ, quædam rursùs ex Apostolorum Traditione recepimus... quorum utraque parem vim habent ad pietatem; nec iis quisquam contradicit, quisquis sanè, vel tenuiter, expertus est quæ sint jura ecclesiastica.*

S. Gregorius Nyssenus, lib. 3, contra Eunomium : *Sufficit nobis ad nostri dogmatis probationem, quòd venientem ad nos à majoribus Traditionem habeamus, tanquam hæreditatem quamdam, per successionem ab Apostolis, continuatâ per sequentes Sanctos serie, transmissam.*

S. Epiphanius, Hæres. 6 : *Sed et Traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcircò alia scripto, Traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt.*

S. Chrysostomus, homil. 4 in II. ad Thessal., ex his Apostoli verbis, *state et tenete Traditiones*, etc., ita colligit : *Hinc est perspicuum quòd non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna; quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam : est Traditio, nihil quæras amplius.*

Tandem S. Augustinus, lib. 2 de Baptismo, cap. 7 : *Quam consuetudinem* (non rebaptizandi eos qui ab Hæreticis baptizati sunt) *credo ex Apostolicâ Traditione venientem; sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in*

Conciliis posteriorum; tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis credita et commendata creduntur.

Prob. 3.° *ex Conciliis*, instar quorum omnium sit Concil. Trid. Sess. 4 : *Sacro-sancta Synodus omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti...*, *nec non Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenùs à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, et continuâ successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit ac veneratur.*

Prob. 4.° *ex praxi Ecclesiæ.* Certè existit divina Traditio, partialis credendorum et agendorum regula, modò quædam ab Eccclesiâ certò credantur dogmata in Scripturis minimè contenta. Hæc propositio evidens est; cùm enim omne dogma fidei ex verbo Dei sumatur necesse sit, ubi non continetur in verbo Dei scripto, in tradito habeamus omninò necesse est : atqui nonnulla dogmata fidei certò creduntur in Scripturis minimè contenta. Sint in exemplum dogmata de perpetuâ Beatæ Mariæ virginitate, et validitate Baptismi ab Hæreticis collati : hæc duo tanquam de fide certò creduntur ab Ecclesiâ, quamvis non legantur in Scripturis. Quòd quidem credantur ab Ecclesiâ, nempè Catholicâ, factum est evidens et publicum; quòd ab eâdem certò credantur, ex eo patet quòd sit vera Christi sponsa, columna et firmamentum veritatis; deniquè quòd non legantur in Scripturis, ex earumdem inspectione constat, necnon ex Patribus qui adversarios horumce dogmatum confutârunt.

Prob. 5.° Necessaria est traditio divina; ergo

existit. *Consequentia* patet : Deus enim in necessariis non deest Ecclesiæ suæ, cum quâ se futurum esse promisit cunctis diebus usque ad consummationem seculi, ut legere est apud Matth., cap. ultimo. *Antecedens* autem sic probatur : Illud Ecclesiæ necessarium est, sine quo ipsa nec libros sacros certò dignoscere, et canonicos ab apocryphis discernere, nec plures Scripturæ Sacræ textus interpretari potest : atqui sine Traditione Ecclesia non potest libros, etc. 1. Quidem librorum sacrorum divinitatem ex solâ Traditione dignoscere potest Ecclesia. Nam divinitas librorum sacrorum non est factum sensibile quod ex visu vel auditu possit attingi, ut patet; nec est veritas in rerum essentiis fundata, quæ per evidentiam intelligatur; ergo revelationem divinam necessariò exigit ut respectu nostrî fiat certa : atqui revelatio litteris consignata, id est verbum Dei scriptum, nihil habet de singulorum veteris et novi Testamenti librorum divinitate; quippè in Scripturis nullibi legitur eorum catalogus; ergo in verbo Dei tradito contineatur necesse est. 2. Traditione opus est Ecclesiæ ut plures Scripturæ Sacræ textus interpretari valeat. Nam multos legere est in Scripturis textus obscuros, ambiguos, et quorum sensus nec ex antecedentibus aut consequentibus, nec ex aliis clarioribus ejusdem instrumenti locis dilucidari possunt : atqui sine Traditione divinâ non potest Ecclesia interpretari textus obscuros, etc. Namque Ecclesia non potest interpretari Scripturas, quoad textus obscuros et ambiguos, quorum sensus dilucidari non potest nec ex antecedentibus, etc., quin noverit hunc vel illum sensum potiùs quàm

alium à Spiritu Sancto fuisse intentum : illud autem certò cognoscere non potest nisi ex verbo Dei tradito ; scriptum enim Dei verbum ex hypothesi deest ; ergo, etc.

Et verò cùm libri sacri fidei nostræ sint regula, aliquod medium suppetere debet Ecclesiæ ut illos cognoscere et à profanis discernere possit : medium illud non est lumen naturale, ut evidens est ; nec Scriptura Sacra ; in ipsâ enim legimus quidem existere libros sacros in genere : *Omnis Scriptura*, inquit Apostolus, II. Timoth., cap. 3, ℣. 16, *divinitùs inspirata utilis est ad docendum*, etc. ; nunquàm autem recenset in particulari libros quorum divinitatem agnoscunt Christiani ; ergo ad verbum Dei traditum necessariò confugiendum est.

Nec dicant Protestantes omnes et singulos Scripturæ Sacræ libros, si habeatur ratio eorum de quibus tractant, tam evidenter divinæ inspirationis præ se ferre characteres, ut quisquis ad eos vel leviter attendit, sine Traditionis auxilio statìm eos discernere valeat ; nec etiam confugiant ad radium Spiritûs Sancti à Claudio excogitatum, nec ad gustum internum Juriæi : hæc enim prætensa divinitatis Scripturarum agnoscendæ media fictitia sunt, vel etiam fanatismum redolent ; quod quidem ut omnibus pateat, hoc unum postulo, scilicet, ut novatores illi quoslibet è sectâ suâ maximè pios et sagaces viros eligant, quibus Ecclesiæ Traditio de sacris libris ignota sit, et inter sacros libros sine ullo discrimine inserantur quidam alii minimè Canonici, seu non divini ; postmodùm legant attentè, et judicium suum circa divinitatem librorum proferant ; experientiâ statìm comper-

tum fiet quàm vana, et ad fucum faciendum excogitata sint ejusmodi media.

Prob. 6.° *ex infirmitate momenti quo nituntur Protestantes ad rejiciendam Traditionem.* Ideò juxta illos procul rejicienda est Traditio, quia incerta et dubia est ejus auctoritas; non quidem in se, cùm sit verbum Dei cui falsum subesse non potest, sed respectu nostrî tantùm, quatenùs difficile est, ne dicam impossibile, ut certò cognoscere possint homines utrùm tale verbum quod traditum supponitur, reverà à Deo sit, nec ex transmissione ejus adulteratum: atqui hæc ratio nulla est: nam tum in lege naturæ, tum in lege Mosaicâ, traditio in negotio Religionis vim habuit: 1.° quidem in lege naturæ, id est, ab Adamo usque ad Mosen; siquidem hocce toto tempore, nulla fuit Scriptura Sacra, et extitit tamen verbum Dei, traditum scilicet: et verò sub lege naturæ homines salutem consequi poterant: Deus enim vult omnes homines salvos fieri, I. ad Timoth., cap. 2; non poterant autem salutem consequi nisi per fidem, *quia sine Fide impossibile est placere Deo*, ad Hebr., cap. 11; at verò ut fidem conciperent, ipsis necessarium fuit verbum Dei scriptum aut traditum; siquidem fides est assensus immobilis veritatibus à Deo revelatis, propter ipsius loquentis auctoritatem; ergo cùm, nullo diffitente, verbo Dei scripto caruerint homines sub lege naturæ, dicendum superest Traditionem ipsis à Deo fuisse concessam velut medium proportionatum et infallibile perveniendi ad cognitionem veræ Religionis; ergo 1. sub lege naturæ, etc. 2.° Sub lege Mosaicâ, traditionis usus non minùs viguit apud Israeli-

tas : illi enim non solùm Scripturâ sed etiam Traditione usi sunt, apud quos multa de fide credebantur in sacris Codicibus aut nusquàm aut non satis clarè expressa : atqui Israelitæ multa de fide crediderunt, etc., v. g., resurrectionem corporum, ultimum judicium, felicitatem et damnationem æternam, quæ quidem nullibì leguntur in Pentateucho ; ergo 2, aliundè, etc. ; ergò, etc.

Obj. 1.° Multos Scripturæ textus nobis opponunt Hæretici ; eos omnes non referre vacat, sed præcipuos seligimus, ex quibus datâ solutione, quid de aliis sentiendum cuique colligere promptum erit.

1.° Deuteron., cap. 4 : *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo :* atqui Traditio verbo Dei scripto superadditur ; ergo, etc.

2.° Ad Gal., cap. 1.° : *Licèt Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit :* porrò Traditio est præter Evangelium ; ergo, etc.

3.° Joann., cap. 20 : *Multa alia signa fecit Jesus quæ non sunt scripta in libro hoc : hæc autem scripta sunt ut credatis, et ut credentes vitam habeatis ;* ergo quæ scripta sunt ad salutem obtinendam sufficiunt, ac proindè superflua est Traditio.

4.° II. ad Timoth., cap. 3 : *Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei :* sed ex hypothesi quòd homo habeat ex Scripturâ Sacrâ ut sit perfectus, profectò Traditione non indiget ; ergo, etc.

5.° Matth., cap. 15 : *Irritum fecistis mandatum Dei*, inquit Christus, *propter traditiones vestras :* ex quibus patet quàm malè apud Christum habita fuerit Traditio.

Resp. ad 1.um : Moyses prohibuit fieri additionem verbo quod locutus est, non autem præcisè verbo quod litteris mandaverat; deindè non omnem ibi reprobavit additionem, sed eam tantùm quæ doctrinæ ab ipso propositæ contraria foret.

Ad 2.um *resp.* Apostolum anathema dicere cuicunque annuntiaverit aliquid non diversum, sed contrarium doctrinæ quam Galatis prædicaverat, ita ut sensus ejus iste sit : *Licèt Angelus de cœlo evangelizet vobis præter*, id est, contra id *quod evangelizavi vobis, anathema sit :* legitimitas hujus interpretationis patet tum ex eo quòd vox græca *para*, latinè *præter*, pluries in Scripturis sumatur pro *contra ;* tum ex scopo S. Pauli qui hæc scripsit occasione zelatorum legis, qui Galatis persuaserant observationem legis Mosaicæ omnibus Christianis sub lege novâ necessariam esse ad salutem ; quæ quidem opinio non solùm diversa, sed etiam contraria erat doctrinæ S. Pauli.

Ad 3.um : S. Joannes non loquitur de doctrinâ quam scripsit in Evangelio, sed de miraculorum sufficientiâ; ergo nihil exindè adversùs Traditionis necessitatem colligi potest.

Ad 4.tum : Apostolus dicit Scripturam utilem esse ad docendum ut homo sit perfectus; quod ultrò, intactâ nostrâ thesi, concedimus, non autem asserit eam esse sufficientem : *Pietas ad omnia utilis est*, ut loquitur idem Apostolus, non tamen ad omnia sufficit; ergo à pari licèt

Scriptura sit utilis ut homo perfectus evadat, non sequitur ipsam ad hunc finem esse sufficientem.

Ad 5.um : textus ille S. Matth. extra rem est. In eo enim sermo fit non de Traditione divinâ, quam solam hìc defendimus, sed de traditionibus humanis, nempè pharisaicis, quas omninò cum Christo reprobamus.

Obj. 2.° *ex Patribus.* Tertull. Lib. adversùs Hermogenem, cap. 22 : *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem.* Quænam autem esset in mente Tertulliani Scripturarum plenitudo, si quædam dogmata in solâ Traditione contineantur, ut volunt Catholici? ergo, etc.

Resp. Tertull. Scripturarum adorare plenitudinem quoad quæstionem inter ipsum et Hermogenem controversam. Hermogenes, scilicet, credebat materiam non fuisse creatam; Tertullianus autem in causæ suæ præsidium Scripturam afferebat, quæ rem planè dirimebat per hæc verba : *In principiò creavit Deus cœlum et terram.* Ipsius autem mens non fuit Scripturarum admittere plenitudinem eo sensu quòd recursus ad Traditionem non esset necessarius quoad multas quæstiones, cùm ipse sæpiùs ex Traditione Hæreticos confutaverit.

Inst. 1.° Atqui etiam eo sensu quo Traditio minimè sit necessaria plenitudinem Scripturarum admittebat Tertullianus. Nam, libro de Carne Christi, sic Marcionem alloquitur : *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers;* ergo solius Scripturæ auctoritatem admittebat Tertullianus.

Resp. Tertull. in allato textu, non omnes extra Scripturam rejicere Traditiones, sed eas

tantùm quas hæretici, velut Marcion, ex suo fingebant.

Inst. 2.° S. Athan., Oratione contra Gentes : *Sufficiunt*, inquit, *per se Sacræ Scripturæ ad veritatis indicationem;* ergo, juxtà ipsum, inutilis est Traditio.

Resp. Dist. ant. Sacræ Scripturæ sufficiunt ad indicationem alicujus veritatis, *conc.;* omnis veritatis, *nego.* Ille Doctor intelligendus est de sufficientiâ Scripturæ ad probationem alicujus veritatis tantùm; nempè in prædictâ Oratione, duo probanda suscipit contra gentes, primum quòd idola non sint dii, alterum quòd Christus sit verus Deus. Cùm autem illa duo expressa habeant in Scripturis testimonia, meritò asseruit eas sufficere ad indicationem veritatis illius, scilicet, quam probandam susceperat: porrò ex eo quòd sufficiat Scriptura ad indicandas aliquas veritates, minimè sequitur Traditionem non esse necessariam quoad alias veritates quæ nullatenùs aut nimis obscurè in Scripturâ continentur.

Inst. 3.° Idem S. Doctor Epist. 1 ad Serapionem, sic loquitur : *Ne igitur interroges; sed solùm ex sacris litteris ediscas : sufficiunt enim quæ in illis reperias documenta;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Ut intelligatur textus S. Athanasii, observandum S. Doctorem ibi pugnare adversùs Arianos et Macedonianos, qui occasione consubstantialitatis Filii cum Patre, et Spiritûs Sancti cum Patre et Filio, ineptas et blasphemas miscebant quæstiones; aiebant enim : Si Spiritus Sanctus ex Patre procedit et Filio, erunt inter se germani Verbum et Spiritus Sanctus; quòd si germani sunt,

quomodò Verbum unigenitus nominatur; si Spiritus Sanctus Filii est spiritus, ergo Pater Spiritui Sancto avus existimari debet. Ad illas autem stultas et blasphemas interrogationes respondet S. Athanasius : *Ne igitur interroges*, de iis, nempè, quæ mox retulimus, *sed solùm ex sacris litteris ediscas*, videlicet, propria cujuslibet Personæ in Deo nomina; *sufficiunt enim quæ in illis reperies documenta*, nempè, circa hanc specialem de nominibus trium Personarum quæstionem. Ex quibus patet sic posse distingui textum S. Athanasii : quæ in Scripturis reperies documenta, sufficient quoad aliqua, hoc est, trium Personarum nomina, *conc.*; quoad omnia fidei dogmata, *nego*.

Inst. 4.° Idem, Epist. 39, de Libris canonicis, dicit in iis solis pietatis scholam beatè annuntiari; ergo independenter à Traditione sufficiunt etiam quoad omnia.

Resp. Dist. textum. Pietas annuntiatur in solis Libris Canonicis per exclusionem librorum apocryphorum, *conc.*; per exclusionem traditionis, *nego*. Itaque S. Athanasius mentem suam aperit initio Epistolæ quæ nobis objicitur : *Quandoquidem*, inquit, *aggressi sunt aliqui describere sibi apocrypha, et ea cum Scripturâ divinitùs inspiratâ confundere, de quâ certissimè persuasi sumus, quemadmodùm tradiderunt Patres qui ab initio spectatores et ministri sermonis fuerant, visum est mihi ab initio exponere Canonica et tradita, nec non credita divina Biblia*; post hæc Libros Canonicos enumerat S. Athanasius, de quibus subjungit : *In his solis pietatis Schola beatè annuntiatur*; ex quibus liquet S. Doctorem per hæc verba, *in his*

solis, non excludere Traditionem, sed libros apocryphos qui in patrocinium erroris à quibusdam velut divini obtrudebantur.

Inst. 5.° S. Basil. in Asceticis, cap. de verâ et piâ Fide: *Manifestissimum*, inquit, *hoc infidelitatis argumentum quærit, et signum superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt aliquid velit rejicere, aut eorumquæ non sunt scripta introducere*; ergo Traditionem non scriptam invehere nefas est.

Resp. Nego consequent. Hæc legitima est S. Basilii interpretatio: superbiæ signum est non scripta introducere quasi scripta fuerint, id est, scripturas apocryphas more Hæreticorum obtrudere, vel introducere non scripta quæ Scripturis Sacris contraria sint: quæ quidem duo sunt verissima, et Traditioni divinæ nullatenùs officiunt. Ex his autem quæ proximè sequuntur textum *in objectione propositum* confirmatur expositio nostra.

Inst. 6.° S. Chrys. Homil. in Psal. 95: *Non oportet quidquam dicere sine testibus, et solâ animi cogitatione; nam si quid dicitur absque Scripturâ, auditorum cogitatio claudicat*; ergo non existit revelatio quæ sit credendorum et agendorum regula, alioquin quod ex ipsâ et Scripturis diceretur, auditores confirmaret.

Resp. Nego consequent. Hoc unum voluit asserere D. Chrysostomus, sermonem firmissimis argumentis, et non solâ auctoris ejus cogitatione inniti debere, ne mens auditorum hæreat anceps et fluctuet; ideòque recurrendum ad Scripturam Sacram in confirmationem sermonis, non quasi excludat probationes ex Traditione petitas, sed Scripturam tantummodò

appellat, eò quòd sit argumentorum fons primus et præcipuus.

Inst. 7.° S. Cyrillus Catechesi 4.ª : *Divinorum sanctorumque fidei sacramentorum nihil, ne minimum quidem, absque divinis Scripturis tradi debet:* atqui si Traditio sicut et Scriptura credendorum foret regula, aliquid fidei absque Scripturis tradi posset; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Absque Scripturis nihil tradi debet, quoad articulos fidei in Symbolo contentos, *conc.;* quoad omnes omninò fidei articulos, *nego.* Itaque S. Cyrillus in suis Catechesibus articulos Symboli Apostolorum proponit et explicat Catechumenis; cùm autem ex illis nullus sit articulus qui Scripturis non contineatur, meritò asserit nihil circa prædictos articulos tradi debere, absque Scripturarum testimonio. At nihilominùs Traditionis auctoritatem agnovit, tum quoad alios articulos in Scripturâ non expressos, tum etiam quoad illos qui exprimuntur in Scripturis, sed paulò obscuriùs.

Inst. 8.° S. Hieron. in cap. 23, S. Matth.: Quod *de Scripturis non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur quâ probatur;* ergo contemnenda est Traditio.

Resp. hæc dixisse S. Hieronymum non in contemptum Traditionis divinæ, sed propter quædam apocrypha, quorum omninò spernebat auctoritatem; scilicet, in prædicto textu inquirit quis sit ille Zacharias filius Barachiæ qui, teste Christo, occisus est inter templum et altare: *Alii,* inquit, *Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes; hoc autem,* pergit S. Doc-

tor, *quia de Scripturâ non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur quâ probatur*: ex quibus manifestum est S. Hieronymum, in prædicto textu, non Traditionis, sed librorum apocryphorum auctoritatem explosisse.

Inst. 9.° S. Aug., lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 9 : *In iis*, inquit, *quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent Fidem, moresque vivendi, Spem scilicet atque Charitatem*; undè sic : Traditio non est necessaria nisi propter dogmata nullatenùs aut obscuriùs in Scripturis contenta : atqui, juxta S. Augustinum, omnia dogmata in apertis Scripturæ testimoniis continentur ; ergo, etc.

Resp. 1.° Ex illo S. Augustini textu et aliis postmodùm referendis, quantumvis solutu difficilibus, impugnari non potest conclusio nostra : namque vel illi textus S. Augustini Traditionem explodunt, vel non : si posterius, jàm evanescit difficultas ; si prius asseratur, jam S. Augustinus sibi contradicit, et ideò in præsenti casu seponenda est ipsius auctoritas ; evidentissimum est enim S. Doctorem in aliis operum suorum locis, Traditionis existentiam ac necessitatem admisisse : existentiam quidem Traditionis admisit, cùm ex ipsâ argumentando Donatistas debellavit, Baptismi ab Hæreticis collati validitatem negantes ; admisit quoque necessitatem ejus, cùm ipse confessus sit hocce dogma catholicum efficaciter ex Scripturâ probari non posse.

Resp. 2.° Huic textui duplex afferri solet responsio : juxta primam, ea fuit mens S. Augustini, nempè, omnia quæ spectant tum ad

fidem explicitè tenendam ab omnibus et singulis fidelibus, id est, articulos in Symbolo contentos, tum ad præcepta morum primaria quæ in Decalogo continentur, in Scripturis clarè enuntiari, quod verum est salvâ Traditionis existentiâ et necessitate. Ista autem responsio confirmari potest ex eo quòd S. Augustinus in libris de Doctrinâ Christianâ simplices alloquatur fideles, quorum fides explicita, ordinariè loquendo, non sese extendit ad omnes omninò fidei articulos, sed ad præcipuos tantùm. Juxta secundam responsionem, sensus hujus loci non est quòd omnia omninò fidei dogmata, nec non morum præcepta, apertè posita sint in Scripturâ, sed quòd ea omnia quæ in sacris codicibus clariùs enuntiantur, ad fidem aut mores pertineant : quidquid enim dicitur in Scripturâ, in hunc finem à Deo dirigitur ut ipsi credamus, et ex charitate serviamus.

Inst. 10.° Lib. 2, de Peccatorum meritis et remissione cap. 32 : *Ubi*, inquit S. Doctor, *de re obscurissimâ disputatur, non adjuvantibus Scripturæ certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio ;* atqui si Traditio esset regula credendorum, Scripturâ deficiente, ad verbum Dei traditum confugiendum foret ; ergo, etc.

Resp. S. August. hæc pronuntiâsse occasione quæstionis cujusdam tenebris plurimùm involutæ, videlicet, de origine animarum, circa quam, supponendo nihil de eâ contineri in Traditione, meritò consequenter asserebat, Scripturæ Sacræ non adjuvantibus testimoniis, cohibendam esse humanam præsumptionem,

id

id est, suspendendum esse assensum. At verò quid exindè contra traditionem eruere possunt adversarii ?

Obj. 3.° Impossibile est verbum Dei traditum, vel hominum incuriâ brevi non interire, vel eorumdem malitiâ non adulterari ; nam constat experientiâ doctrinas sublimiores, et facta etiam celeberrima, intra paucos annos penitùs ex hominum memoriâ deleri, si litteris aliisve stabilibus monumentis non consignentur, aut saltem ex transmissione eorum ita corrumpi et essentialiter immutari, ut omninò diversa et etiam quandòque contraria esse videantur : v. g., ex omnibus olim præclarè factis, ea tantùm novimus quorum memoria ab Historicis conservata est ; cætera enim penitùs oblitterata sunt. Nonne traditiones Adamo concessæ, et ab eodem posteris suis transmissæ, paulò post interierunt, aut ita depravatæ sunt ut dederint occasionem Paganismi fabulis ? ergo, etc.

Resp. Nego ant. Impossibile non est Traditionem divinam conservari, et ab uno seculo in sequentia fideliter transmitti. Deus enim illius conservationi, pro suâ erga Religionem Christianam providentiâ, benignus invigilat. *Quòd si Christi providentia*, inquit Melchior Canus, *Ecclesiæ deest, nec Traditiones defendo, nec Scripturarum auctoritatem : utraque enim res sine Dei procuratione non constat.* Porrò hæc cura Traditionis servandæ non hominibus propriè incumbit, inquit Bellarminus, sed Deo qui Ecclesiam regit. Sicut ergo Deus conservavit eam usque in diem hanc contra persecutiones tyrannorum, et Philosophorum

impugnationes, Judæorum et hæreticorum fallacias ; sicut conservare potuit traditiones ad salutem consequendam necessarias, ab Adamo usque ad Moysen, et à Moyse usque ad Christum ; ita non deerit Ecclesiæ suæ, ut ea quæ ipsi vivâ voce tantùm tradita sunt, fideliter usque ad finem mundi custodiantur. Plura sunt autem media quibus Deus utitur ad conservandam Traditionem suam.

Primum medium est continua Pastorum Ecclesiæ Catholicæ successio ; scilicet, Apostoli verbum Dei traditum discipulis suis et Ecclesiæ Pastoribus vivâ voce communicârunt, ipsis præcipiendo non solùm ut depositum servarent, sed etiam audita commendarent fidelibus hominibus qui idonei essent alios docere, juxta verba S. Pauli, II ad Timoth. cap. 2. Isti verò eamdem tenuêre erga successores suos agendi rationem, et sic deinceps. Cùm autem à tempore Apostolorum usque nunc perpetua fuerit, et ad finem mundi perpetua esse debeat Pastorum in Ecclesiâ Catholicâ successio, facilè concipitur quâ ratione divina Traditio ad nos defluxerit, et ad successores nostros fideliter transmittenda sit. Nec dicatur vix contingere potuisse ut in tam longâ Pastorum serie, ipsi non suo defuerint officio, vel tradita sibi aliis non communicando, vel à prædecessoribus suis accepta immutando et corrumpendo. Nam illud repugnat promissioni divinæ factæ Apostolis et eorum successoribus apud S. Matth. cap. ultimo : *Euntes docete*, inquit Christus ; *ecce ego vobiscum sum*, etc.

Secundum medium frequens est et continuus in Ecclesiâ Traditionum usus : difficile est enim,

ne dicam impossibile, dicta vel facta maximi momenti, in aliquâ societate numerosâ, ex hominum memoriâ deleri aut etiam substantialiter adulterari, cùm ipsorum jugis et continua fit mentio : atqui Ecclesia Catholica ubiquè diffusa Traditionibus divinis jugiter usa est, namque Traditiones divinæ vel habent pro objecto dogmata Fidei quorum summa in Symbolo Apostolorum continetur, vel præcepta morum compendiosè in Decalogo inclusa, vel Sacramenta Ministris conficienda et à fidelibus devotè suscipienda, vel generalem Disciplinam de Ecclesiæ regimine ubiquè observandam : atqui horumce omnium talis est natura, ut de his frequens et continua fieri debeat mentio in Ecclesiis. Quemadmodùm igitur lingua continuo usu, absque scriptis, conservari potest ; sic Traditio divina eâdem ratione conservari in Ecclesiâ potest.

Tertium medium constituimus in scriptis Patrum qui à primis Ecclesiæ seculis floruêre, et in definitionibus Conciliorum, quorum primis Ecclesiæ incunabilis frequentissimus erat usus. Hæc enim perennia sunt divinæ Traditionis monumenta. Et verò cùm fateantur adversarii dogmata Sacris Scripturis expressa, in Ecclesiâ potuisse conservari, diffiteri non possunt quin Traditiones divinæ, etsi ab auctoribus sacris ex inspiratione divinâ non scriptæ, ab eâdem Ecclesiâ retineri potuerint, juvantibus SS. Patrum et Conciliorum scriptis, quorum opera vel acta in Ecclesiis studiosè servabantur, ut in variis quæ circa Fidem, mores et disciplinam exoriebantur disputationibus interrogarentur.

Et hæc sunt tria media quibus ad conser-

vandam in Ecclesiâ Traditionem usus est olim Deus et hodiè nunc utitur. Quæ sanè cuilibet viro attendenti aptissima huic fini videbuntur, maximè cùm ipsis ex eâ parte quâ naturaliter deficere possint, speciali Dei erga Ecclesiam suam providentiâ, abundè suppletur.

Jam superest expendenda præcipua ratio quam afferunt Protestantes ut adstruant contra Catholicos inutilem esse Traditionem : scilicet cùm Traditionis necessitatem ex eo præsertim capite impugnent Hæretici hodierni, quòd impossibile sit, ut aiunt, divinas Traditiones cognoscere, et ab humanis certò discernere, operæ pretium est varias exponere regulas quibus in illarum discretione uti debemus.

CONCLUSIO II.

Sunt Regulæ ex quibus Traditiones divinæ certò cognosci, et ab humanis secerni possunt.

Prob. Ex regularum enumeratione.

REGULA I. *Omnis doctrina in Scripturis quidem non contenta, sed ab Ecclesiâ tanquam de Fide credita, ad Traditionem divinam pertinet.*

Prob. Ecclesia circa Fidem errare non potest, ita ut nec falsa credere, nec etiam vera extra verbum Dei posita pro revelatis habere possit : atqui si doctrina in Scripturis non contenta et ab Ecclesiâ firmâ fide credita, ad Traditionem divinam non pertineret, jam ipsa circa Fidem errori foret obnoxia ; ergo, etc.

Hinc Tertullianus, lib. de Præscript., cap. 28: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

REGULA II. *Si quod Fidei dogma sacris*

litteris non consignatum, SS. Patres ab initio, secundùm temporum suorum successionem, concordissimè tenuerunt, hujusque contrarium ut verbo Dei repugnans reprobârunt, illud per Traditionem divinam accepit Ecclesia.

Veritas hujus regulæ confirmabitur ex dicendis ubi de SS. Patrum auctoritate.

REGULA III. *Praxis totius Ecclesiæ cujus Deus solus auctor esse debuit, si nullum in Scripturis habeat fundamentum, suam à divinâ Traditione originem necessariò mutuatur.*

Prob. Ecclesia sibi non potest tribuere jus quod non habet; est enim infallibilis, ut probatur in *Tractatu de Ecclesiâ* : atqui tamen si praxis totius Ecclesiæ cujus Deus solus auctor esse debuit, suam ex Traditione non duceret originem, jam Ecclesia sibi tribueret jus quod non habet. Consonat D. Augustinus, lib. 2, de Bapt., cap. 7 : *Consuetudinem non rebaptizandi Hæreticos credo ex apostolicâ (hoc est divinâ) Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.*

REGULA IV. Traditur à S. Augustino, lib. 4, cap. 22, contra Donatistas : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

At dicet fortè aliquis : Nonne Traditiones apostolicæ duplicis sunt generis? quædam enim, utpotè Deo inspirante, ab Apostolis concredita, ad divinas Traditiones revocari debent; cæteræ autem quæ ab iisdem Apostolis, Deo tantùm

assistente, originem ducunt, inter humanas meritò collocantur : porrò si hæc distinctio valeat, inutilis omninò videtur Regula IV, superiùs allata ad Traditionem divinam cognoscendam, ipsamque ab humanâ secernendam; demus enim quòd consuetudo in omnibus Ecclesiis usitata, semperque ab iisdem retenta, cujus institutio nec in Romanos Pontifices nec in Concilia rejici potest, inter apostolicas Traditiones computanda sit; ulterius inquirendum superest utrùm illa sit apostolica-divina, vel humana-apostolica tantùm.

Ad solutionem hujus difficultatis, *observandum est* 1.° Traditiones apostolicas, si dogmaticæ sint, in Deum ipsarum auctorem esse refundendas : solus enim Deus potest articulos Fidei condere.

Observandum est 2.° Quantùm ad Traditiones apostolicas ad praxim pertinentes, non unam omnium esse de iis sententiam : alii putant omnes leges ab Apostolis traditas eo ipso esse divinas, eò quòd, inquiunt, nihil statuerint Apostoli in Ecclesiâ nisi ut Christi ministri, et inspirante Deo; cæteri verò docent Apostolos non solùm Deo inspirante, et ex potestate extraordinariâ, sed etiam ex ordinariâ potestate, et assistente tantùm Spiritu Sancto, quædam ad bonum Ecclesiæ regimen decernere potuisse, et reverà decrevisse, v. g., abstinentiam à suffocato et sanguine in primo Concilio Hierosolymitano introductam, et observantiam Quadragesimæ. Huic autem posteriori adhæremus sententiæ, tum quia certum est Apostolos eâdem quâ nunc instruitur Ecclesia leges condendi merè ecclesiasticas ordinariâ potestate

fuisse instructos; quidquid enim potestatis nunc habet Ecclesia, illud à prædecessoribus suis immediatè accepit; isti autem ab anterioribus, et sic per gradus ascendendo usque ad Apostolos; tum quia videtur ipsos hâcce leges merè ecclesiasticas ordinariâ condendi potestate fuisse usos: hinc S. Paulus, I. ad Cor., cap. 7, ℣. 12: *Cæteris*, inquit, *ego dico, non Dominus*. His positis, libenter concedimus IV Regulam, superiùs expositam, inservire quidem ad cognoscendas Traditiones apostolicas illasque ab ecclesiasticis secernendas; ipsam verò insufficientem esse ad hoc ut cognoscatur quænam ex Traditionibus apostolicis divinæ sint, quænam verò merè apostolicæ, id est ab Apostolis ex potestate ordinariâ, Deique tantùm assistentis præsidio Ecclesiæ transmissæ. Itaque criterium aliud assignandum est, nempè: 1.° si quid in Ecclesiâ semper retentum et observatum fuit tanquam pertinens ad Fidem, ut mos baptizandi infantes, illud ad divinam Traditionem procul dubio referri debet: Fides quippè solius Dei auctoritate nititur; 2.° si SS. Patres et Theologi communi consensu aliquam praxim Christo auctori tribuant, dicantque illam esse præcepti divini.

Hìc locuti sumus de Traditionibus divinis, non autem apostolicis et ecclesiasticis, quia apostolicæ, ut jam diximus, vel revocantur ad divinas, si Deum inspirantem auctorem habeant, vel ad ecclesiasticas si ab Apostolis, Deo tantùm assistente, originem ducant. Traditiones autem ecclesiasticæ, id est, quarum Ecclesia auctor est per suos præpositos, ad tertium locum theologicum pertinent.

ARTICULUS III.

De Auctoritate Ecclesiæ.

Ecclesia definiri solet : *Cœtus hominum unius et ejusdem Fidei professione, eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præsertim Romani Pontificis, primi in terris Christi Vicarii.* Major hujus definitionis intelligentia ex *Tractatu de Ecclesiâ* debet comparari.

Ecclesia etsi una et individua societas, duabus tamen constat partibus, quarum prima dicitur Ecclesia *docens* et altera *audiens* : Ecclesia *docens* coalescit ex Pastoribus Ecclesiæ, quibus dictum est à Christo in personâ Apostolorum, Matth. 28, 19 : *Euntes docete omnes gentes..... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Ecclesia *audiens* constat fidelibus subditis, quibus Pastorum Ecclesiæ definitionibus et decretis parere mandatum est, juxta istud Christi, Luc. 10, 16 : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit;* et Matth. 18, 17 : *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus;* quibus consonat Apostolus, Hebr. 13, 17 : *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, et subjacete eis.*

Cùm autem agitur de tertio loco theologico, quem in auctoritate Ecclesiæ reposuimus, istud Ecclesiæ nomen priori sensu accipitur. Etsi enim Ecclesia audiens infallibilitatem passivam habeat, ita ut repugnet ipsam errorem combibere, juxta illud Christi, Matth. 16, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo*

Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; attamen cùm totam suam in Fide et in moribus firmitatem accipiat ab Ecclesiâ docente, tota quæstio ad istam, non autem ad illam revocari debet. Ergo status quæstionis est, utrùm auctoritas Ecclesiæ docentis invictum Theologis præbeat argumentum. Certò res sic se habet ex hypothesi quòd à Christo concessum ipsi fuerit infallibilitatis privilegium. Verùm quia multiplex est objectum circa quod auctoritatem suam exercere potest Ecclesia, Fides, nempè, Disciplina, facta dogmatica, meritò quæritur utrùm infallibilitas Ecclesiæ ad hæc omnia sese extendat; deniquè cùm Ecclesia variis modis docere possit, dispersa, scilicet, aut congregata in Conciliis; consensu expresso, vel tacito; in particulari, vel in globo, ut aiunt; ulteriùs expendere necessum est utrùm ipsa sit infallibilis, quocunque modo ex his judicet.

Protestantes, Lutherani, scilicet, et Calvinistæ, negant privilegium infallibilitatis Ecclesiæ docenti, id est, corpori Pastorum à Christo fuisse concessum. Sunt quidam infallibilitatem Ecclesiæ ultrò confitentes, qui tamen ipsam, ratione objecti sui et modi consideratam, intra angustiores coarctant terminos.

Infallibilitas Ecclesiæ, subjectum illius infallibilitatis, objectum ejus, et modus quo exerceri potest, fusè demonstrantur in *Tractatu de Ecclesiâ*, ad quem remittimus; itaque sit unica

CONCLUSIO.

Auctoritas Ecclesiæ est Locus theologicus firmus et inconcussus.

Prob. Locus theologicus firmus et inconcussus ille est ex quo Theologia haurit argumenta firma et inconcussa : atqui Theologia ex auctoritate Ecclesiæ haurit argumenta firma et inconcussa ; nam Ecclesia est infallibilis in docendo : atqui ex auctoritate infallibili oriuntur argumenta firma et inconcussa ; ergo, etc. Cùm autem per tempus non liceat singulas infallibilitatis Ecclesiæ probationes referre penitùsque evolvere, hìc tantùm præcipuas contrahimus.

1.° *Ex Script.* Matth., cap. ult., ℣. 19 : *Euntes docete omnes gentes*, etc., inquit Christus alloquens Apostolos, et *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Undè sic : illa est infallibilis in docendo, cui Christus promisit auxilium efficax ad docendum infallibiliter, singulis diebus usque ad finem mundi duraturum : atqui ex verbis allatis, Christus Ecclesiæ promisit, etc. ; ergo, etc.

2.° *Ex Patribus. Poteram*, inquit S. Hieronymus Luciferianum alloquens, *omnes propositionum tuarum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare. Ego verò*, inquit S. Augustinus, *Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

3.° *Ex praxi Ecclesiæ Catholicæ.* Ecclesia, à primis temporibus ad hæc usque nostra tempora, emergentes Hæreses damnavit, suisque

decretis fidem omnimodam adhiberi exegit à Fidelibus, sub pœnâ omnium gravissimâ, anathematis scilicet : atqui sic se gerendo, demonstravit se esse infallibilem ; ergo, etc.

4.° *Ratione theologicâ.* Vel Ecclesia est infallibilis in docendo, vel singuli tenentur expendere per semetipsos omnes Fidei articulos ad normam Scripturæ et Traditionis : atqui posterius dici nequit ; nemo enim tenetur ad impossibile : porrò impossibile est maximæ hominum parti, quæ rudibus et imperitis constat, expendere Fidei articulos ad normam Scripturæ et Traditionis ; ergo, etc.

Objectiones solvuntur in *Tractatu de Ecclesiâ ;* hìc unum observare velim, omnes quæstiones circa infallibilitatis Ecclesiæ objectum vel modum emergentes, facilè et tutò ab omnibus quantumlibèt imperitis solvi posse, ex auctoritate et sensu Ecclesiæ Catholicæ. Cùm enim ipsa sit vera Christi sponsa, non potest sibi tribuere jus quod non habet ; cùm aliundè justa sit et pia mater, non potest cogere subditos, maximè sub pœnâ anathematis, ad agnoscendum in ipsâ jus quo reverà caret. Ad hanc ergo petram allidantur omnes objectionum fasciculi quibus infallibilitatis Ecclesiæ privilegium tollere penitùs, vel etiam imminuere conantur novatores.

ARTICULUS IV.

De Conciliorum auctoritate.

Concilium definiri solet : *Cœtus Præsulum legitimâ auctoritate coactus, ut de rebus ad bonum Ecclesiæ pertinentibus agant.* Concilia *generalia* sunt aut *particularia*. *Generalia* sive

œcumenica ea sunt ad quæ convocantur totius orbis Catholici Antistites, et in quæ conveniunt numero sufficientes ad totam repræsentandam Ecclesiam. *Particularia* subdividuntur in *nationalia* ad quæ convocantur regni vel nationis alicujus Episcopi; *provincialia* in quibus sub Metropolitano, id est, Archiepiscopo, reperiuntur Episcopi alicujus provinciæ Ecclesiasticæ; *diœcesana* quæ ab Episcopo celebrantur cum Clero suæ Diœcesis. Concilia diœcesana propriè vocantur *Synodi*.

Demonstrabimus in *Tractatu de Ecclesiâ* Concilia œcumenica sive generalia, infallibilem in docendo habere auctoritatem. Ibidem probabimus Concilia particularia errori esse obnoxia, nisi accesserit consensus Episcoporum per orbem dispersorum, ex quibus pronum est concludere : 1.° Concilia generalia, imò particularia, si tamen accesserit Ecclesiæ consensus, invicta Theologis subministrare argumenta, et ideò esse locum theologicum firmum et inconcussum; 2.° Concilia particularia, quibus ejusmodi non accessit Ecclesiæ consensus, omnimodam non parere certitudinem, ipsisque plus minùsve roboris inesse, prout magìs vel minùs numerosa sunt.

Observandum est 1.° Concilia particularia, quantumlibèt numerosa, nullam obtinere auctoritatem, cùm ab Ecclesiâ rejecta fuisse constat.

2.° Concilia generalia non semper, quantùm ad omnia quæ in ipsis gesta sunt, vim atque auctoritatem œcumenici Concilii obtinere. Potest enim fieri ut confirmentur tantùm quoad aliqua Fidei decreta, nec confirmentur quoad alia. Sic 28 Canon Synodi Chalcedonensis per

multa secula pro legitimo non est habitus à Romano Pontifice, nec ab Occidentali Ecclesiâ.

3.° Concilia generalia de quorum œcumenicitate disputatur inter Catholicos, Ecclesiâ vidente nec reclamante, fidem publicam in totâ Ecclesiâ non faciunt, sed privatam tantùm, prout cuilibet ex propriâ discussione de eorum œcumenicitate constiterit; quemadmodùm textus Scripturæ Sacræ quorum sensus nondùm ab Ecclesiâ determinatus est, privatam fidem gignunt, non verò catholicam, quam unusquisque teneatur amplecti Fidelis.

Dixi *inter Catholicos, Ecclesiâ videnle nec reclamante.* Siquidem Hæreticorum in Conciliis rejiciendis œcumenicis pertinacia, cuique totis viribus obsistit Ecclesia, ipsorum vim minuere aut frangere non potest. Nec dicatur ex admissâ disputatione inter Catholicos circa œcumenicitatem aliquorum Conciliorum, unitatem Fidei destrui; si quidem Concilia certò, non autem dubiè œcumenica, apud Catholicos habentur ut Fidei nostræ regula.

ARTICULUS V.

De Romano Pontifice.

Certè Romanus Pontifex, ut potè jure divino princeps et caput totius Ecclesiæ, primarias in definitionibus et condendis morum regulis partes habet; ergo ipsius judicia circa Fidem vel mores maximâ vi pollent, nemine diffitente catholico; ergo ipsius auctoritas est locus theologicus, undè nobis suppetunt argumenta. Verùm inter Catholicos, salvâ fide, disputatur utrùm locus ille sit omninò firmus vel probabilis tan-

tùm. Priorem defendunt sententiam Ultramontani; posteriorem verò Galli, juxta quos Papæ judicium errori est obnoxium, quandiù ipsi non accessit consensus Episcoporum *expressus* vel *tacitus*.

Ut autem clariùs pateat in quo situm sit controversiæ caput, observandum est in Summo Pontifice plures respectus considerari posse, nempè, Doctoris privati, Episcopi, Metropolitani, Patriarchæ Occidentis, et Papæ, id est, S. Petri successoris.

Jam verò certum est Romanum Pontificem sub quatuor prioribus respectibus consideratum, esse fallibilem, et consequenter auctoritatem ipsius non esse locum theologicum omninò certum et inconcussum. Ergo tota quæstio est utrùm Romanus Pontifex, quatenùs S. Petri successor, totiusque Ecclesiæ caput, sive ut aiunt, utrùm Papa *ex Cathedrâ loquens* sit infallibilis in iis quæ spectant ad Fidem et mores, antequàm ipsius judicio consensus Episcoporum *expressus* vel *tacitus* accesserit. Jam dixi hanc quæstionem in utramque partem apud Catholicos ventilari : cuinam autem adhærendum, dicemus in *Tractatu de Ecclesiâ*, ubi inhærentes declarationi Cleri Gallicani, datæ anno 1682, probabimus judicium Romani Pontificis non esse irreformabile, nisi priùs accesserit corporis Episcopalis consensus *expressus* vel *tacitus*.

COROLLARIUM.

Ergo auctoritas Summi Pontificis, etiam ex cathedrâ loquentis, non est locus theologicus omninò firmus.

Prob. Ille locus non est omninò firmus, ex quo Theologia non potest sumere argumenta omninò certa et inconcussa : atqui ex auctoritate Romani Pontificis, etiam *ex cathedrâ loquentis*, Theologia non potest sumere, etc. ; namque ex auctoritate fallibili sumi non possunt argumenta omninò certa : atqui auctoritas summi Pontificis, etiam ex cathedrâ loquentis, fallibilis est, ut dicemus, et probatur fusiùs in *Tractatu de Ecclesiâ* ; ergo ex eâ sumi nequeunt argumenta omninò certa et inconcussa ; ergo non est theologicus locus omninò firmus.

ARTICULUS VI.

De Auctoritate Sanctorum Patrum.

Sanctorum Patrum nomine intelliguntur antiqui Doctores, pietate et scientiâ insignes, qui scriptis suis Ecclesiam illustrârunt. Ex quâ definitione patet Sanctorum Ecclesiæ Patrum catalogo minùs propriè inscribi eos omnes qui, licèt veteres et doctrinâ conspicui, sincerâ pietate minùs claruêrunt, quales sunt Origenes et Tertullianus, de quorum salute ambigitur. Quanta sit et in quibus sit auctoritas Patrum jamjam inquirimus, nostramque mentem quadruplici assertione aperimus.

1.° *In rebus merè naturalibus, v. g., philosophicis, nec unius, nec plurium, nec etiam omnium Patrum auctoritas irrefragabilis est.*

Prob. Quia in rebus naturalibus unanimitas Patrum falli potuit, ut evidens est; aliundè providentia divina non exigit ut in rebus ejusmodi fallibilitas Patrum submoveatur, ut patet; ergo, etc. Hinc in rebus merè naturalibus audiendi sunt SS. Patres sicut et Philosophi, quorum auctoritas tantùm valet quantùm rationes eorum.

2.° *In rebus Fidei Catholicæ, unanimitas Patrum omninò infallibilis est, ita ut fieri non possit ut omnes Ecclesiæ Doctores consenserint in admittendo aliquo dogmate tanquam catholico, quin reverà tale sit et à Deo revelatum.*

Prob. Quod tale vel tale dogma catholicum sit, factum est publicum aut quasi publicum; siquidem catholicitas alicujus dogmatis resultat, vel ex definitionibus Ecclesiæ, vel ex sensu illius sive professione, quæ similiter publica est: atqui repugnat omnes Patres circa factum publicum errare; ergo, etc.

Adnotandum autem inter articulos Fidei catholicæ quosdam esse vulgares, ut loquuntur Theologi, id est, ab ipsismet imperitis fidelibus explicitâ fide creditos, qualia sunt præcipua Religionis Christianæ Mysteria, nec non Sacramenta omnibus communia, putà Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, etc.; quosdam verò minùs vulgares, eò quòd à solis Pastoribus, vel inter simplices doctioribus cognoscantur, v. g., Baptismi ab Hæreticis collati validitatem. Hoc autem discrimen reperire est inter articulos primi et secundi generis, quòd priorum certa cognitio longè facilior sit, ita ut multò minùs repugnet hominem sanæ mentis circa posteriores quàm circa priores decipi, ita ut sibi per-

suadeat illos à totâ Ecclesiâ teneri, etsi tamen non credantur; undè juvat colligere consensum etiam duorum triumve Patrum circa dogmata Fidei quæ vulgaria dicuntur, omnimodam parere certitudinem.

3.° *Unanimitas Patrum, Traditionis divinæ testis, est infallibilis.*

Prob. Quia si Patrum unanimitas circa divinam Traditionem cujus testis est errare possit, jam nullum erit medium respectu Ecclesiæ ad cognoscendam Traditionem divinam, ipsamque ab humanâ secernendam : atqui tamen ejusmodi medium Ecclesiæ suppetere debet ex providentiâ divinâ, cùm Traditio æquè ac Scriptura Sacra, credendorum et agendorum regula instituta sit divinitùs. Aliundè si unanimitas Patrum circa divinam Traditionem errare possit, et testari aliquid esse divinitùs traditum quod tamen à Deo vivâ voce non fuisset transmissum, jam ipsammet Ecclesiam errare non repugnaret, siquidem Ecclesia sensui unanimi SS. Patrum circa divinam Traditionem firmiter adhæret, ut constat ex praxi omnium Conciliorum, quæ sententias Patrum sedulò consuluêre, et definitiones suas ad normam ipsorum exigi curârunt : sed Ecclesia non potest errare; ergo, etc.

Dixi *unanimitas Patrum*, quia satis constat, tum experientiâ, tum auctoritate, singulos Patres seorsìm sumptos errare posse. Sic erravit S. Cyprianus docendo Baptismum ab Hæreticis collatum prorsùs invalidum esse. Hinc S. Aug. sic loquitur, Epist. 148, aliàs 111, n.° 15 : *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum,*

velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet.... talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.

Observandum tamen nullius Patris, etiam solitariè sumpti, spernendam esse auctoritatem, nisi aliis Patribus aut doctrinæ Ecclesiæ repugnare inveniretur.

4.° *In expositione sacrarum litterarum, unanimis Patrum consensus tantæ est auctoritatis, ut Concilium Tridentinum, Sess. 4, prohibuerit, ad coercenda petulantia ingenia, eas sensu contrario interpretari.*

Ex his omnibus facili consecutione deducitur auctoritatem Patrum esse locum theologicum magìs minùsve certum, secundùm varia objecta circa quæ versatur, et numerum eorum qui in eamdem descendunt sententiam.

In legendis autem SS. Patrum scriptis, præter regulas generales in cujuslibet auctoris interpretatione servandas, ad hæc duo speciatim attendendum est: 1.° SS. Patres qui ante exortas hæreses scripsêre, minùs cautè et accuratè (quia simpliciùs) non rarò locutos fuisse quàm post exortas Hæreses; 2.° Patres in impugnandis erroribus nonnunquàm usos fuisse terminis qui erroribus oppositis in speciem faverent, ita ut, juxta Theodoretum, visi fuerint aliquandò hortulanorum morem imitari, qui arbores ad sinistram nimiùm inflexas, ad dexteram omninò inclinant, ut juxta lineam rectam postmodùm surgere valeant.

ARTICULUS VII.

De Auctoritate Theologorum.

Quantùm roboris insit Theologorum auctoritati paucis expediendum est. Itaque 1.° extra materiam Theologis subjectam, non auctoritatis eorum præcisè habenda est ratio, sed probationum quas afferunt. 2.° Etiam in materiâ Theologis subjectâ, auctoritas plurimorum, si repugnent alii numero quidem pauci, sed auctoritate graves, neminem adstringit, ita ut in casu divisionis non numerandi sint, sed ponderandi. 3.° Consensus unanimis Theologorum in aliquo Fidei catholicæ dogmate, errori obnoxius esse nequit; si enim esse posset, jam in errorem totam labi Ecclesiam foret possibile. Simplices enim fideles credunt ea quæ docentur à suis Pastoribus; isti autem à Theologis suam hauriunt doctrinam. 4.° Valdè temerarium est repugnare concordi et assertivæ Theologorum sententiæ circa articulos ad Fidem spectantes, nondùm ab Ecclesiâ definitos. Auctoritati Theologorum subditur immediatè jurisperitorum auctoritas, cui multùm, si consentiant inter se, deferendum est; sana enim dictat ratio peritis in quâlibet arte adhibendam esse fidem.

ARTICULUS VIII.

De Auctoritate Historiæ.

Historia quæ, ut verissimè dixit Cicero, tum magistra vitæ est, tum lux etiam veritatis, dividitur in *profanam* et *ecclesiasticam* : utraque

Theologo utilis est et necessaria ; profana quidem quoad multas suî partes, tum ad Sacras Scripturas exponendas, in quibus plurima, præsertìm in prophetiis, occurrunt loca quæ ex solâ Historiæ ad veteras monarchias spectantis cognitione intelligi possunt, tum in assertione quorumdam factorum quæ cum veritate Religionis Christianæ connectuntur. Quantò magìs Historiam Ecclesiasticam veris Theologis esse necessariam dixerim ; ex illâ enim discunt quæ fuerit prisca Ecclesiæ fides et disciplina, quænam olìm fuerint Hæreses, quibus mediis propagatæ, quibus armis confossæ tandem interierint.

Quantùm ad Historiæ auctoritatem, breviter dico illam quandoquè nullam esse, sæpiùs dubiam, nec non rarò omnimodè certam. Ad certitudinem verò magìs minùsve accedit, prout magìs vel minùs constat auctores illius falli non potuisse, nec fallere voluisse.

ARTICULUS IX.

De Philosophorum Auctoritate.

Cùm plures sint in Theologiâ quæstiones quæ non tantùm ex verbo Dei et auctoritate, sed etiam ex humanâ ratione definiri possint, v. g., Existentia Dei, Immortalitas animæ, hominis Libertas, Discrimen inter Bonum et Malum, in iis omninò spernenda non est auctoritas Philosophorum, qui omnia ad normam rationis expendunt. Hinc S. Thomas et cæteri passìm Theologi antiquiores, singulis fermè paginis, *Philosophi*, id est Aristotelis, cujus auctoritas tunc irrefragabilis habebatur, testimonium appellant. Itaque Philosophorum auctoritas meritò

dicitur locus theologicus, extraneus tamen et probabilis tantùm.

ARTICULUS X.

De Rationis humanæ Auctoritate.

Humana Ratio ultimus Theologiæ locus est, modò firmus, modò probabilis.

Nemini dubium est quin Ratio humana sit medium, absolutè necessarium Theologis. Quis enim propter Dei revelantis auctoritatem credere potest, nisi priùs lumine naturali cognoscat Deum esse summè veracem, et ipsum hæc vel illa revelâsse? Hinc qui omnem à Theologiâ Rationis usum submovere vellet, ipsam Theologiam è medio tolleret.

Sed *quæritur* utrùm in rebus theologicis ipsa Ratio humana sit medium probans, id est, utrùm deceat Theologos referre momenta ex Ratione petita, in confirmationem et explanationem veritatum quæ revelatione nituntur.

Resp. In præsenti materiâ, duo extrema pariter esse vitanda : *excessu* rationis, si ita loqui fas sit, peccant, 1.° qui, neglectâ auctoritate, de rebus theologicis ex solâ Ratione tractant, quos Philosophos meritò dixerim non Theologos ; 2.° qui nimiùm rationi tribuentes, nihil credere statuunt, nisi priùs ex solo lumine naturali demonstratum fuerit, quasi verò Ratio humana, quæ in multis cæcutit et fallitur, res à Deo revelatas possit attingere naturaliter ; *defectu* verò rationis peccant ii omnes qui, in tractandis rebus theologicis, adeò scrupulosè devitant omnia ex lumine naturali momenta, ut ferè suspicarer ipsos ingenii acumine de-

fraudari, vel falsò sibi persuadere Fidem et Rationem simul stare non posse. Itaque mediam tenemus viam : maximè enim consentaneum est, auditoribusque vel lectoribus proficuum, ut Ratio humana, quæ gratiâ Fidei multùm perficitur, vicissìm aliquid Fidei conferat, eam probationibus congruis confirmando et illustrando.

APPENDIX

AD LOCOS THEOLOGICOS.

De Censuris seu Notis theologicis.

QUANDOQUÈ in Theologiæ tractationibus nonnullæ occurrunt propositiones notis quibusdam seu censuris inustæ, ex quorum contradictoriis suas theses munire, suaque argumenta Theologi corroborare solent. Sed quantùm ponderis, quanta præcisè vis insit momentis quæ ex iis censurâ notatis propositionibus desumuntur, sæpè sæpiùs ignorant Theologiæ Candidati : ut igitur Prolegomenis quæ sacræ Doctrinæ addiscendæ viam sternunt nihil desit, quæ de notis seu censuris scitu necessaria tradunt Scholæ Magistri, hìc addenda duximus.

Itaque : *Censura* theologica rectè definiri potest : *Judicium seu sententia quâ nota prava et maligna cuidam inuritur propositioni tanquam Fidei aliquomodò nocivæ.*

Multiplicis autem generis distinguuntur propositionum censuræ ; præcipuas duntaxat et magis usitatas sigillatim exponemus.

Hæretica propositio ea est quæ *directè et immediatè adversatur doctrinæ à Deo revelatæ et ab Ecclesiâ ad credendum propositæ*. Igitur ad propositionem hæreticam tres requiruntur conditiones : 1.° ut directè et immediatè adversetur veritati revelatæ ; propositiones enim quæ

indirectè duntaxat et per consequentiam veritatibus à Deo revelatis opponuntur, non hæreseos, sed alterius speciei notâ afficiuntur, ut modò dicemus. 2.° Requiritur ut veritas cui directè et immediatè adversatur propositio hæretica, ipsa sit in se directè et immediatè revelata : aliàs non hæretica, sed erronea duntaxat dicenda foret propositio ; sequitur ex jam dictis *de Unitate Theologiæ*, ubi probavimus propositionem theologicam, seu mediatè revelatam (id est certò et evidenter deductam ex unâ præmissâ revelatâ et ex alterâ lumine naturali notâ), non esse de Fide ; ac proindè nec illius contradictoria erit hæretica. 3.° Tandem requiritur ut veritas cui propositio adversatur, fidelibus ab Ecclesiâ proposita sit tanquam de Fide divinâ credenda. Hinc S. Augustini effatum : *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

Erronea propositio dicitur quæ *opponitur veritati certæ theologicâ certitudine*, id est veritati quæ non sit in se immediatè revelata, sed tantùm ex unâ revelatâ et alterâ naturali certò et evidenter deducta, qualis est conclusio theologica. Undè sicut hæresis directè et immediatè opponitur Fidei, ita et error, propriè ac theologicè sumptus, directè et immediatè adversatur conclusioni theologicæ.

Hæresi proxima appellatur propositio quæ *hæreticæ maximè affinis* est, id est, quæ ex consensu *plerorumque theologorum, gravi cum fundamento* judicatur directè et immediatè adversari propositioni in se directè et immediatè de Fide. Undè propositio hæresi proxima dif-

fert à propositione erroneâ, quòd hæc conclusioni theologicæ, illa verò veritati Fidei, *ex consensu ferè omnium Theologorum* adversatur.

Sapiens hæresim propositio nuncupatur quæ *sensûs catholici et heterodoxi propriè capax est*, sed tamen sive ratione suî, sive ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum, etc., sensum pravum ita prævalentem involvit, ut probabiliter judicari possit quòd illius auctor sit hæreticus. Hinc propositionem hæresim sapere, non præcisè ex propositione absolutè sumptâ, sed ex adjunctis circumstantiis dijudicandum est.

Suspecta de hæresi propositio illa est quæ *utriusque sensûs catholici* et *heterodoxi capax* est, sed tamen, sive ratione suî, sive ratione circumstantiarum, sufficiens præbet fundamentum non quidem *gravis*, sed *alicujus* suspicionis et timoris quòd illius auctor sit hæreticus. Undè patet propositionem suspectam de hæresi non quoad *speciem*, sed per *gradus* duntaxat differre à propositione hæresim sapiente.

De propositionibus *errori proximâ*, *sapiente errorem et suspectâ de errore*, idem esto judicium, servatâ proportione, ac de propositione hæresi proximâ, sapiente hæresim et suspectâ de hæresi. Itaque propositio negans aliquam conclusionem quæ *plerisque* et *ferè omnibus* videtur theologica, errori proxima dicenda est; si autem veri et legitimi sensûs propositio capax sit, sed tamen ratione suî aut circumstantiarum præbeat fundamentum vel probabiliter judicandi, vel suspicandi duntaxat errorem esse

in illius auctore, tunc in primo casu erit propositio errorem sapiens, in secundo verò suspecta de errore.

Malè sonans propositio et *piarum aurium offensiva*, vix, ac ne vix quidem inter se specie distinguuntur: ideò enim fortè malè sonans dicitur propositio nonnisi quòd piorum aures offendat; igitur malè sonans vel piarum aurium offensiva propositio, illa est quæ quamvis in bonum sensum exponi queat, nihilominùs pravus ipsius sensus, sive ex intrinsecâ naturâ, sive ex circumstantiis extrinsecis, sano et catholico sensui ita prævalet ut pias aures offendat, malumque sensum præ se ferat.

Temeraria propositio ea vocatur quæ communi SS. Patrum doctrinæ aut constanti Theologorum sententiæ adversatur, absque gravi rationis vel auctoritatis fundamento.

Scandalosa propositio illa est quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando ad peccata, vel avertendo à virtutum exercitio. Duplicis autem generis sunt propositiones scandalosæ: aliæ activè, quæ suî naturâ habent quòd spiritualem proximi ruinam generent; aliæ verò passivè, ex quibus proximus per accidens, ob propriam nempè fragilitatem, potest desumere occasionem ruinæ spiritualis. Porrò, quod sedulò notandum est, possunt quandoquè interdici propositiones veræ ob scandalum merè passivum, dummodò id fiat cum debitâ circumspectione; nunquàm verò possunt tanquam scandalosæ notari, quia, ut meritò ait Bossuetius, lib. 13, cap. 3 Defensionis Cleri Gallicani, vera pietas quæ scandalo esse nequit, semper est cum veritate conjuncta.

Schismatica propositio dicitur, quæ viam scissioni unitatis ecclesiasticæ aperit, dùm, scilicet, fideles ab obedientiâ Superioribus ecclesiasticis debitâ ac præcipuè Romano Pontifici, qui est totius unitatis ecclesiasticæ centrum, removet ac retrahit; vel negando ipsum esse caput Ecclesiæ et Christi Vicarium, potestatemque ei inesse ferendi leges ecclesiasticas; vel simpliciter ipsi denegando obedientiam. In posteriori casu, propositio est simpliciter schismatica; in priori verò, schismatico-hæretica, quia et schisma promovet, et indubiam hæresim continet. Romano enim Pontifici, inquit jam citatus illustrissimus Bossuetius, ejusdem operis lib. 1, cap. 1, ab omnibus Christianis debitam esse obedientiam Fide constat, nec de eo ulla inter Catholicos controversia esse potest.

Seditiosa propositio ea nuncupatur quæ sive ab obedientiâ Principibus civilibus debitâ retrahit, sive ad tumultus in Republicâ excitandos conducit. Si prius, propositio *rebellis* strictiùs appellatur; si posterius, *seditiosæ* nomen magis propriè retinet.

Blasphema propositio ea est quæ contra Deum, vel contra Deiparam, aut Sanctos, aut res sacras, convicium continet, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo defectus, aut ipsis desiderando aut imprecando malum aliquod, vel carentiam alicujus boni. Si talis propositio hæresim exprimat, affirmando scilicet de Deo quod ipsi repugnare, vel negando aut in dubium revocando quod ipsi convenire *Fide* constat, tunc *blasphema hæreticalis* vocatur; si verò contineat aliqualem falsitatem contra Fidem, sed eam expressè non enuntiet,

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

blasphema simplex nuncupatur. Notandum autem blasphemam propositionem specie non distingui ab eâ quæ dicitur *divinæ pietati derogans*.

Impia appellatur propositio quæ pietatis opera deprimit ac depretiat, debitum, scilicet, cultum Deo ut supremo omnium nostrûm patri, honorem parentibus, superioribus obsequia et debitam gratitudinem aufert aut minuit.

Injuriosa propositio illa est quæ alicui personæ vel statui injuriam infert; dixi *personæ* vel *statui;* nam si sit in Deum, blasphema est.

Captiosa est propositio quæ sub specie quâdam veritatis aut pietatis in errorem inducit.

Verbo Dei contraria propositio ea dicitur, quæ opponitur veritati revelatæ quidem, sed nondùm ut tali, supremo Ecclesiæ judicio definitæ.

Improbabilis propositio est ea quæ nullo Scripturæ aut Traditionis testimonio, aut nullâ theologicâ ratione nititur.

Falsa propositio, juxta nonnullos, ea dicitur quæ objecto ita est dissonans, ut hæc dissonantia Fidei et moribus noxia sit; sed eam falsam vocant quæ cum damnatâ propositione connexionem habet, quâcunque illa fuerit censurâ notata. Quamobrem ab erroneâ differt, quia hæc cum expressè hæreticâ connexa esse debet.

Sunt aliæ quædam notæ diversis in censuris expressæ, ut quòd propositio sit arrogans, aspera, aversiva à Fide, superstitiosa. Verùm cùm illæ sint minùs usitatæ, et ad suprà recensitas commodè revocari possint, ab ampliori enumeratione et expositione libenter abstinemus.

At *quæres* utrùm liceat docere, vel sequi in praxi aliquam propositionem censurâ notatam.

Resp. non licere ullam propositionem docere quæ ab Ecclesiâ vel communi Doctorum consensu condemnata fuit, etiam minimâ censuræ notâ; et pariter in praxi sequi non licet propositionem quam Ecclesia vel communis Doctorum sensus tanquam illicitam et in praxi perniciosam condemnavit. Duæ sunt responsionis partes omninò certæ.

1.ª *Pars*, de *propositionibus Ecclesiæ judicio condemnatis*, probatur ex fide et humili subjectione quæ Ecclesiæ judiciis debetur, atque etiam ex obedientiâ quæ debetur ipsius præceptis; tunc enim non est licitum propositionem docere vel in praxi amplecti, cùm Ecclesia prohibet ne illam doceamus vel in praxi sequamur: atqui quoties Ecclesia propositionem aliquam condemnat, toties prohibet Magistris et Doctoribus ne illam doceant; et similiter quoties declarat propositionem esse in praxi nocivam et illicitam, toties innuit singulis fidelibus ne illam in praxi sequantur; ergo non licet ullas hujusmodi propositiones docere vel sequi in praxi, sive sigillatìm condemnatæ fuerint, et illarum quælibet speciali censurâ notata fuerit, sicut quinque Jansenii propositiones ab Innocentio X et Alexandro VII damnatæ fuerunt; sive illæ duntaxat condemnatæ fuerint conjunctìm et *in globo*, ut loquuntur Theologi, sicut propositiones Joannis Wiclef, quæ in Concilio Constantiensi, Sess. 15, damnatæ fuerunt.

2.ª *Pars*, *quæ spectat propositiones communi Doctorum sensu censurâ notatas*, certa quoque

est et probatur, quia communis Doctorum sensus sufficiens est ut certò moraliter judicemus aliquam opinionem esse, tum in doctrinâ, tum in praxi illicitam : atqui non licet in praxi sequi opinionem de quâ certò judicatur eam esse illicitam; ergo non licet sequi in praxi opinionem communi Doctorum sensu censurâ notatam.

TRACTATUS
DE FIDE.

QUINQUE erunt de Fide capita. In 1.° agetur de naturâ et divisione Fidei; in 2.° de ejus objecto materiali; in 3.° de ejus objecto formali; in 4.° de illius proprietatibus; et in 5.° deniquè de ejus subjecto.

CAPUT PRIMUM.

De Naturâ et Divisione Fidei.

HOC caput duos complectetur articulos: in primo agemus de nomine et definitione Fidei, et in secundo de ejus divisione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Nomine et Definitione Fidei.

Fidei nomen quinque præsertìm modis accipitur apud sacros et ecclesiasticos Auctores.

1.° Pro actu vel habitu quo credimus veritates divinitùs revelatas, quo sensu Apostolus ad Hebr. 11, ℣. 6, ait: *Sine Fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

2.° Pro ipsis veritatibus à Deo revelatis et ab Ecclesiâ ad credendum propositis, et sic legitur

in Symbolo quod S. Athanasii dicitur : *Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Ubi voces illæ, *Fides Catholica*, idem significant ac veritates divinitùs revelatæ, et ab Ecclesiâ ad credendum propositæ; eodem quoque sensu dicitur aliqua propositio esse de Fide, vel ad Fidem pertinere. Fides primo modo spectata nuncupatur Fides *formalis;* secundo autem sensu, appellatur Fides *objectiva* seu objectum Fidei.

3.° Fides aliquandò accipitur pro conscientiâ, ad Rom. 14, ℣. 23 : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quidquid facit homo contra dictamen conscientiæ, in eo peccat.

4.° Fides aliquandò significat promissionem vel fidelitatem in servandis promissis, ad Rom. 3, ℣. 3 : *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit*, id est, nunquid impediet quominùs Deus fideliter exequatur quod promisit?

5.° Deniquè Fides sumitur aliquandò pro assensu quem exhibemus dictis hominum, et isto modo nuncupatur Fides humana.

Hìc agimus de Fide primo modo spectatâ, quæ appellatur Fides divina, aut Fides propriè dicta.

Fides autem sic spectata definitur : *Virtus supernaturalis et theologica, quâ firmiter assentimur iis quæ Deus revelavit et per Ecclesiam credenda proposuit, idque propter summam Dei veracitatem.*

Dicitur 1. *virtus*, id est, habitus laudabilis, perficiens facultatem in quâ residet. Dicitur 2. *virtus supernaturalis*, quia naturæ vires superat, nec haberi potest nisi à Deo infundatur,

ideòque à Theologis vocatur Fides per se infusa. Dicitur 3. *virtus theologica*, quia Deum immediatè respicit pro objecto. Dicitur 4. *quâ homo firmiter assentitur*, etc., et per illas voces indicatur proprius actus Fidei; nam assensus Fidei debet esse firmissimus, cùm infallibili Dei testimonio nitatur. Dicitur 5. *iis quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam credenda proposuit*, quibus verbis indicatur objectum materiale Fidei. Dicitur 6. *propter summam Dei veracitatem*, quibus verbis declaratur objectum formale Fidei seu illius motivum.

ARTICULUS II.

De Divisione Fidei.

Fidei dividitur 1.° in *habitualem* et *actualem*. *Habitualis* est ipsemet habitus inclinans ad assentiendum veritatibus à Deo revelatis et ab Ecclesiâ propositis; quo sensu fidem mox definivimus virtutem supernaturalem et theologicam. Fides verò *actualis* est actus seu assensus quo credimus res à Deo revelatas et ab Ecclesiâ propositas.

2.° Dividitur in *internam* et *externam*. Fides *interna* est actus Fidei interiùs duntaxat et in animo elicitus; si verò ille actus prodeat exteriùs, vocatur Fides *externa*.

3.° Fides actualis dividitur in *implicitam* et *explicitam*. *Implicita* nuncupatur quandò aliquod mysterium non in se quidem distinctè et expressè creditur, sed in alio in quo continetur: sic, v. g., qui credit quidquid tenet Ecclesia, ille dicitur credere implicitè omnia Fidei mysteria. Fides autem *explicita* est, quandò res

aliqua revelata creditur in seipsâ in particulari, v. g., Deum esse unum in tribus Personis.

4.° Fides dividitur in *formatam* seu *vivam*, et in *informem* seu *mortuam*. Fides *formata* seu *viva* nuncupatur, quandò est charitati conjuncta, quia charitas est forma virtutum, et spiritualis animarum nostrarum vita. Nuncupatur verò *informis* seu *mortua*, quandò est sine charitate vel sine charitatis operibus; non enim subsistere potest Fides viva, nisi fiant opera quæ sunt à Deo præcepta. Unde Jacobi 2, 26, dicitur: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et Fides sine operibus mortua est.*

5.° Dividitur in *catholicam* et in *privatam*. Fides *catholica* dicitur, quæ omnes obligat Fideles, quandò nempè revelationis propositio fit communi et ordinariâ viâ, per Ecclesiæ Pastores. Fides *privata* aut simpliciter *theologica* dicitur quæ non universìm obligat, putà si qua veritas alicui privatìm revelaretur à Deo, vel si in Scripturis certò sed non clarè contenta, viro perspicaci ut revelata evidenter innotesceret, talis veritas ad communem Ecclesiæ fidem non pertineret, eosque solos obligaret quibus illius revelatio sufficienter esset applicata.

CAPUT II.

De Objecto materiali Fidei.

OBJECTUM materiale Fidei est illud circa quod versatur Fides, seu id est quod creditur per Fidem. Tria hìc totidem articulis occurrunt inquirenda: 1.° quodnam sit objectum fidei;

2.° utrùm successu temporis creverit Fidei objectum; 3.° utrùm articuli Fidei nostræ convenienter in Symbolo collecti fuerint et descripti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam sit Objectum materiale Fidei.

CONCLUSIO PRIMA.

Primarium Fidei objectum Deus est, adæquatum omnes veritates à Deo revelatæ.

Patet 1.ª *pars*, tum quia Fides per se et primariò circa Deum occupatur, tum quia Deus est omnium quæ Fide creduntur præstantissimum objectum.

Prob. 2.ª *pars*: Objectum adæquatum habitûs dicitur illud quod habitum adæquat, id est, quod tam latè patet quàm habitus: atqui omnes veritates à Deo revelatæ totum adæquant Fidei habitum; Fides enim versatur circa omnes et solas veritates à Deo revelatas; ergo, etc.

Obj. 1.° Non solùm omne revelatum sed etiam omne revelabile est objectum Fidei. Illud enim est objectum Fidei quod Fide credi potest: atqui quidquid est, etc.; ergo, etc. 2.° Hæreticus esset qui negaret verum esse quod Deus potest revelare; ergo Fide divinâ credi debet quidquid Deus revelare potest; ergo, etc.

Resp. ad 1. *Neg. ant.* Ad cujus probationem, *dist. maj.*; quod actu et pro nunc Fide credi potest, *conc.*; quod pro tunc et quandò revelabitur credi poterit, *nego*. Veritas quæ actu non est revelata, actu et pro nunc Fide divinâ credi non potest; sed si posteà reveletur, tunc erit credenda.

Ad 2. *Nego ant.* Hæreticus enim ille est, non qui præcisè negat aliquid revelabile, sed qui contradicit veritati actu revelatæ et ab Ecclesiâ definitæ; undè sit

CONCLUSIO II.

Ut aliqua propositio revelata ad Fidem catholicam pertineat, regulariter loquendo, requiritur Ecclesiæ definitio.

Prob. Fides dicitur catholica, quatenùs spectat ad universalem Ecclesiam, omnesque Fideles obligat : atqui ut propositio ad Fidem sub illo respectu consideratam pertineat, regulariter loquendo, Ecclesiæ definitio requiritur; ut enim teneantur omnes ad aliquid Fide divinâ credendum, omnibus constare debet viâ certâ, communi, et infallibili, quòd sit in verbo Dei scripto vel tradito revelatum : atqui sola Ecclesiæ definitio medium est ordinarium et infallibile à Christo institutum, quo cognoscant omnes quæ sunt revelata; ergo ut propositio ad Fidem catholicam pertineat, requiritur Ecclesiæ definitio.

Enim verò propositio, quam quis Doctor Theologus evidenter percipit cum alterâ propositione immediatè revelatâ certò connexam, potest alteri Doctori non ita clarè videri connexa; ergo quamvis tali propositioni prior dissentiri nequeat, posterior tamen ex bonâ fide potest et absque crimine assensum denegare; ergo talis propositio, quandiù non est Ecclesiæ infallibili auctoritate definita, non pertinet ad Fidem catholicam.

Dixi, *regulariter loquendo*, etenim quædam

veritates adeò clarè et expressè in Scripturis revelatæ sunt, ut nullâ tergiversatione possint eludi; et ideò, etiam citra Ecclesiæ propositionem, à nullo qui eas in Scripturis contineri noverit, possint absque hæreseos crimine negari. Talis est, v. g., Unitas Dei, Resurrectio Christi, etc.; talia sunt et facta historica quæ narrantur in Scripturis.

ARTICULUS II.

Utrùm successu temporis creverit Objectum Fidei.

Dupliciter intelligi potest objectum Fidei crescere: 1.° secundùm Fidem etiam implicitam et per novam revelationem, si Deus aliquid de novo revelet quod nequidem anteà implicitè revelatum fuerit; 2.° per majorem revelationis priùs factæ explicationem et secundùm Fidem explicitam.

Statuunt communiùs Theologi veteres, etiam ab Adæ temporibus ad Christum, non crevisse Fidem per novas revelationes, sed per majorem duntaxat explicationem. Contrarium tenent plurimi recentiores; cum quibus sit

CONCLUSIO PRIMA.

Ab Adamo ad Christum crevit numerus veritatum credendarum, non solùm per majorem earum explicationem, sed etiam per novas revelationes propriè dictas.

Prob. 1.° quia Deus multa successivè revelavit Adamo, Noe, Abrahamo, Isaac, Jacob, Moysi, Davidi, etc., quæ pertinebant ad Fidei

corpus et præcepta morum ; ut Sacramenta, varia judaïcæ legis Sacrificia, Præcepta ad bonos mores pertinentia.

2.° Quia Christus novas edidit revelationes propriè dictas, quibus omnia nos edocuit Christianæ Religionis dogmata ; eæ enim tanquam meræ veritatum quas anteà Veteres credebant explicationes haberi non possunt ; aut dicendum, factâ semel Dei existentiæ et Providentiæ revelatione, jam repugnare veri nominis revelationem ; quod et absurdum est, et ipsi quæstionis statui contrarium.

3.° Duæ sunt præ cæteris propositiones, quas omni tempore explicitè credere necesse fuit, in quibus volunt Adversarii omnia Fidei nostræ contineri dogmata, scilicet : *Deus existit*, et *Deus providet saluti hominum ;* atqui non nisi abusivè dici potest in his duabus propositionibus implicitè contineri omnia Fidei nostræ dogmata, Trinitatem, Incarnationem, mortem Christi, septenarium Sacramentorum numerum, realem Christi præsentiam in Eucharistiâ, etc. Quia quæ in alio implicitè continentur, hæc ex eo, tanquam ex principiis conclusio, legitimâ consecutione deduci possunt : atqui ex prædictis propositionibus, Mysteria nostra, etc. ; tum quia suppositâ etiam illarum propositionum revelatione, non nisi per novam revelationem divinitùs factam potuerunt nobis innotescere mysteria ; tum quia per alia media potuit hominum saluti providere, quàm per Incarnationem, etc.

CONCLUSIO II.

A temporibus Christi et Apostolorum non crevit Fides per novas revelationes, sed solùm per majorem revelationum quæ tunc factæ sunt explicationem.

Prob. 1.ª *pars, ex Script.* Joan. 14, ℣. 26: *Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia;* et 15, ℣. 15: *Omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Christus ergo omnia Fidei dogmata docuit Apostolos, qui et ipsi nobis ea profectò transmiserunt: atqui si novæ nunc fierent revelationes, aut Christus Apostolos non omnem docuisset veritatem, aut Apostoli veritates quas edocti fuissent nobis recusassent annuntiare; ergo nullæ fiunt, etc.

Hinc nihil unquàm ab universali Ecclesiâ definitum, ac propositum tanquam divinâ Fide credendum, nisi quod in Scripturis, vel in Traditione contineretur. Et ideò manavit istud effatum: *Ecclesia novos non condit Fidei articulos.*

Prob. 2.ª *pars,* quia multa nunc explicitè creduntur, quæ per plura Ecclesiæ secula, à Fidelibus, atque etiam Doctoribus non nisi implicitè credebantur; v. g., validum esse Baptisma ab Hæreticis collatum; in Christo duas esse voluntates, etc.

Obj. contra primam concl. Ex Scripturis et SS. PP., constat eamdem fuisse Fidem ante et post Christum, ita II. ad Cor., cap. 13, et S. Augustinus, Tract. 45, in Joan.

Resp. Dist. ant. Constat eamdem fuisse Fi-

dem tum ratione principii et affectûs, tum ratione motivi, *conc.*; ratione objecti, *subdist.* Ratione objecti magis principalis, seu quoad fundamentalia quædam Christianæ Religionis capita, scilicet, quoad unius Dei existentiam ac providentiam, et Christum Messiam, cujus implicita Fides omni tempore necessaria fuit, *conc.*; ratione cujuslibet objecti, *nego.* Quovis tempore una fuit virtus Fides infusa, inclinans ad credendum omnes veritates à Deo revelatas, propter revelantis Dei auctoritatem; hujus virtutis semper idem principium, Deus; semper idem motivum, veracitas Dei; semper idem objectum generale, veritates à Deo revelatæ quæcunque sint; semper idem objectum aliquod speciale et determinatum, Deus et Messias Christus; semper idem affectus et animus, mens scilicet semper disposita ad credendum quidquid revelare Deo placuerit. Verùm ab Adam ad Christum non eadem semper Fidei fuerunt objecta in specie determinata et proposita; primùm pauciora, deindè plura.

Obj. adversùs secundam concl. 1.° Multa nunc tenet Ecclesia, et Fidelibus credenda proponit quæ certè ipsis Apostolis penitùs fuerunt incognita: v. g., quæ pertinent ad œcumenicitatem posteriorum Conciliorum, ad veritatem facti Jansenii. 2.° Christus Ecclesiæ suæ eamdem ac Apostolis promisit assistentiam; ergo sicut olim proposuit Apostolis, ita et nunc Ecclesiæ nova in dies dogmata revelat.

Resp. ad 1.^{um} *Dist.* Multa tenet Ecclesia quæ fuerunt Apostolis incognita, circa propositiones contingentes, aut facta non revelata,

licèt dogmatica, quæ tunc non evenerant, et creduntur solùm fide ecclesiasticâ, *conc.*; circa ea quæ spectant ad mysteriorum veluti substantiam, et creduntur fide divinâ, *nego*. Reipsâ necesse non fuit quòd Apostoli explicitè cognoscerent prædictas propositiones; v. g., Nicænam Synodum œcumenicam, et Facta dogmatica, quale est Factum Jansenii; quia hæc omnia contingentia sunt, non de substantiâ ullius dogmatis. At negari non potest ipsis certò et clarè cognita fuisse quæcunque pertinent ad cujuslibet dogmatis substantiam; v. g., in mysterio Incarnationis, quòd duas Christus habeat voluntates; in Eucharistiæ mysterio, quòd non remaneat post consecrationem substantia panis, etc. Quia hæc omnia ex Scripturis eruuntur et Traditione, quarum perfectam habuerunt intelligentiam.

Ad 2.^um *Dist.* Eamdem Ecclesiæ promisit assistentiam, quoad aliqua, ut scilicet non magis à Fide deficere posset quam Apostoli, *conc.* Quoad omnia, nempè quoad novorum dogmatum revelationem, *nego*.

ARTICULUS III.

Utrùm Articuli Fidei nostræ convenienter in Symbolo fuerint descripti.

Notandum est hìc Symboli nomine intelligi collectionem vel brevem Summam, præcipuos Fidei nostræ articulos continentem.

Tria autem præsertim sunt Symbola. Primum est Symbolum Apostolorum quod ab ipsis Apostolis conditum fuit, sicut unanimiter

docent SS. PP., inter alios S. Ambr. lib. 1. Epistolar. Epist. 7., ad Siricium Sum. Pontificem : *Credatur*, inquit, *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat.*

Secundum est Symbolum Nicænum, seu Constantinopolitanum. Dicitur quidem Nicænum, quia in Concilio Nicæno primò editum fuit, præsertìm ad clariùs confitendam divinitatem Verbi ejusque cum Patre consubstantialitatem contra Arianos. Appellatur etiam Constantinopolitanum, eò quòd Synodus Constantinopolitana I eidem addiderit quasdam voces ad manifestiùs declarandam Spiritûs Sancti divinitatem adversùs Macedonianos. Illud Symbolum decantari solet in Missâ solemni post Evangelium.

Tertium Symbolum appellatur vulgò S. Athanasii; incipit per ista verba : *Quicunque vult salvus essè.* Hoc prænotato,

CONCLUSIO.

Præcipua Fidei objecta continentur in tribus Symbolis Ecclesiæ, et quidem modo maximè convenienti ad finem et ad tempus quo illa Symbola edita fuerunt.

Duæ sunt propositionis partes et ambæ constant.

1.ª *Pars probatur;* nam præcipui Fidei catholicæ articuli sunt illi, ut ait S. Thomas, qui nos directè ordinant ad vitam æternam, id est, qui nobis tradunt cognitionem Dei, sive quatenùs est in se, sive quatenùs est principium et finis creaturarum ; tum cognitionem medio-

rum quæ conducunt ad Deum intuitivè videndum : atqui hæc omnia traduntur in Symbolis. 1.° Enim in illis traditur existentia et natura Dei, unitas et omnipotentia ; 2.° recensentur tres Personæ Divinæ ; 3.° Deus agnoscitur tanquam auctor naturæ, gratiæ et gloriæ ; 4.° docetur Incarnatio Verbi ejusque Nativitas, Passio, Mors, Resurrectio, etc. ; docetur etiam Ecclesia et remissio peccatorum quæ sunt salutis nostræ media præcipua ; deniquè indicatur finis propter quem creati sumus, nempè vita æterna.

2.ª *Pars probatur ;* nam finis Symboli Apostolici fuit tradere totius christianæ doctrinæ breve compendium, et hoc Apostoli in suo Symbolo rectissimè peregerunt. Finis autem specialis Symboli Nicæni vel Constantinopolitani fuit refellere errores adversùs Divinitatem Filii et Spiritûs sancti ; et ideò hi articuli fusiùs et clariùs explicati fuerunt in Symbolo Nicæno et Constantinopolitano. Idem afferri potest de Symbolo S. Athanasii.

Observandum est diligenter, quamvis præcipui et veluti fundamentales Fidei catholicæ articuli tradantur in Symbolis, non tamen in eis explicitè contineri omnes Fidei articulos, etiam qui maximi sunt momenti : v. g., in eis mentio non fit de Eucharistiâ, nec quatenùs est Sacramentum realiter continens Corpus et Sanguinem Christi, nec quatenùs est unicum novæ Legis sacrificium ; nec etiam de aliis Sacramentis, excepto quòd in Symbolo Constantinopolitano confitemur *unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Illius autem silentii ratio fuit, quòd Ecclesiæ Symbola communicata fuerint

indiscriminatìm omnibus hominibus, sive baptizatis sive non baptizatis, et Ecclesia in primis seculis hunc morem observavit, ut inter Sacramenta, de solo Baptismo infidelibus loqueretur; alia verò, et præsertìm Sacramentum Eucharistiæ, tum Paganis, tum etiam Cathecumenis cautiùs absconderet, ut testantur SS. PP. qui citantur in *Tractatu de Eucharistiâ*. Item in Symbolo Apostolorum et Nicæno, non expressè notatur ignis æterni pœna quâ impii sunt à Deo puniendi; sed hæc veritas implicitè continetur in articulo Judicii. Deniquè si quidam alii articuli explicitè non leguntur in Symbolis, illi omnes implicitè continentur saltem in articulo de Ecclesiâ Catholicâ; quisquis enim firmiter credit Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis, hic implicitè saltem et in præparatione animi, credit omnes veritates quas Ecclesia proponit credendas.

CAPUT III.

De Objecto Formali Fidei.

In hoc capite quatuor erunt articuli: in 1.° videbitur quodnam sit objectum formale Fidei; in 2.° qualis revelatio requiratur et sufficiat ad Fidem; in 3.° quomodò proponi debeat revelatio ut quisque Fide divinâ credere queat; in 4.° quomodò cognosci debeat veracitas divina, quæ Fidei motivum est, seu quomodò resolvatur Fides nostra.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam sit Objectum Formale Fidei.

Duplex distinguitur objectum formale; objectum formale *sub quo*, et objectum formale *quo*, seu motivum.

Ex Philosophis objectum formale *sub quo*, est ratio specialis sub quâ habitus considerat objectum suum materiale.

Objectum formale *quo*, est ratio quæ potentiam vel habitum movet et determinat.

Quæritur quodnam sit illud utrumque Fidei objectum formale. De objecto formali *sub quo* nulla est difficultas, satisque consentiunt omnes revelationem seu veritates revelatas, quatenùs revelatas, esse objectum formale *sub quo* Fidei. Controversia est de objecto formali *quo*, quod deinceps, brevitatis causâ, sæpiùs appellabimus simpliciter motivum Fidei. Duæ inter alias potissimùm circumferuntur sententiæ: 1.ª quæ et communior, est summam Dei veracitatem, tum in cognoscendo, tum in dicendo, unicum et adæquatum esse Fidei motivum; 2.ª est, veracitatem Dei et revelationem (revelationem, inquam, activè sumptam, id est, Deum quatenùs revelantem) seorsìm sumptas, esse similiter Fidei motivum partiale, quæ simul junctæ totale et adæquatum constituant motivum.

CONCLUSIO PRIMA.

Objectum Fidei formale sub quo, *est revelatio divina passivè sumpta, id est, spectata ex parte veritatis revelatæ.*

Prob. Illud est objectum fidei formale *sub*

quo, quod est ratio specialis sub quâ suum attingit objectum materiale : atqui talis est revelatio ; Fides enim veritates non considerat nisi quatenùs à Deo revelatæ sunt ; quemadmodùm Theologia eas non spectat nisi quatenùs ex revelatis certò deducibiles ; scientia, quatenùs sunt evidenter cognoscibiles ; adeò ut per specialem hujusmodi divinæ revelationis rationem, specificetur Fides et constituatur in suo esse, atque à quovis alio habitu distinguatur.

CONCLUSIO II.

Summa Dei tam in cognoscendo, quàm in dicendo veracitas, id est, Deus quatenùs summè verax, falli aut fallere nescius, est adæquatum Fidei nostræ motivum.

Duæ sunt partes : 1.ª quòd veracitas Dei sit fidei motivum ; 2.ª quòd sola sit Fidei motivum adæquatum.

Prob. 1.ª *pars.* Illud est Fidei motivum, quod intellectum movet et determinat ad assentiendum veritatibus à Deo revelatis : atqui summa Dei veracitas intellectum movet et determinat, etc. Illud enim movet et determinat intellectum ad assentiendum, quod reddit eum certum de veritate ; atqui prædicta Dei summa veracitas intellectum reddit certum de veritate à Deo revelatâ ; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, ex eo quòd revelatio divina ne ut motivum quidem partiale possit haberi. Etenim quod de se non movet nec determinat intellectum ad assentiendum veritatibus propositis, illud non potest haberi tanquam Fidei motivum partiale : atqui divina revelatio de

se et ratione suî, id est, secundùm suum conceptum formalem, prout abstrahit à divinâ veracitate, nullatenùs movet intellectum, etc. Illud enim solùm movet intellectum ad assentiendum, quod eum reddit certum; in tantùm namque movetur, in quantùm certus redditur; atqui ratio præcisiva divinæ revelationis intellectum non reddit certum de veritatibus propositis; intellectus namque non redditur certus nisi per illud quod omnimodam importat inerrantiam: atqui ratio præcisiva divinæ revelationis et prout abstrahit à summâ veracitate, omnimodam non importat inerrantiam, quam in suo conceptu includit sola Dei veracitas; ergo, etc. Enim verò revelatio activa nihil aliud est quàm Dei loquela: atqui Dei loquela in se spectata non est motivum loquenti Deo fidem adhibendi, quemadmodùm nec hominis loquela movet ad ipsi credendum, benè verò ejus præsumpta vel cognita veracitas; ergo, etc.

CONCLUSIO III.

Summa Dei veracitas quæ nos ad credendum inducit, actualem connotat Dei revelationem, saltem tanquam conditionem sine quâ non.

Conclusio est certissima.

Prob. quia impossibile est, ut credamus aliquid Fide divinâ, nisi supponatur actu et de facto revelatum et manifestatum à Deo, cùm ex primâ conclusione revelatio Dei passiva objectum sit formale *sub quo*, Fidem divinam in suo esse specifico constituens. Quod et illustratur

exemplo fidei humanæ quâ nihil credi potest nisi supponatur ab homine dictum.

Obj. 1.° Assentimur veritatibus Fidei propter auctoritatem Ecclesiæ ; ergo illis non assentimur propter auctoritatem Dei revelantis.

Resp. Dist. ant. Assentimur propter auctoritatem Ecclesiæ tanquam regulæ infallibiliter proponentis veritates à Deo revelatas, *conc.*; tanquam motivi proximi nos ad credendum inducentis, *nego.*

Obj. 2.° Saltem revelatio Fidei motivum est partiale ; veritas enim Fidei creditur non solùm quia Deus verax est, sed quia Deus, qui verax est, revelavit; ergo, etc. Hinc etiam interrogati Fideles cur credant, non aliter respondent quàm, quia Deus revelavit; ergo revelatio est Fidei motivum saltem partiale.

Resp. Neg. ant. Ad cujus 1.^{am} prob. *nego cons.* Hæc enim ratio probat solùm revelationem esse conditionem *sine quâ non* est Fides.

Ad 2.^{am} *prob.* Ita quidem respondent Fideles interrogati, sed hâc suâ responsione non motivum Fidei, sed sòlam conditionem proferunt; ratio autem cur revelatio potiùs appelletur quàm veracitas Dei, hæc est, quòd veracitas quæ Dei essentiale est attributum non importet secum revelationem, quæ ipsi accidentalis est : contrà verò revelatio divina essentialiter connotat summam Dei veracitatem ; et ideò qui revelationem appellat, veracitatem necessariò supponit, sed non vice versâ. Similiter quis interrogatus de causâ incendii, respondet, quia quis ignem subjecit, quamvis non illa ignis approximatio, sed ignis vis combustiva vera fuerit incendii causa.

ARTICULUS

ARTICULUS II.

Qualis ad Fidem requiratur et sufficiat divina Revelatio.

Revelatio divina nihil aliud est quàm *externa Dei ad homines locutio, seu attestatio Dei qui per exteriora signa nobis aliquid manifestat.*

Duplex hìc potissimùm distinguitur revelatio, *privata* et *publica*. Revelatio *privata* ea dicitur, quæ fit alicui privatìm, sine ullo ad alios ordine, adeò ut quod ita revelatur, ad communem et catholicam non pertineat Fidelium Fidem: talis est revelatio quæ B. Paulo in tertium Cœlum rapto facta est, II. Cor. 12.

Publica revelatio ea est quæ immediatè quidem uni tantùm vel alteri homini aliquandò facta est, sed in ordine ad alios homines hâc eâdem revelatione instruendos, qualis est quæ sacris Scriptoribus et Apostolis facta est revelatio.

Certum est ad communem et catholicam Fidelium Fidem necessariò requiri publicam revelationem.

Controversia est inter Theologos an ad Fidem verè theologicam sed privatam, privata sufficiat revelatio.

CONCLUSIO.

Quandoquè, et in casibus extraordinariis, sufficit privata revelatio ad veram Fidem, prout præcisè theologica est.

Prob. 1.° *ex Scripturis*, quæ Fidem laudant aliquorum qui privatis revelationibus credide-

runt; ita inter alios eâ de causâ commendantur, ad Hebr. 11, Abraham, Isaac, Jacob, David. Apostolus autem ibi loquitur de Fide verè divinâ et theologicâ, de quâ ait : *Sine Fide impossibile est placere Deo;* ergo, etc.

Prob. 2.° *ratione.* Ad Fidem infusam et verè divinam, sufficit ut quis certò ac firmissimè veritati à Deo revelatæ præbeat assensum, propter ipsam Dei revelantis auctoritatem : atqui cùm alicui constat certò et evidenter quidpiam sibi à Deo revelari, ille jam tali veritati potest, imò debet assentiri, propter ipsam Dei revelantis auctoritatem. Quòd enim revelatio fiat privatim vel publicè, ad omnium vel ad privati utilitatem, istud non immutat Fidei objectum, nec ejus naturam.

Dixi 1.° ad Fidem, *prout theologica est*, ad Fidem nempè quæ privata sit, eum solum obligans cui facta est revelatio. Hinc quæ circumferuntur à sanctis viris factæ sibi revelationes, illæ non ideò censentur approbatæ ut iis assentiamur certitudine Fidei, sed ut eas recipiamus tanquam probabiles, et ex illis ad pietatem utiliter promoveamur.

Dixi 2.° *quandoquè, et in casibus extraordinariis*, ut intelligatur, non quidem Deo aliquid privatim edocenti interdùm credi non debere, sed privatis revelationibus facilè fidem non esse adhibendam, ne, scilicet, falsæ pro veris accipiantur. Ut enim ait Apostolus, II. Cor. 11, ℣. 14 : *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.*

Obj. S. Augustinus contra epist. Fundamenti, cap. 5, dicit : *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret*

auctoritas; ergo ex S. Doctore, ad Fidem requiritur revelatio publica et Ecclesiæ propositio.

Resp. Dist. cons. Ad Fidem catholicam requiritur, etc. *conc.*; ad Fidem privatam, *subdist.*: generaliter loquendo, et extra casum extraordinarium privatæ revelationis, *conc.*; ubi adest privata revelatio, *nego*. Loquitur ibi S. Augustinus de communiter contingentibus, et extra casum privatæ revelationis insolitum et extraordinarium. Quis dixerit in eâ mente fuisse S. Hippon. Episcopum, ut divinas esse non crederet Scripturas, etiamsi in tertium Cœlum, ut Doctor Gentium, elevatus, audiisset ab ipso Deo divinitatem earum.

ARTICULUS III.

Qualis ad Fidem catholicam revelationis publicæ requiratur propositio.

A sese invicem sedulò distinguendæ sunt revelatio, et revelatæ veritatis propositio: ex dictis, revelatio est attestatio Dei aliquid alicui immediatè manifestantis. Propositio verò est medium et via quâ revelata veritas cæteris innotescit, quibus immediatè non fuit à Deo manifestata. Hinc licèt nova nunc minimè fiat revelatio, novæ tamen in dies fiunt propositiones Fidei, quia potest Ecclesia de novo nobis ut revelatum proponere, quod ut tale nondùm fuerat propositum aut cognitum.

Duplex distinguitur revelatæ veritatis propositio: alia *publica*, quâ toti fidelium societati aliquid tanquam à Deo revelatum et Fide catholicâ credendum, supremâ et infallibili

primorum Ecclesiæ Pastorum auctoritate proponitur ; alia *privata*, quâ illud idem objectum revelatum et publicâ Ecclesiæ auctoritate generatim propositum, privatis immediatè proponitur, putà per inferiores Pastores, Catechistas, Magistros aut Parentes.

Ex dictis, certum est, 1.° quibus immediatè revelantur à Deo Fidei veritates, iis non aliam requiri propositionem, ab ipsâ revelatione distinctam.

Supponimus certum esse 2.°, ex dicendis in *Tract. de Religione* et *de Ecclesiâ*, nunc ad credendum non requiri ut Fidei veritatum propositio unicuique fiat immediatè à Deo ; enim verò sicut olim Israelitæ per Moysen edocti sunt, et Judæi per Prophetas, sic ad prædicationem Apostolorum Gentiles Fidem susceperunt, Christoque nomen dederunt.

Quæstio est quæ et qualis ad Fidem catholicam requiratur revelationis propositio. His præ-notatis,

CONCLUSIO PRIMA.

In præsenti rerum statu, ad concipiendam Fidem catholicam, ordinariè requiritur publica Fidei propositio.

Prob. Quia Ecclesiæ propositio unicum est medium universale per quod Deus voluit omnibus hominibus certò innotescere veritates Fide catholicâ credendas, unicum medium infallibile quo in rebus Fidei omne dubium eliminetur, tollatur omnis Fidelium fluctuatio, et omnis finiatur error.

Dixi, *ordinariè*, quia videtur absolutè fieri

posse ut quis Fidei actum eliciat circa quasdam veritates quarum ipsi constaret divina revelatio per motiva credibilitatis, independenter ab auctoritate Ecclesiæ.

CONCLUSIO II.

Ut quisque credat Fide divinâ, præter publicam Fidei propositionem, illius absolutè requiritur propositio privata.

Patet hæc assertio, quia nemo credere potest nisi quod ipsi innotescit : atqui non nisi per privatam et immediatam propositionem cuique innotescit divina revelatio, cùm per eam solam immediatè menti applicetur veritas revelata ; ergo nemo credere potest Fide divinâ nisi dependenter à privatâ propositione.

CONCLUSIO III.

Ad credendum Fide divinâ, non requiritur ut privata Fidei propositio secundùm se et absolutè sit infallibilis.

Iterùm patet hæc conclusio, quia nulli privato Doctori competit infallibilitas ; ergo cùm privata Fidei propositio non fiat nisi à privatis Doctoribus aut Magistris, necesse non est quòd secundùm se sit infallibilis ; sed sufficit quòd crediturus certò judicet hìc et nunc nec falli nec fallere qui Fidem proponit. Quod ut clariùs intelligatur, sit

CONCLUSIO IV.

Ad Fidem concipiendam non sufficit omnis et qualiscunque Fidei veritatum propositio, sed requiritur, ordinariè loquendo, ut triplici potissimùm dote donetur.

Scilicet : 1.° Requiritur ut res credenda cum iis circumstantiis proponatur, undè fiat prudenter credibilis. Istudque apertum est, tum ex Eccli. 19, ℣. 4 : *Qui credit citò, levis est corde ;* tum evidenti ratione, quia cùm actus Fidei sit supernaturalis et à Deo ordinatus, omnem excludens errandi formidinem, debet esse prudens, rationabilis, ideòque prudenti innixus credibilitate ; ergo, etc.

2.° Requiritur ut res credenda fiat certò et evidenter credibilis, certaque sit et evidens divinæ revelationis cognitio. Ita S. Thomas 2.ª 2.æ q. 1, art. 4, ad 2 : *Non crederet intellectus,* inquit, *nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Et ratio est quia actus Fidei non potest omnem excludere formidinem erroris, objectumque attingere prout à Deo revelatum, nisi certò et evidenter, ordinariè loquendo, judicet intellectus illud objectum esse reipsâ credibile, atque etiam à Deo revelatum.

3.° Necesse est ut res credenda fiat evidenter credibilior contrariâ sibi doctrinâ. Ratio est quòd in humanâ cognitione, duæ propositiones contradictoriæ possint esse simul evidenter probabiles ; falsum etenim à nobis interdùm probabile judicatur ; hinc non mera probabilitas, sed major probabilitas aut credibilitas prudenter

movere debet ad assensum; ut ergo prudens sit, omnemque errandi formidinem excludat assensus Fidei, requiritur quòd res credenda credibilior judicetur oppositâ doctrinâ.

Dixi, *ordinariè loquendo*, quia rectè concipitur fieri posse, ut quis, Deo speciali modo interiùs agente, propositas credat veritates, nullis excitatus signis exterioribus, aut credibilitatis adductus motivis. Ita fortè interdùm credunt nonnulli rudes et idiotæ ac juvenes, cùm primùm ad adultam ætatem perveniunt.

CONCLUSIO V.

Omnia Fidei christianæ mysteria verè sunt evidenter credibilia.

Prob. 1.° *ex Script.* Psal. 92., ℣. 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis;* id est, quæ nobis, Domine, revelasti et præcepisti, tot signis et argumentis confirmantur, ut iis certa fides à nullo prudente negari queat.

Prob. 2.° Ea sunt evidenter credibilia, quorum veritas invictissimis argumentis à Deo summè veraci revelata demonstratur : atqui mysteriorum Fidei nostræ veritas invictissimis argumentis, variis, scilicet, credibilitatis motivis, quæ fusiùs in *Tract. de Religione* prosequimur, à Deo summè veraci revelata demonstratur; ergo, etc.

Obj. contra quartam concl. 1.° Ex tertiâ conclusione, ad Fidem non requiritur ut infallibilis sit privata revelationis propositio : atqui tamen nisi sit infallibilis ista propositio, certò judicari non potest propositas Fidei veritates esse credibiles et revelatas à Deo; ergo sibi contradicunt tertia et quarta conclusio.

Enim verò si ad credendum talis requiratur privata Fidei propositio, quâ evidenter cognoscatur à Deo factam esse revelationem, sequeretur Infidelem non teneri falsam suam Religionem ejurare et Christianam amplecti, quandiù ipsi certò non constabit veram esse Religionem Christianam, quamvis etiam istud jam probabilius judicaret : atqui falsum consequens. Undè propositionem hanc, numero quartam, proscripsit Innocentius XI : *Ab infidelitate excusabitur Infidelis ductus opinione minùs probabili.*

Resp. Nego min. Ut enim quis certò et evidenter cognoscat factam à Deo revelationem, satis est quòd certò judicet nec falli nec fallere Doctorem qui talem ipsi proponit revelationem : atqui licèt ille sciat aliàs esse fallibilem Doctorem suum, spectatis tamen omnibus circumstantiis, certò potest judicare eum de facto, hìc et nunc, nec falli nec fallere. Sic ex hominum relatione certò scio Romam existere ; quia licèt omnes homines noverim esse fallibiles, certò tamen judico eos omnes hâc in parte nec falli nec fallere posse.

Ad confirm. nego maj. Scilicet, in hâc hypothesi tenetur Infidelis ulteriùs inquirere veritatem ; quam si sincerè quærat, brevì plenam ac perfectam de falsitate sui cultûs, et de veritate Religionis Christianæ certitudinem, evidentiamque credibilitatis circa Fidei nostræ mysteria consequetur ; ergo excusari non potest, si opinione minùs probabili fretus, in superstitioso cultu perseveret.

Obj. 2.° Si veritates Fidei evidenter credibiles fieri deberent, sequeretur divinam non

esse Fidem omnium communiter rusticorum et idiotarum, eorumque qui in infantiâ baptizati et in Religione Christianâ eruditi sunt; illi enim omnes vulgò aut credibilitatis motiva præmentis hebetudine penetrare non valent, aut ad ea non attendunt; ergo, etc.

Resp. 1.° Ex limitatione quartæ nostræ conclusioni additâ, patet aliquos ex illis extraordinariè divinam concipere posse Fidem, independenter à credibilitatis motivis.

Resp. 2.° Credibilitatis argumenta non sunt eadem pro omnibus : alios alia persuadent, nec desunt 1. rusticis et idiotis proportionata motiva, quæ, respectu eorum, sufficientem habeant credibilitatis evidentiam, v. g., quòd divina miracula in Fidei confirmationem perpetrata referantur à viris fide dignis, quòd à mortuis resurrexerit Christus nostræ Religionis auctor, quòd omnia Fidei nostræ dogmata bonis moribus mirè congruant, quòd viri sapientes eam amplectantur.

2. Sua pariter adsunt juvenibus in Christianâ Religione eruditis sufficientia motiva, dùm intùs adjuvante Dei gratiâ, Pastores suos, Parentes aut Magistros audiunt; vel viros doctos consentientes vident, de quorum veracitate nullum habent dubitandi locum, quibusque neminem dissentire nôrunt.

Inst. Ex hâc responsione sequitur Hæreticorum filios excusari posse, dùm à suis Parentibus hæreticam doctrinam ut veram suscipiunt; siquidem apud illos juvenes minor non est Parentum et Magistrorum, quàm inter Catholicos, auctoritas : atqui tamen falsum cons.; ergo, etc.

Resp. illos pueros ad aliquod tempus reipsâ excusari posse, quandiù, scilicet, inculpabiliter et ex ignorantiâ invincibili, suorum hæresi Parentum et schismati adhærent; ita S. Augustinus, Epist. 43, aliàs 162. Illi tamen in perpetuum excusari non possunt, quia potissimùm vix possibile est quin ipsis multæ superveniant legitimæ de veritate suæ Ecclesiæ dubitandi rationes, dùm audiunt, v. g., sectam suam paucis ab hinc annis ortum habuisse, hanc à Conciliis generalibus fuisse proscriptam, Majores suos non ita pridem Catholico-Romanos fuisse, etc. Hinc enim, Deo humiliter invocato, inquisitione additâ, possunt, adjuvante quæ non deest gratiâ, ritè intelligere Parentes suos ab avitâ Religione immeritò defecisse, præsertìm si ad innumeros alios sectæ defectus attendant, simulque convertant oculos ad omnes illos veritatis characteres quibus fulget Ecclesia Catholico-Romana. Sed de his fusiùs in *Tractatu de Ecclesiâ.*

Obj. contra quintam concl. 1.° Ea mysteria non sunt evidenter credibilia, quæ rationi prorsùs opponuntur : atqui Fidei nostræ mysteria, v. g., Trinitatis, Incarnationis, etc., rationi prorsùs opponuntur; ergo, etc. Enim verò si Fidei nostræ mysteria essent evidenter credibilia, nemo sanæ mentis posset illa rejicere, nemo namque respuit quæ evidenter cognoscit et judicat esse fide digna : atqui tamen innumeri sunt qui ea rejiciunt; ergo, etc.

Resp. Conc. maj., nego min. Aliud enim est esse supra, aliud contra rationem; incredibilia quidem sunt contra rationem, non item quæ præcisè eam superant. Imò demonstrat recta

ratio plura esse possibilia et vera, præsertim ubi agitur de Dei naturâ, quæ capere nullus homo potest, ut probatur in *Tract. de Religione*. Porrò prædicta fidei Mysteria superant quidem rationem, sed ipsi non opponuntur.

Ad confirm., nego sequel. Ideò multi mysteria, quantumvis evidenter credibilia, rejiciunt, quia aut iis non benè proponuntur, aut ipsi maturè non expendunt quæ ea credibilia reddunt; sed cupiditatibus suis dediti, atque etiam difficultatibus deterriti, ab examine mentem avertunt; et ita oculos habent et non vident, excæcante malitiâ cor eorum.

Obj. 2.° Si mysteria Fidei nostræ essent evidenter credibilia, indè plura sequerentur absurda: sequeretur, 1. mysteria nostra utiquè esse evidenter vera; 2. ad credendum non opus esse Dei gratiâ, cùm per motiva credibilitatis abundè convinceretur intellectus; 3. revelationem naturalibus mediis cognosci, ideòque, cùm ab eâ pendeat Fidei certitudo, humano judicio innixam esse Fidei certitudinem: atqui absurda sunt hæc omnia; ergo, etc.

Resp. Nego sequelam majoris, quantùm ad omnes partes, scilicet:

Ad 1.am *seq.* Latum est discrimen inter evidentiam credibilitatis, et evidentiam veritatis: hæc oritur ex ipsis rei visceribus internisque ejus principiis quæ clarè percipiuntur, illa verò petitur ex motivis extrinsecis quæ rem existere testantur, licèt qualis et quomodò existat non manifestent. Sic, v. g., quòd extet urbs Roma, est evidenter verum respectu eorum qui Romam viderunt; est autem evidenter solùm credibile respectu aliorum qui ab innumeris homi-

nibus fide dignis existere duntaxat audierunt. Hinc mysterium SS. Trinitatis, v. g., non est evidenter verum, quia propria illius principia clarè non percipimus; sed est evidenter credibile, quia per invictissima argumenta extrinseca demonstratur esse revelatum à Deo, cui omnimoda debetur fides.

Ad 2.am Quælibet adsint motiva credibilitatis, duplici de causâ opus est gratiâ Dei. 1. Necessaria est gratia ut persuadeatur intellectus; cùm enim omnem humanæ mentis captum mysteria superent, atque innumeris impugnentur difficultatibus, et quidem maximè intricatis, et aliundè variis implicatus homo passionibus, objectionum difficultate de se magìs afficiatur, quàm argumentorum nostrorum pondere, indè fit quòd si sibi relinqueretur homo, magìs ab *assensu retraheretur* quàm moveretur ad credendum. 2. Seclusâ omni difficultate, necessaria est gratia ut assensus sit supernaturalis ordinis, aliàs enim esset Fides merè naturalis, sicut et datur naturalis amor Dei, naturalis gehennæ timor.

Ad 3.am Admittimus ad primum Fidei actum, quandò ad eum viâ discussionis conducitur homo, necesse esse ut priùs naturalibus mediis revelatio cognoscatur, sicut et priùs cognosci debet existentia Dei; hinc sequitur quidem humana quædam judicia præambula esse, ac conditiones prærequisitas ad Fidem; non autem Fidei assensum et certitudinem, humano judicio, tanquam proprio motivo, certitudinisque principio inniti.

ARTICULUS IV.

De Resolutione Fidei.

Nota 1.° quòd per Fidei resolutionem nihil aliud intelligatur quàm designatio principiorum seu rationum quæ nos inducunt ad credendum, ac præsertìm designatio rationis ultimæ seu primi principii, ultra quod christiana Fides non progrediatur, seu in quo quiescat. Hic loquendi modus ex Aristotelis philosophiâ desumptus videtur : sicut enim analyticos seu resolutorios libros appellavit eos in quibus demonstrat syllogismi principia, sic Doctores scholæ Fidei resolutionem seu analysim appellaverunt, designationem principiorum seu motivorum Fidei.

Nota 2.° quòd tria, ut jam diximus, nos ad credendum inducunt : 1. scilicet, divina veritas revelans; 2. Ecclesiæ propositio; 3. motiva credibilitatis. His prænotatis, sit

CONCLUSIO.

Fides nostra ultimò resolvitur : 1.° *in divinam veritatem revelantem, tanquam objectum formalè seu motivum Fidei proximum et immediatum;* 2.° *in Ecclesiæ propositionem, tanquam in regulam proponentem et dirigentem;* 3.° *in motiva credibilitatis, tanquam in argumenta quibus mens nostra disponitur ad Ecclesiam audiendam et Fidem amplectendam.*

Tres propositionis partes constant, et facilè probantur : in id enim Fides ultimò resolvitur, quòd est ultima ratio propter quam credimus ;

ex tribus autem rebus modò relatis, unaquæque est in suo genere ultima ratio propter quam credimus.

1.° Sicut antè probatum fuit, divina veritas revelans est objectum formale seu motivum proximum et immediatum propter quod Christianæ Religionis veritates credimus, nec est aliud motivum ulteriùs quod divinæ veritatis revelantis apud nos auctoritatem conciliet; sed ei credimus, quia ipsa, per se et propter se, digna est cui certissimè credatur, sicut Fide humanà credimus præcisè et proximè, quia homo sapiens et probus aliquid dixit.

2.° Ecclesia est regula proponens veritates à Deo revelatas, et nos in Fide dirigens, nec est alia ulterior regula proponens cui Ecclesia subjaceat, et propter quam Ecclesiæ propositioni Fides adhibeatur.

3.° Motiva credibilitatis mentem nostram disponunt ad Ecclesiam audiendam, et supernaturalem Fidem veritatibus à Deo revelatis adhibendam, nec sunt aliæ ulteriores rationes quibus ad Fidem disponamur; siquidem rationes omnes ad Fidem disponentes vocantur credibilitatis motiva.

Colliges modum quo Catholicus in Fide suâ procedit, tribus veluti constare gradibus: 1.° enim si petas cur, v. g., credam tres esse in Deo Personas, respondeo, quia Deus summè verax id revelavit. 2.° Si quæras undè mihi constet Deum id revelâsse, vel cur certissimè credam hanc Scripturam esse à Deo revelatam et tali sensu intelligendam, respondeo, quia Ecclesia ita proponit. 3.° Si roges cur certam Fidem adhibeam Ecclesiæ hoc vel illud tan-

quam divinitùs revelatum proponenti, respondeo, quia tot et tanta argumenta demonstrant Ecclesiæ auctoritati credendum esse, ut *nolle ei primas dare, vel summæ profectò sit impietatis, vel præcipitis arrogantiæ*, ut ait S. Augustinus, libro de Utilitate cred., cap. 17.

Observandum est autem, quamvis, ordinariè loquendo, talis sit analysis Fidei, qualem modò descripsimus, tamen nonnunquàm posse aliquantulùm esse diversam. Nam interdùm proponuntur articuli particulares, redduntur sufficienter credibiles miraculis vel aliis signis, ita ut pagani illos articulos etiam Fide divinâ credant, quamvis nondùm de Ecclesiâ ipsis sermo factus fuerit, saltem clarè et explicitè; nos quoque, licèt notam habeamus Ecclesiam, tamen possumus judicare Fidei nostræ articulos esse fide dignissimos, ex eo præcisè quòd nitantur tot et tantis miraculis, vel tam numerosâ Martyrum multitudine, et posteà illos divinâ Fide credere propter auctoritatem Dei revelantis, etiamsi tunc non cogitemus de Ecclesiæ propositione : illa tamen non impediunt quominùs ordinariè nonnisi per Ecclesiæ propositionem certissimè cognoscamus veritates à Deo revelatas, ipsi autem Ecclesiæ proponenti regulariter credamus propter motiva credibilitatis.

CAPUT IV.

De Fidei proprietatibus.

NOTA 1.° Quatuor præcipuæ numerantur Fidei proprietates, nempè, illius Veritas, Certitudo, Obscuritas et Necessitas.

Nota 2.° Duplex considerari potest Fidei certitudo, *relativa*, scilicet, quatenùs comparatur cum certitudine aliarum scientiarum, putà Theologiæ; et certitudo *absoluta*.

Jam verò de certitudine relativâ Fidei egimus *in Prolegomenis* (pag. 17); certitudo autem absoluta Fidei non distinguitur ab ipsius veritate. Sed et necessitatem Fidei in Theologiâ morali demonstrabimus. Restat proindè agendum de ipsius veritate et obscuritate.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fidei Veritate.

Quæstio posset institui de veritate Fidei tum ex parte Dei revelantis, utrùm nempè Deus mentiri queat et falsa pro veris proponere, ut exeunte IV seculo asserere non erubuerunt Priscillianistæ, an verò sit essentialiter verax; tum ex parte hominis credentis, utrùm, scilicet, quis falsò præsumens aliquid esse revelatum à Deo, quod tamen revelatum non est, illud Fide divinâ credere possit, quasi revelatum esset. Quia verò et expressis Scripturæ locis, Num. 23, Matth. 24, Joan. 3, ad Rom. 3, ad Hebr. 6, et certâ SS. PP. auctoritate, et evidenti ratione (vid. *Prolegom.*, pag. 37), putidus ille confutatur error, ideò posteriorem solam attingemus quæstionem. Itaque

CONCLUSIO.

Falsum Fidei subesse non potest, etiam ex parte credentis, id est, *quod à Deo revelatum falsò judicatur, Fide divinâ credi non potest.*

Prob. Verus Fidei actus necessariò versari

debet circa proprium suum objectum, actus enim, sicut et habitus, specificantur ab objectis suis : atqui proprium Fidei objectum est id omne et solum quod à Deo revelatum est; ergo actus Fidei versari non potest circa objectum quod verè non est à Deo revelatum.

Enim verò sicut assensus propositioni quæ falsò judicatur evidens, non potest esse scientificus, ita nec Fidei divinæ potest esse assensus qui propositioni non revelatæ datur.

Obj. 1.° Fieri potest ut quis Pastor ignarus aut perversus exponat propositionem tanquam à Deo revelatam et ab Ecclesiâ verè propositam, quæ tamen falsa sit : atqui tunc idiota quivis aut rusticus actum Fidei divinæ circa tale sibi propositum objectum producere posset, imò teneretur, cùm eodem modo ipsi proponi supponatur, quo proponitur veritas revelata; atque etiam dici potest quòd rusticus ille peccati contra Fidem reus esset et hæreticus, si tali dissentiret propositioni, quam ipse ex prudenti judicio putat esse revelatam.

Resp. Nego min. Quantumvìs enim putet ille simplex fidelis se credere propter auctoritatem Dei revelantis, attamen quia objectum quod credit non est revelatum, illud reipsâ non credit propter Dei revelantis auctoritatem; quemadmodùm evidentiam non habet, nec propter eam credit, qui falsò judicat adesse sibi evidentiam. Hinc idiotæ prædicti assensus est Fidei humanæ, non divinæ.

Ad primam confirm. Equidem rusticus ille Pastori suo falsa proponenti, et ea prudenter credibilia reddenti acquiescere teneri posset, propter suam invincibiliter erroneam conscien-

tiam, sicut et inferior cuilibet superiori perversa præscribenti, si ipse ea recta credat, obsequium præstare tenetur; verùm error ille quamvis invincibilis, naturam objecti propositi non immutat, nec illud revelationi aut Fidei divinæ subjicit.

Ad secundam confirm. dist. Hæreticus esset affectivè propter perversam suam voluntatem, *conc.*; effectivè et in rei veritate, *nego*. In hypothesi factâ, sic dispositus esset rusticus, ut propositioni quam prudenter judicaret aut deberet judicare revelatam à Deo, pertinaci animo negaret assensum; ergo totam hæreticæ pravitatis malitiam contraheret; sed quia propositio verè non est revelata, verè hæreticus non esset.

Inst. 1.° Ad actum virtutis moralis non requiritur quòd ejus objectum tale reipsâ sit, quale bonâ fide judicatur; v. g., possum exercere actum charitatis supernaturalis circa fictum pauperem; ergo pariter de Fide dicendum; et ideò verè possum exercere actum Fidei divinæ circa rem quam arbitror esse revelatam à Deo, licèt revelata non sit.

Resp. Nego consequent. et parit. Ratio disparitatis est, quia virtutes illæ intellectuales, ut Fides et Scientia, habent pro objecto verum prout in se est; undè nunquam syllogismus potest esse scientificus, si quæ illius præmissa sit falsa, licèt vera existimetur; at virtutes quæ afficiunt voluntatem, ut charitas et virtutes morales, habent pro objecto bonum, non prout est in se, sed quatenùs agenti cognitum est, postulantque duntaxat cum ratione conformitatem, quæ quidem, etiamsi decipiatur agens, adesse potest.

Inst. 2.° Si hostia non consecrata populo proponeretur adoranda, tunc Fide divinâ crederetur aliquid falsum, scilicet, Christum ibi esse, ubi tamen non esset.

Resp. Nego ant. Nam non credimus Corpus Christi esse in aliquâ hostiâ, nisi ex hypothesi quòd sit consecrata, nec illam adoramus nisi sub tali hypothesi, saltem implicitâ. Non est tamen necesse exprimi talem conditionem, ubi nullus est dubitandi locus de validâ hostiæ consecratione.

ARTICULUS II.

De Obscuritate Fidei.

Tota præsens quæstio est utrùm objectum materiale Fidei sit necessariò obscurum, an verò possit esse clarum et evidens.

Certum est 1.° plurimas Fidei veritates respectu hominis viatoris esse perobscuras, hujusmodi sunt Mysteria Trinitatis, Incarnationis, etc.

Certum est 2.° nullas Fidei veritates, quatenùs per divinam præcisè revelationem cognoscuntur, esse evidentes; ratio est quòd divina revelatio merum sit extrinsecum testimonium, quo sola innotescit rei existentia.

Status autem quæstionis est non solùm de evidentiâ metaphysicâ et strictè dictâ, sed etiam de evidentiâ sensuum et de evidentiâ testimonii, utrùm nempè possit esse Fidei objectum, quod aliundè certò cognoscitur cognitione naturali.

Docent Thomistæ omne Fidei objectum esse necessariò obscurum, nec credi posse Fide divinâ nisi quod solâ Dei revelatione cognoscitur,

proindèque Fidem et scientiam non posse stare simul in eodem intellectu circa idem objectum ; cæteri è contrà sentiunt Theologi ; cum quibus sit

CONCLUSIO.

Objectum Fidei non est necessariò obscurum, atque Fide divinâ credi potest quod aliundè evidenter constat, dummodò sit revelatum.

Prob. 1.° Quidquid est à Deo revelatum, atque ut tale ab Ecclesiâ proponitur, verè est objectum Fidei catholicæ, potestque credi Fide divinâ : atqui plurimæ sunt veritates in Scripturis à Deo revelatæ et ut tales ab Ecclesiâ propositæ quæ tamen aliundè nobis evidenter constant : sic revelatum est Deum esse Unum, Veracem, Omnipotentem, mundi Creatorem, quod et ab Ecclesiâ propositum est, tum in Apostolorum Symbolo, tum in Symbolo Nicæno : atqui tamen omnes illæ veritates nobis aliundè sunt evidenter cognitæ ; ergo, etc.

Prob. 2.° Actus Fidei divinæ est assensus datus revelatæ à Deo veritati, præcisè propter Dei revelantis auctoritatem : atqui homo scientificè certus de unitate Dei, de ejus omnipotentiâ, providentiâ, etc., vel per evidentia credibilitatis motiva certus de Christi miraculis, morte et resurrectione, iis omnibus potest assentiri, non solùm propter suam scientiam, sed etiam præcisè propter Dei revelantis auctoritatem, tum quia potest à suâ abstrahere scientiâ, tum quia ita potest esse dispositus, ut iis æquè assentiretur, licèt de illis naturaliter certior factus non esset ; ergo, etc.

Respondent Thomistæ, 1.° quidquid est à Deo revelatum, posse quidem credi Fide divinâ ab iis qui certam illius objecti non habent scientiam, non item à doctioribus qui evidenter illud cognoscunt; 2.° Veritates à Deo revelatas, et aliundè naturaliter cognitas, Fide divinâ credi posse, non secundùm ea quæ in illis naturaliter cognita sunt, sed secundùm aliam rationem quæ solâ Dei revelatione innotescit; sic, inquiunt, Apostoli non præcisè Christi-Hominis mortem, sed mortem Hominis-Dei, pro omnibus hominibus toleratam crediderunt; sic et philosophus christianus Fide credit Deum, non præcisè esse unum, sed unum esse in essentiâ tribus Personis communi.

Verùm mera effugia videntur esse duæ istæ responsiones: 1.ª quidem, tum quia ex Apost. ad Hebr. 11, 6: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est....* Ejusdem cap., ℣. 3: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei;* ergo ipsi doctiores credere debent Deum existere, et Fide intelligere ab ipso condita esse secula. Tum quia sequeretur Philosophos et Doctores deterioris esse conditionis quam ignaros et rusticos, cùm plurimis Fidei veritatibus assentiendo, nec Fidem, nec Fidei meritum ac certitudinem habere possent.

2.ª Quoque vana est et falsa responsio: etenim; 1.° quæ modò adducta sunt momenta, probant omnes in Scripturis revelatas veritates, licèt aliundè naturaliter cognitas, credi posse divinâ Fide, etiam secundùm ea quæ in illis naturaliter sunt nota. 2.° Hâc responsione eluditur difficultas, non solvitur; mors enim Christi præcisè, et unitas Dei, duæ sunt Fidei verita-

tes à cæteris distinctæ, nec solùm crediderunt Apostoli Christum, qui mortuus et crucifixus dicitur, esse Deum, sed Christum verè mortuum esse et cruci affixum; pariter non solùm credunt Philosophi christiani Deum esse trinum in Personis, sed et unum in essentiâ; ergo, etc.

Obj. 1.° Ex Script. et SS. PP. Fides est de rebus obscuris; diciturque ab Apost. ad Hebr. 11, ℣. 1 : *Argumentum rerum non apparentium.* Hinc 1. in cœlis non datur Fidei locus. Hinc 2. Christus, Joan. 20, ℣. 29, Thomam redarguit quòd non crediderit nisi quia viderit; visio ergo sensitiva, à fortiori scientia, cum Fide stare non potest.

Resp. Dist. ant. Fides est de obscuris plerumquè, et ratione præcipuorum Fidei nostræ mysteriorum, *conc.*; semper et universìm, quoad singula objecti sui capita, *subdist.* Fides est de obscuris, id est, de iis quæ per proprium Fidei motivum clara non fiunt, *conc.*; quæ nullo alio motivo clara esse possunt, *nego.* Hoc unum significant Scripturæ et Patres, Fidem christianam pro objecto sæpiùs habere aliquid obscurum omnem superans mentis humanæ captum, cujusmodi sunt mysteria nostra, Trinitas, Incarnatio, Christi Præsentia realis in Eucharistiâ, Transmissio peccati originalis, etc. Et ratio à priori est, quòd Fidei lumen seu divina revelatio, solam objecti sui existentiam non naturam declaret, ideòque, si quæ sit in eo respectu nostrî obscuritas, totam relinquat. Hinc permissivè quidem obscura est Fides, non positivè, quasi exigeret vel afferret obscuritatem.

Apostolus autem quandò scribit Fidem esse *sperandarum substantiam rerum, argumentum*

non apparentium, accuratam et ad omnes Logicæ regulas accommodatam proferre definitionem non sibi proposuit, ut docet communior Theologorum et Interpretum sententia, sed Fidei descriptionem per duplicem ejus proprietatem exponere, quarum prior est, quòd sit Spei christianæ basis et fundamentum; posterior, quòd per illam mens assentiatur etiam iis quæ nec videt nec intelligit. Enim verò adæquata non est hæc Fidei notio; quæ non solùm rerum sperandarum sed et timendarum substantia est et fundamentum.

Ad primam confirm. Non ideò in cœlis nullus datur Fidei locus, quia præcisè et generatim loquendo, Fides et clara rei visio simul stare non possunt, sed quia Beati in cœlis, motivo Fidei, ad assentiendum iis quæ intuitivè vident, moveri non possunt; istud autem ex duplici oritur causâ: 1.ª est, quòd visio beatifica ita Sanctos absorbeat, Deo jugiter eos per lumen gloriæ ad actus scientiæ continuò eliciendos applicante, ut illi à suâ scientiâ non possint abstrahere et ad solam Dei testificantis auctoritatem attendere; contrà verò debilis est in terris nostra scientia, nec ita nos absorbet, ut non possimus interdùm ad unicam Dei revelantis auctoritatem attendere. 2.ª Ratio est, quòd respectu Beatorum, visio Dei intuitiva et divinum testimonium sint in eodem ordine, atque ad unum et idem motivum reducantur; contrà verò scientia nostra et Dei revelantis auctoritas, duo sunt diversi ordinis motiva, quæ simul et seorsim mentem movere queunt.

Ad secundam confirm. conc. ant., nego cons. Reprehensione dignus fuit Thomas eò

quòd credere noluerit, nisi postquam vidit; et verè beati sunt qui etiam quæ non vident, credunt: hoc unum exprimitur in loco objecto: at quomodò indè concludere possunt adversarii Fidem et scientiam stare non posse?

Inst. S. Augustinus, Tract. 40 in Joan., n. 9: *Quid est*, inquit, *Fides nisi credere quod non vides?* S. Gregorius Magnus, Hom. 26 in Evang.: *Nec Fides*, inquit, *habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum;* ergo nec Fides, nec Fidei meritum adsunt nisi circa objecta obscura.

Resp. Dist. utrumque textum. Nihil est Fides, ratione scilicet præcipui sui objecti, nisi credere quod non vides, *conc.*; absolutè, *subdist.* Nisi credere quod non vides per ipsum Fidei motivum, *conc.*; quod nullâ ratione vides, *nego.* Item, non habet Fides meritum, ubi ratio præbet experimentum, id est, ubi ratio credendi fundamentum est et motivum, *conc.*; ubicunquè ratio veritatem manifestat, licèt eidem veritati, non propter rationem, sed propter solam Dei auctoritatem assentiatur, *nego.* Ex dictis facilè patet solutio.

Obj. 2.° *Ex ratione.* 1. Omnis actus Fidei liber est et meritorius: atqui si daretur evidens objectum Fidei, actus Fidei circa illud non esset liber: evidentia namque necessariò rapit assensum. 2. Illæ propositiones, *Deus existit, Deus est verax,* etc. sunt Fidei præambula, quorum cognitio prærequiritur ad primum Fidei actum: atqui Fidei præambula, Fide non creduntur; ergo, etc.

Resp. ad 1.^{um} *Nego. min.* Quantumvis enim evidentia in omnibus necessariò raperet assensum

sensum, quod eò loci non expenditur, semper est liber Fidei assensus etiam circa objecta evidentia, quia nempè libera est voluntas ad assensum imperandum vel ex Fidei motivo, vel solùm ex motivo evidentiæ.

Ad 2.^am *Conc. maj.; dist. min.* Præambula ad Fidem, Fide non creduntur, si non sint revelata, *conc.*; si ipsa sint revelata, *subdist.* Fide non creduntur quatenùs sunt ad Fidem præambula, *conc.*; quatenùs sunt à Deo revelata, *nego*.

CAPUT V,

De Subjecto Fidei.

Per subjectum Fidei intelligitur illud in quo recipitur Fides. Duplex distinguitur, aliud *proximum*, in quo Fides immediatè residet; aliud *remotum*, in quo, mediante alio, recipitur.

De subjecto Fidei proximo levis est difficultas, vixque theologica. Scilicet, satis consentiunt Theologi actum Fidei ab intellectu elici, imperari verò à voluntate; ergo cùm in eâ potentiâ propriè resideat habitus à quâ elicitur actus, in intellectu, non in voluntate propriè residere Fidei habitum constans esse debet.

Tota igitur præsens quæstio erit de subjecto Fidei remoto, seu de personis in quibus resideat Fides.

Constat 1.° Fidem esse in omnibus justis viatoribus tam infantibus baptizatis quàm adultis; etenim ex Apost. ad Hebr. c. 11.: *Sine Fide*

impossibile est placere Deo ; et ex Conc. Trid. Sess. 6, cap. 7 : *In justificatione... simul.... accipit homo.... Fidem , Spem et Charitatem.*

Constat 2.° Fidem in infidelibus seu paganis non esse ; infideles enim non dicuntur nisi ex carentiâ Fidei.

Punctum ergo controversiæ est de Peccatoribus , de Hæreticis , de Dæmonibus et Damnatis, de animabus in Purgatorio detentis , tandem de Beatis in Cœlo , utrùm Fidem illi omnes habere queant.

CONCLUSIO PRIMA.

Fides est in Peccatoribus.

Est de Fide contra Protestantes.

Prob. 1.° *Ex Script.* I. ad Cor. 13, ℣. 2 et 3: *Si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam , charitatem autem non habuero , nihil sum.... nihil mihi prodest* ; ergo sine charitate Fidem existere non repugnat.

Jacobi 2 , ℣. 26 : *Fides sine operibus mortua est* ; ergo sine charitate bonisque operibus remanet Fides , quamvis mortua et informis.

Prob. 2.° *ex Conc. Trid.* Sessione 6, can. 28 : *Si quis dixerit , amissâ per peccatum gratiâ, simul et Fidem semper amitti... anathema sit.*

Obj. 1.° Omne peccatum mortale sanctificantem expellit gratiam : atqui à gratiâ sanctificante pendet Fides habitualis, sicut proprietas à formâ. Hinc ad Tim. I. legitur quòd quidam repellentes bonam conscientiam , circa Fidem naufragaverint ; 2.° ex nobis ipsis , Fides sine operibus mortua est : atqui Fides mortua non est Fides veri nominis , sicut homo mortuus non est verus homo; 3.° peccatum mortale me-

retur omnium Dei donorum privationem ; ergo et Fidei.

Resp. ad 1.^um *Nego. min.* Fides enim habitualis non comparatur ad gratiam sanctificantem, tanquam proprietas ad formam undè fluat, sed potiùs tanquam fundamentum, quod etiam ædificio destructo remanere potest.

Ad textum Apostoli, non ait Paulus per omne peccatum contra conscientiam amitti Fidem, sed quosdam bonam repellentes conscientiam amittere Fidem, quatenùs, scilicet, mala conscientia, sicut et mala vita, fons est et radix hæreseos, quæ, ut notant Interpretes, nusquàm primum est peccatum, sed oritur vel ex ambitione, vel ex avaritiâ, vel ex libidine.

Ad 2.^um *Nego min.* Etenim non hoc sensu dicitur mortua Fides quæ charitate destituitur, quòd non sit vera in ratione virtutis, et quoad substantiam, cùm idem habeat substantiale officium ac Fides charitate formata, assentiri nempè Fidei veritatibus, propter Dei revelantis auctoritatem; sed ita solùm appellatur, quia caret perfectionibus quæ ex charitatis consortio proveniunt, ac potissimùm quia nihil fructuosum in ordine ad vitam æternam operari potest, quo sensu anima peccatrix, mortua dicitur, non quidem simpliciter et absolutè, sed secundùm quid. Hinc patet responsio ad objectam paritatem, scilicet, ratio discriminis est, quòd homo mortuus ita dicatur absolutè et simpliciter, talisque sit quoad substantiam, non quoad modum duntaxat operandi perfectiorem ; contrà verò Fides informis, mortua dicitur, non quoad substantiam et essentialem operandi modum,

sed solùm quoad accidentalem et perfectiorem modum agendi.

Ad 3.um *Dist. ant.* Omne peccatum mortale de se, et habitâ ratione solius rigorosæ Dei justitiæ, meretur, etc., *conc.*; de facto et in præsenti statu, in quo Deus non utitur omni rigore justitiæ, *nego.* Probat objectio quòd si Deus cum omni justitiæ rigore vellet agere, peccatorem privare posset omnibus donis spiritualibus, tum habitualibus, tum actualibus; de facto tamen nec omni gratiâ actuali, nec Fidei habitu destituit; istudque summæ Dei bonitati et ejus suavi providentiæ magìs est consentaneum; cùm enim *nolit* Deus *mortem peccatoris, sed* magìs *ut convertatur et vivat;* in eoque, quandiù in vivis est, superesse velit spem, et potentiam recuperandi deperditam justitiam, conveniens fuit nec ab ipso Fidem auferri, quæ totius spei et justitiæ fundamentum est, nec actualem denegari gratiam, quæ ejusdem justitiæ recuperandæ medium est necessarium.

CONCLUSIO II.

Fides supernaturalis quolibet hæreseos peccato totaliter destruitur, proindèque in nullo Hæretico remanere potest.

Nota hìc sermonem esse de Hæreticis formaliter sumptis, qui, scilicet, etiam positâ sufficienti propositione revelationis divinitùs factæ, in errore suo cum pertinaciâ perseverant, non autem de Hæreticis solùm materialibus qui errant non ex pertinaci animo, sed ex invincibili ignorantiâ.

Defenditur autem nostra conclusio ab omni-

bus Theologis contra Durandum et glossam in caput *Firmiter*, de summâ Trinitate ; *et ita certa est*, inquit Suarez, disput. 7, sect. 4, *ut sine errore jam negari* non possit.

Prob. 1.° *Ex Script.* I. ad Tim. cap. 1, de Alexandro et Hymenæo dicitur quòd circa Fidem naufragaverint; naufragare verò est, ruptâ navi, nudus effugere; ergo Alexander et Hymenæus Fidem totaliter amiserunt : atqui tamen illi non omnes Fidei articulos, sed resurrectionem corporum negabant, ut testatur Paulus ejusdem epist. cap. 2 ; ergo qui vel unum negat Fidei articulum, hoc ipso totaliter à Fide deficit.

Prob. 2.° *Ex S. Augustino*, qui contra Faustum, lib. 17, c. 3, sic Manichæos urget : *Dicite non vos credere Christi Evangelio, nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis.*

Prob. 3.° *Ex Conc. Trid. Sess.* 6, *cap.* 5, ubi declaratur per infidelitatem amitti Fidem : atqui hæresis est veri nominis infidelitas; hinc in Jure, cap. 1, dicitur : *Dubius in Fide, infidelis est*; ergo, etc.

Prob. 4.° *Duplici ratione theologicâ* : 1. Ad Fidem supernaturalem requiritur, ex dictis, certitudo revelationis à Deo factæ : atqui Hæretici talem habere non possunt certitudinem ; quia Ecclesiæ negantes auctoritatem, aut ejus definitionem circa vel unum punctum respuentes, jam omni carent infallibili medio quo prudenter et certò judicent de revelatione divinitùs factâ.

2. Etiamsi aliquo modo certi essent Hæretici

de divinâ revelatione, putà, si priùs dùm in Ecclesiæ sinu viverent, privatìm ipsis divinitùs facta fuisset, divinam tamen Fidem non haberent; illi namque Fidem non habent qui credendo veritates à Deo revelatas, verè non credunt propter summam Dei revelantis auctoritatem : atqui Hæretici quilibet aliquas dùm credunt Fidei veritates, Trinitatem, Incarnationem, etc., eò præcisè quòd vel unum Fidei rejiciunt articulum, jam non credunt propter Dei revelantis auctoritatem; qui enim dùm propter unam Dei revelantis auctoritatem se credere profitentur, eamdem Dei auctoritatem respuunt et offendunt, certè, quidquid dicant, non credunt propter Dei auctoritatem : atqui Hæretici eò præcisè quòd unum Fidei articulum ipsis legitimè propositum negant, jam Dei revelantis auctoritatem respuunt et offendunt : una est siquidem Dei auctoritas qui omnia Fidei revelat objecta, quique eodem imperio jubet credi sibi, sive hoc sive illud mysterium revelanti; ergo qui circa vel unum Fidei articulum divinæ auctoritati credere recusat, nec ipsi credit circa alterum. Scilicet, omnia objecta revelata connexa sunt in objecto suo formali, inquit *Suarez*, adeò ut si unum posset esse falsum, cætera omnia essent incerta. Ratio ulterior est quòd omne hæreseos peccatum destruat Fidei motivum, quomodò omne peccatum lethale charitatis motivum destruit.

Obj. contra 2.am *rationem theolog.* Habitus scientiæ acquisitæ non destruitur per errorem circa partem unam objecti sui; ergo à pari nec destruitur Fides per errorem in uno puncto. Item, homini duo æqualiter attestanti, quis

potest per fidem humanam ipsi quoad unum assentiri, licèt quoad alterum dissentiat; ergo à pari hæreticus Fide divinâ unum articulum credere potest, licèt alterum temerè respuat.

Resp. Nego utramq. consequent. et parit. Primam quidem, quia in scientiis naturalibus motivum seu medium quod est ratio assentiendi uni conclusioni, distinctum est ab eo quod est ratio assentiendi alteri; scilicet, uniuscujusque conclusionis scientificæ speciale motivum non est evidentia ut sic, sed evidentia medii et principii undè infertur; sæpiùs autem diversum est diversarum conclusionum medium; undè negatio unius non importat negationem alterius; contrà verò in Fide unicum est motivum, una Dei auctoritas. Nec pluris facienda est altera paritas: ratio discriminis est, quòd fides humana cùm de se sit incerta et fallibilis, tota ejus materia essentialem non habet connexionem cum assentiendi motivo, quod est auctoritas hominum; illi namque supponi possunt in uno puncto, non item in altero falli aut fallere capaces; aliter verò de Fide ratiocinandum est quæ certa est et infallibilis, cujusque objecta ita sunt inter se connexa, ut si unum falsum supponatur, jam cætera penitùs sint incerta.

Inst. 1.° Calvinista qui realem negat corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, non ideò censeri potest Dei revelantis auctoritatem respuere et offendere; etenim istum Fidei nostræ articulum non rejicit, nisi quia bonâ fide putat à Deo non esse revelatum; ergo malitia voluntatis ejus non afficit nec lædit divinam auctoritatem, cui certè obsequium præstaret, si eumdem revelatum judicaret; ergo, etc.

Resp. Nego ant., ad cujus probat. *dist.* Nisi quia bonâ fide, sed vincibili et culpabiliter erroneâ, putat à Deo non esse revelatum, *conc.*; bonâ fide invincibili et inculpabiliter erroneâ, *nego*. Cùm ille Calvinista supponatur hæreticus formaliter, non est in bonâ fide simpliciter et invincibili; peccat ergo dùm renuit propositum articulum credere; ergo culpabiliter abutitur mediis ipsi à Deo concessis ad detegendam veritatem divinitùs revelatam, quam jubentur omnes credere, quamque tamen culpabiliter negligit recognoscere; ergo sicut voluntati, ita et auctoritati divinæ resistere censetur, quia jam et præcepti violatio et divinæ auctoritatis neglectus indirectè et in causâ volita sunt.

Inst. 2.° Hæretici, putà Calvinistæ, plures Fidei articulos credunt, v. g., Mysterium Trinitatis, Incarnationis, etc.; ergo Fidem divinam ex parte retinent. Aliundè habitus naturales et acquisiti, uno actu contrario non deperduntur; ergo à pari nec infusus in Baptismate Fidei habitus uno deperditur infidelitatis actu.

Resp. Dist. ant. Hæretici credunt fide humanâ et acquisitâ, *conc.*; Fide divinâ et infusâ, *nego*. Hæreticis omnibus objicere possumus quod et olim Manichæis exprobrabat S. Aug., loco cit. : *Qui in Evangelio creditis quod vultis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis.* Nimirùm credunt illi quia volunt et ex pertinaciâ, non ex pio affectu in omnibus Deo se subjiciendo, non ex divinâ revelatione certò cognitâ, non propter Dei revelantis auctoritatem, ut suprà dictum est.

Ad confirm. Resp. 1.° Nimis probat istud argumentum; sequeretur enim nec charitatis habi-

tum uno mortali peccato perire posse. 2.° *Nego consequent.* Cùm enim habitus naturales et acquisiti, nonnisi per plures repetitos actus comparentur, consequens est ut similiter nonnisi repetitis pluribus oppositis actibus amittantur; at verò cùm omnes habitus supernaturales gratis infundantur à Deo et conserventur, nihil mirum si, ita ordinante Deo, pereant omnes uno actu sibi contrario.

CONCLUSIO III.

Fides supernaturalis non remanet in Dæmonibus aut Damnatis.

Prob. contra Durandum, qui putat Fidem in iis damnatis saltem remanere, qui eam toto vitæ tempore retinuerunt; probatur, inquam, quia Fides infusa, Dei donum est supernaturale, inclinans, adjuvante Dei gratiâ, ad credendum ex piâ voluntatis motione, pioque affectu : atqui reprobi capaces non sunt talis piæ motionis; ipsis aliundè Deus omnia gratiæ dona subtrahit; ergo, etc.

Obj. Epist. Jacobi, c. 2, ℣. 19, Dæmones dicuntur credere, atque cum eorum Fide comparatur Fides peccatorum : *Credis,* inquit Apostolus, *quoniam unus est Deus, benefacis; et Dæmones credunt et contremiscunt;* ergo cùm ex dictis remaneat in peccatoribus vera Fides, stat et in Dæmonibus. Enim verò reprobi baptizati supernaturalem retinent characterem, quidni et Fidei habitum?

Resp. Dist. primam partem ant. Dicuntur credere fide naturali, latè et impropriè dictâ, *conç.;* Fide verâ et christianâ, *nego.* Cùm Dæ-

mones, ait Estius, ingenii sui sagacitate, unum esse Deum cognoscant, vel etiam videant dogmata nostræ Religionis non repugnare veritati sibi naturaliter cognitæ, suo modo credere et Fidem habere reputantur, sed Fidem naturalem et impropriè dictam, non Fidem infusam et supernaturalem, cùm nulla sit in eis humilitas, nulla obedientia et piæ voluntatis obsequentis propensio ad credendum propter revelantis auctoritatem, in quo posita est christiana Fides.

Ad secundam partem ejusdem ant. dist. Cum Fide Dæmonum comparatur Fides peccatorum, quoad aliqua, quoad insufficientiam, scilicet, ad salutem, *conc.*; quoad supernaturalitatem, *nego.*

Ad confirm., nego parit. Ratio discriminis est, quòd Fides infusa sit ex se virtus inclinans ad sanctificationem, sitque christianæ spei fundamentum; hæc autem inutilia sunt, imò contraria statui reproborum; nihil verò tale est character baptismalis, qui dùm remanet in reprobis, ad eorum confusionem vertitur.

CONCLUSIO IV.

In præsenti providentiæ statu, et strictè ac rigorosè loquendo, Fides non remanet in Beatis, benè verò in animabus quæ detinentur in Purgatorio.

Prob. 1.ª *pars ex duplici ratione theologicâ superiùs expositâ.*

Dixi autem 1.º *in præsenti providentiæ statu,* si enim de potentiâ suâ absolutâ Deus Beatis attestando quædam sua revelaret attributa, vel

attributorum gradus ex iis quos intuitivè non vident (nec enim omnia quæ possibilia sunt vident, cùm Deum non comprehendant), tunc non repugnaret quòd Beati Fidei actus elicerent, atque crederent propter Dei revelantis auctoritatem.

Dixi 2.° *strictè et rigorosè loquendo;* in præsenti namque rerum hypothesi, dici posset in Beatis remanere Fidem latiori sensu, sumptam pro ipso voluntatis habitu, piâ animi dispositione, pioque affectu ad credendum Deo, si exigeret.

2.ª *Pars* patet, quia animæ in Purgatorio detentæ, nondùm sunt in termino, sed aliquatenùs respectivè ad vitam æternam in viâ, sicut Spei et Charitatis, ita et Fidei capaces.

TRACTATUS

DE DEO

ET EJUS ATTRIBUTIS.

Quæ de Deo et ejus Attributis ex lumine naturali demonstrari solent, hìc leviori perstringemus calamo ne rem in Theodicæâ peractam iterùm agere, sicque non ad studium animos, sed ad tædium incitare videamur. Quæ igitur in præsenti Tractatu aut penitùs omissa aut minùs evoluta fuerint, ab eâ quam edocti sunt Philosophiâ, Theologiæ Candidati sumant necesse est.

Tractatûs hujus tres erunt partes. In primâ de Existentiâ Dei; in secundâ de illius Attributis in genere; in tertiâ de ejusdem Attributis in specie disseremus.

PARS PRIMA.

DE EXISTENTIA DEI.

Hæc prima Tractatûs pars quatuor capitibus absolvetur: exponemus in 1.° varia Atheorum systemata, et capitalem quæstionis statum. Atheismum in 2.° refellemus, Deique demonstrabimus existentiam. In 3.° Spinosæ systema pressiùs impugnabitur. In 4.° varia solventur quæsita existentiam Dei spectantia.

CAPUT PRIMUM.

Varia exponuntur Atheorum systemata, et verus quæstionis status aperitur.

Atheus, juxta vim nominis, ille est qui negat, aut saltem tanquam dubiam et incertam habet Dei existentiam.

Triplex distingui potest Atheorum genus; nimirùm alii tales sunt *actione*, alii *corde*, alii et *mente*. Athei *actione*, seu *practici*, ii dicuntur qui ita se gerunt quasi nullum agnoscerent Deum aut reformidarent, quales sunt innumeri homines ita sensibilibus objectis immersi, passionibus vitiisque carnalibus dediti, ut per longum tempus nequidem de Deo cogitent.

Athei *corde* ii sunt qui cupiditatibus servientes, exoptant et persuadere sibi conantur non existere Deum, licèt in animo retineant inviti suspicionem existentis Dei.

Athei *mente*, seu *speculativi*, si qui essent, ii dicerentur qui rationibus et momentis ducti, firmiter et ex animo crederent Deum non existere. Disputant plurimi utrùm aliqui tales dentur reipsâ Athei: verùm 1.° certum est non modò posse neminem bonâ fide talem Atheum esse *mente* et *speculativum*, sed etiam nullam dari ignorantiam existentiæ Dei invincibilem. Enim verò tot, tantis, tamque evidentibus momentis suggeritur menti nostræ notio Dei, ut impossibile sit hominem invincibiliter latere veritatem de existentiâ Dei. Certum est 2.° neminem per totum vitæ cursum esse posse paca-

tum in assensu dato huic propositioni, *Deus non existit;* cùm enim jugiter tum ex parte mundi hujus aspectabilis, materiæ, et quorumlibet objectorum; tum ex parte animæ, sensationum, desideriorum, etc., sese offerant rationes et argumenta existentiæ Dei, fieri non potest, ut eorum luce quandoquè non perfundatur, ac eorum pondere non prematur, aut saltem non commoveatur, et in suo turbetur assensu. 3.° Forsan fieri potest ut homo mentis naturaliter obscuræ et minùs rectæ, seriò attendens ad objectiones contra Dei existentiam proponi solitas, cogitationemque, quantùm potest, avertens à perpendendis quæ Deum existere probant momentis, ex animo per aliquod tempus sententiæ Deum esse neganti assentiatur.

His de Atheismo in genere præmissis, tria quæ potissimùm circumferuntur Atheorum systemata breviter exponemus.

Primum systema *Immaterialistarum* est, qui fingunt nulla esse corpora, nihilquè præter mentes existere, æternas, necessarias, à se invicem independentes, in quibus modificationes sunt pariter necessariæ et necessariò sibi succedentes, adeò ut cuncta fatali necessitate existant, et variæ quas experimur sensationes meræ sint illusiones perpetuæ. Ridiculum istud systema refelletur capite sequenti, demonstratione 4.ª

Secundum est *Epicuri*, Atheniensis olim philosophi, qui Deum quoad nomen, ad fugiendam suorum invidiam, retinuit quidem, rem penitùs sustulit. Deos quippè finxit turpi versantes in otio, orbis efformationi non præfuisse, nec illius invigilare conservationi, neque en-

tibus ex quibus componitur providere; duo autem admittit rerum omnium principia, Spatium scilicet immensum, et Atomos : Spatium esse docet vacuum quoddam æternum, infinitum et inane, in quo ab æterno Atomos moveri supponit; Atomi autem in illius mente sunt ex se necessariæ, æternæ, indivisibiles, diversimodè figuratæ, graves, et in motu continuo. Jam verò ex æterno Atomorum motu, et fortuito earum concursu mundum coaluisse, et varia quæ cernimus corpora efformata, nonnullasque materiæ partes cogitandi capaces factas esse contendit Epicurus. Toto sequenti capite confutabimus absurdum hoc systema.

Tertium est *Spinosæ*, qui natione Batavus, religione primùm Judæus, ad Protestantium partes posteà deflexit, tandemque ex systemate Atheus factus est : obiit anno 1677. Triplici capite continetur perversa ejus doctrina.

Primum est, unicam esse in mundo substantiam. Secundum, illius unicæ substantiæ infinita esse attributa, quorum duo à nobis cognoscuntur, cogitatio scilicet, et extensio. Utriusque juxta Spinosam infiniti numero sunt modi. Corpora diversa sunt modi extensionis, mentes finitæ sunt modi cogitationis, adeò ut omnes orbis partes meræ sint universalis substantiæ modificationes. Tertium vagam hanc et universalem substantiam ipsum esse Deum, qui quidem ratione substantiæ attributorumque generatim, æternus est et immutabilis, ratione verò modificationum instaneus et jugi obnoxius mutationi. Ex hoc triplici nefando principio plurima ipse deducit consectaria quæ virum omninò perditum ostendunt; infert 1.° unicam

illam substantiam non esse liberam, sed ex naturæ suæ legibus necessariò operari, absque consilio et intentione finis; omnia proindè absolutè necessaria esse, ex necessitate naturæ profluentia. 2.° Id quod peccatum dicitur, nec malum esse, nec contra Dei voluntatem, quia Deus non potest velle, nisi quod reverà fit, etc.

CAPUT II.

Refellitur Atheismus, Deique demonstratur Existentia.

Innumera hìc proferunt argumenta Philosophi et Theologi; ex his quinque, quæ magìs omnibus obvia et singulorum captui proportionata sunt, brevitatis facilitatisque causâ, exponemus.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Ente necessario.

Admitti debet Ens necessarium, id est, ens existens à se, et ex necessitate naturæ suæ: atqui ens illud verè Deus est, seu habet omnes perfectiones quas Deo tribuimus; ergo admitti debet, et reipsâ existit Deus. Major et minor hujus syllogismi seorsìm probandæ sunt.

Prob. maj. Vel admitti debet ens necessarium, vel dicendum omnia entia esse contingentia: atqui repugnat omnia entia esse contingentia; nam entia contingentia sunt ea quæ ita existunt, ut possint non existere, quæque ideò supponi possunt reipsâ non existere: atqui repugnat

supponi nulla entia de facto existere ; in eâ quippè suppositione, omnia entia essent possibilia simul et impossibilia ; possibilia quidem, ut supponitur, et contingentia ; impossibilia verò, quia si non existerent, existentiam accipere non possent, nisi vel à seipsis, vel ab alio : atqui si entia existentia non existerent, ea in Atheorum hypothesi neque à seipsis, neque ab alio possent existere ; non à seipsis, quia nihil potest sibimetipsi dare existentiam, aliàs esset seipso prius et posterius, quatenùs esset suî ipsius causa et effectus ; non ab alio, quia nihil est à quo possent existentiam accipere ; ergo in Atheorum hypothesi si non existerent contingentia, ea neque à seipsis, neque ab alio possent unquàm existere ; ergo impossibilia essent ; ergo repugnat omnia entia esse contingentia ; ergo admitti debet ens necessarium, atque hæc propositio ita evidenter constat, ut vix ab ullo fuerit in dubium unquàm revocata. Tota itaque difficultas, si quæ sit, in probandâ minore superest ; igitur,

Prob. minor. Ens necessarium verè Deus est. Etenim nomine Dei intelligitur ens summè intelligens, summè potens, uno verbo infinitè perfectum, distinctum à mundo, mundique Creator : atqui ens necessarium debet esse summè intelligens, summè potens, etc. ; namque, fatentibus Atheis, ens necessarium habet ex necessitate naturæ suæ omnes perfectiones quas habere potest, item et omnium perfectionum gradus qui ipsi sunt compossibiles ; seu quidquid habere potest ens necessarium, illud eo ipso essentialiter habet : enim verò si ens necessarium aliquâ perfectione, aliquove perfectionis gradu sibi

possibili careret, limitationis hujus et restrictionis aliqua deberet esse ratio et causa : atqui nulla potest esse ratio et causa, cur ens necessarium aliquâ privaretur possibili sibi perfectione aut perfectionis gradu ; hæc enim causa vel esset extrinseca, vel intrinseca : atqui neutrum dici potest : 1.° non est causa extrinseca, si quidem præexistit ens necessarium cuilibet alteri enti ; 2.° non est causa intrinseca, scilicet, propriâ suâ voluntate limitari non potuit; priùs est enim esse quàm velle ; ergo cùm agatur de limitatione in primo existentiæ instanti, liberâ suâ voluntate seipsum limitare non potuit ens necessarium ; nec etiam ab essentiâ suâ limitatum dici potest, et ad aliquas duntaxat perfectiones determinatum, cùm quæstio sit de perfectionibus, quæ enti necessario compossibiles supponuntur ; ergo ens necessarium nullâ sibi possibili perfectione, nullove perfectionis gradu privatur, habetque omnes perfectiones quas habere potest, necnon et omnes perfectionum gradus.

Atqui ens necessarium certò habere potest omnes perfectiones, quas Deo tribuimus, summam videlicet intelligentiam, omnipotentiam, creandi virtutem, sapientiam infinitam, æternitatem, independentiam, immensitatem, etc. Item et omnes perfectionum omnium gradus habere potest ; quia illæ perfectiones verè sunt in se possibiles, nec ullam cum ente necessario incompossibilitatem includunt, imò cum necessitate existendi sunt connexæ, ut facilè potest ostendi præcipuarum perfectionum earum enumeratione.

1.° Ens necessarium debet esse *æternum*, *in-*

dependens et immutabile : rerum quippè possibilitas et essentia æterna est, independens et immutabilis : atqui ens necessarium existit vi possibilitatis et essentiæ suæ, existit ex necessitate naturæ suæ, eâdemque necessitate ipsi competit quidquid habet, ut modò probatum est; ergo æternum est, independens et immutabile.

2.° *Immensum est* : quia vel ubiquè præsens est, vel alicui loco restrictum ac determinatum, et quidem vi naturæ suæ, ex supradictis : atqui repugnat ens necessarium vi naturæ suæ alicui loco esse restrictum, talem quippe restrictionem non importat existendi necessitas, quæ nec exigit hanc potiùs quàm alteram spatii partem; ergo nulli loco astringitur ens necessarium, nullaque ratio est cur plus minùsve spatii occupet; ergo in infinitum extendi potest, ideòque reipsâ extenditur; ergo immensum est.

3.° *Spiritale est*, et summè *intelligens* : 1.° spiritale est, quia nec corpus est, nec corpori unitum : non primum, materia enim intelligitur essentialiter dependens, passiva, omnium figurarum et motuum capax, ideòque mutabilis, incapax verò cogitationis, ut infrà probabitur; ergo non potest esse ens necessarium, quod, ex dictis, essentialiter est independens et immutabile, atque, fatentibus Atheis, cogitandi capax. Non secundum, nulla etenim hujus unionis posset esse causa; non ens extrinsecum, cùm huic omni præexistat, et ab ipso sit independens; non libera voluntas, quæ accidentalem duntaxat unionem argueret, sine quâ Deus verè foret; non ipsa essentia, cùm existendi

necessitas nullam importet relationem ad corpus, imò corpus excludat, quod, ex dictis, necessarium esse nequit; ergo ens necessarium merè est spiritale, ideòque 2.° verè intelligens: porrò nullâ ratione limitatur ad certum intelligentiæ gradum; ergo omnes intelligentiæ gradus et habere potest, et reipsâ habet.

4.° *Creator est;* namque materia existit, existit et anima corpori unita: atqui utraque substantia ut mox probavimus, et iterùm infrà probabitur, necessaria esse non potest; ergo utraque est contingens. Jam verò substantia contingens non existit nisi per creationem; ergo possibilis est et existit creatio; hæc autem nonnisi ad ens necessarium referri potest, ut per se patet; ergo ens necessarium verè est mundi creator, et ab ipso distinctum *ut causa ab effectu suo*; ergo ens necessarium habet omnes perfectiones quas Deo tribuimus; itemque omnes omnium perfectionum gradus, cùm ipsi sint compossibiles; ergo est ipse Deus.

Obj. contra probationem majoris propositionis propositi argumenti: In eo deficit hæc probatio, quòd supponat, 1.° totam fieri posse entium contingentium collectionem, quod repugnat, quia hæc infinita est; 2.° admitti debere ens necessarium quod sit singulare quoddam et individuum; sed istud non probatur; licèt enim singula entia sint contingentia, tota tamen eorum collectio potest esse necessaria; plura namque collectioni convenire possunt, quæ singulis non conveniunt partibus; sic collectioni hominum convenit facere numerum, componere exercitum, expugnare urbem, etc. Hæc autem non conveniunt singulis hominibus in particu-

lari ; undè et vulgatum axioma : *A sensu distributivo ad collectivum non valet consecutio.*

Resp. Nego ex ullâ parte deficere probationem nostram ; scilicet quantùm *ad* 1.am *partem*, *dist.* Supponit totam fieri posse entium collectionem per mentem, *conc.* ; à parte rei, *nego.* Porrò licèt à parte rei fieri nequeat tota entium collectio et distributio, ea tamen fieri potest per mentem, et de eâ ferri judicium, sitne contingens, an necessaria ; eam verò contingentem esse probamus, ex eo quòd singulæ partes sint contingentes.

Quoad 2.am *partem*, dico totâ argumentatione nostrâ, prout modò exposita est, ritè probari existere ens necessarium, illudque singulare esse individuum, non meram entium contingentium collectionem. Enim verò talis collectio nihil aliud est quàm entia contingentia simul sumpta : atqui ex entibus contingentibus simul sumptis, coalescere non potest nisi quid contingens, quomodò nec ex totâ entium corporeorum collectione exurgere potest, nisi massa corporea ; ergo, etc. Verum quidem est quòd à sensu distributivo in accidentalibus, aut in iis quæ distributioni competunt prout distributio est, non valeat consecutio, idque solùm probant quæ in objectione adducuntur exempla ; sed in iis quæ essentialia sunt, et abstrahunt à collectione et distributione, certò et evidenter valet à sensu distributivo ad collectivum consecutio ; sic valet illatio hæc : quilibet lapis est ens materiale ; ergo tota lapidum moles est materialis. Similiter : quilibet homo rationalis est ; ergo tota hominum collectio est rationalis.

Obj. Contra min. prop. ejusdem argumenti,

et illius probat. Ens necessarium non ideò infinitum est in omni perfectionum genere; essentiæ enim rerum necessariæ sunt; quis tamen in earum conceptu omnes includi perfectiones dixerit? Ergo, etc.

Resp. Nego ant. ad cujus prob. *dist.* Essentiæ rerum sunt necessariæ, id est, necessariò possibiles, *conc.;* id est, necessariò existentes, *nego.* Duplex insignis occurrit discriminis ratio ens necessarium inter et essentias rerum: 1.° entis necessarii differentia specifica et constitutiva; existendi scilicet necessitas, nulli repugnat perfectioni; 2.° ens necessarium existit, ut probavimus, vi possibilitatis suæ, atque eâdem vi ac necessitate omnibus gaudet perfectionibus, et omnibus illarum gradibus.

È contrà verò in cæterarum rerum essentiis, 1.° quædam perfectiones ab essentia excluduntur, putà spiritalitas per materialitatem; 2.° cùm illæ essentiæ non traseant ad existentiam, nisi dependenter ab imperio causæ extrinsecæ, eodem imperio determinantur ad hos potiùs quàm ad illos perfectionum ipsis necessariarum gradus: v. g., in homine rationalitas potest de se augeri in infinitum, sed causa quæ producit hominem determinat et figit rationalitatis et intelligentiæ gradus, quos unicuique homini vult competere.

ARGUMENTUM II.

Ex mundi Existentiâ.

Existit mundus; ergo vel supremum existit Ens illius causa, vel dicendum erit mundum esse necessarium et à semetipso, seu ex neces-

sitate naturæ suæ existentem : atqui mundus non habet à semetipso, seu ex necessitate naturæ suæ quòd existat; si quidem in illius ideâ non includitur existendi necessitas, sed solùm existendi possibilitas.

Et certè non potuit existere mundus, quin 1.° existeret materia ex quâ mundus coalescit; 2.° quin existeret in certâ et determinatâ quantitate; 3.° quin moveretur; 4.° quin materia distribueretur in varias portiones alicujus figuræ tenaces, et illæ partes multiplicis et diversæ forent inter se figuræ, et moverentur secundùm diversas determinationes : atqui hæc omnia fieri non potuerunt nisi ad imperium efficacissimæ voluntatis supremi cujusdam entis, seu Dei existentis, ut facilè probatur per partes.

1.° Materia non potuit existere nisi ad imperium Dei existentis, quia materiæ non est essentialis sed merè indifferens existentia, cùm in conceptu suo non includat existentiam, possitque concipi sine actuali existentiâ; aliàs enim quælibet materiæ molecula similiter haberet omnimodam existendi necessitatem, quæ omnium perfectionum est maxima; quis autem dixerit vilissimam materiæ portiunculam, perfectionem habere maximam ?

2.° Talis determinata materiæ quantitas est à Deo; quia materia de se indifferens est ad talem vel talem quantitatem, cùm concipi queat in diversâ quantitate, modò majori, modò minori; ergo talem quantitatem habet non à semetipsâ, sed ab alio ente distincto; ergo à Deo. Et certè si essentialis esset materiæ talis quantitas, materia dividi non posset in moleculas diversæ quantitatis, aut illæ desinerent esse

materia ; absurdum utrumque consequens ; ergo, etc.

3.° Materia motum habere non potest à seipsâ ; motus enim materiæ non est essentialis, cùm materia sine motu, et in quiete esse possit ; ergo ipsi accidentalis est ; ergo ab alio venit ; à quo igitur ? ab ente intelligente ? ergo Deus est ; à casu ? at casus ille, vel quid reale est, vel nihil ; si nihil, motum dare non potest ; si quid reale, vel creatum, vel increatum ; si creatum, ergo existit Creator, ergo Deus ; si increatum et distinctum à materiâ, iterùm ergo Deus.

4.° Diversitas figurarum, quantitatis, determinationis et velocitatis motûs in singulis materiæ portionibus seu atomis, non potest esse nisi à Deo ; vel enim illæ singulæ partes diversam hanc haberent figuram, quantitatem, velocitatem et determinationem motûs à semetipsis, vel ab alio : atqui non à semetipsis, cùm enim omnium materiæ portionum eadem sit specie essentia, diversam specie figuram, quantitatem, velocitatem, determinationem à semetipsis, seu à naturâ suâ exigere non possunt ; ergo prædicta omnia non habent à seipsis ; ergo ab alio ; sed quis iste alius, nisi Deus ; ergo, etc.

ARGUMENTUM III.

Ex Ordinatione mundi.

Mira existit in mundo ordinatio : atqui talis ordinatio, Dei ordinantis demonstrat existentiam ; ergo existit Deus.

Major prob. Existit, fatentibus Atheis, ordinatio

natio in ædificio, in statuâ, in tabellâ : atqui in mundo plus est artificii et ordinis, quàm in quolibet ædificio, in quâlibet tabellâ, etc. Quis enim serìò ædificium cum illo spectabili orbe, tabellamve aut statuam cum homine ejus prototypo componere audeat? Elegantem mirantur statuam Athei, quæ tamen exteriora solùm corporis lineamenta exprimit; quantò magìs mirandum corpus humanum, in quo tot deprehenduntur miracula! ergo, etc.

Minor prob. Ordinatio quippe ædificii, tabellæ, etc.; fatentibus Atheis, excludit omnem dubitandi potentiam de existentiâ Architecti, Pictoris, etc. Quis, v. g., si subitò transferatur in Versalica palatia, poterit firmum et constans in animo retinere dubium, utrùm Palatium istud sit à casu fortuito, an ab intelligente Architecto, qui omnia *inter se*, *et ad finem* disposuerit? atqui ordinatio mundi similem huic efficit demonstrationem; etenim ut sit disparitas, debet ordinatio mundi vel esse minor, vel minùs auctoritatis habere : atqui neutrum dici potest; non prius ex modò probatis; non posterius; si enim casus fortuitus non potest minùs, nec potest et plùs. Undè aiebat Tullius : *Si mundum efficere potest casus fortuitus atomorum; cur porticum, cur domum, cur orbem non potest, quæ sunt minùs operosa?* Lib. 2 de naturâ Deorum.

Enim verò varias orbis partes, cœlum, terram, elementa, corpus organisatum, mente percurramus : quàm mira in omnibus partibus dispositio et proportio! quanta elucet undequaquè entis intelligentis et ordinantis sapientia! Finem intentum, aptissimorumque ad finem

mediorum electionem annuntiant omnia. In cœlo astrorum formam, situm, dispositionem, motumque regularem et constantem quis non miretur? Terræ fecunditate quid mirandum magis? Elementorum et meteororum stupenda est proportio et subordinatio. Organisati præsertim corporis partes omnes, Summi Artificis sapientiam, consilium, debitumque finem manifestant: ut quid oculi nisi ad videndum; ut quid palpebræ, nisi ad oculorum conservationem; ut quid non in pedibus oculi, sed in capite, nisi ut sint velut in speculâ; ut quid in ore labia, dentes, glandulæ salivariæ, nisi ut retineantur alimenta, triturentur, et faciliùs digerantur; ut quid oris cum stomacho communicatio, nisi ut alimenta jam in ore præparata, transmittantur ad animalis nutritionem ac conservationem; ut quid plantæ pedum planæ sunt et in partem anteriorem productæ, nisi ut firmiùs et tutiùs progrediatur homo? Omnia igitur entis superioris, intelligentis et ordinantis probant et demonstrant existentiam; ergo existit mundi ordinator; ergo Deus.

Obj. 1.° Plura sunt in mundo, quorum nullus assignari potest finis, talia sunt fulmina in rupes irruentia, pluvia cadens in steriles arenas, muscæ, serpentes, etc.; ergo nihil est in orbe quod entis summè intelligentis sapientiam denotet.

Resp. Trans. ant. nego conseq. Ex eo quòd in aliquo opere nos lateat partium aliquarum finis ab operante intentus, usus, v. g., certæ cujusdam rotæ in horologio maximè composito, non horas solùm, sed et solis locum, lunæ phases, dies hebdomadæ, etc. designante, perperàm indè concluderetur nullum esse finem

operis, quia non ex iis quæ latent, sed ex iis quæ cognoscimus, ritè inferimus agentis sapientiam, hoc ipso quo finem in illis discernimus, et assumpta videmus optima ad illum finem assequendum media. Hæc autem si de quolibet agente vera sunt et certa, quantò magis de auctore ingentis operis, qualis est universus orbis!

Obj. 2.° Quantacunque supponatur ordinatio in mundo, ea finita est: atqui ordinatio finita, entis infiniti non arguit existentiam, quia sapientiam non requirit infinitam.

Resp. Dist. min. Ordinatio finita, qualis est in mundo, entis infiniti existentiam non arguit immediatè, *esto;* non arguit saltem mediatè, *nego.* Quidquid sit de istâ quæstione, utrùm ordinatio qualis est in orbe, ubi tanta reperitur varietas, tanta combinatio respectuum et entium, sapientiæ finitæ possit esse immediatus effectus, constat saltem ordinationem mundi directè probare et exigere causam aliquam intelligentem ab ipso mundo distinctam: hoc autem si semel admiserint Athei, jam de eorum systematibus actum est, et absque negotio recognoscere coguntur illi talem causam mundi ordinatricem et independentem, esse summè sapientem, ens infinitè perfectum, ipsum esse Deum; aut si illa causa sit dependens, erit ab aliâ causâ quæ ipsa Deus sit, non enim datur processus in infinitum.

ARGUMENTUM IV.

Ab Existentiâ Animæ.

Existit mens mea, cujus mihi conscius sum, et de cujus existentiâ minimè dubitare possum,

quandiù cogito : sed mens mea non existit à semetipsâ et necessariò, cùm mihi conscius sim me non semper extitisse ; ergo existit ab alio. Enim verò varias experitur sensationes anima mea, quas experiri nollet, plurimas appetit frustrà ; ergo anima non est à seipsâ, et ab alio independens ; ergo pendet ab alio. Jam verò alius ille à quo existit et pendet anima, vel esset fortuitus materiæ concursus, vel Deus est ; quisnam enim alter excogitari posset? Atqui anima non existit à fortuito materiæ concursu, aliàs enim anima nihil esset nisi materia : atqui invictè probatur animam non esse materialem, sed purè spiritalem ; anima quippe cogitationis est capax : materia autem nullatenùs capax est cogitandi ; etenim si materia cogitationis, ut et dubii, reflexionisque et abstractionis capax esset, vel virtute suarum partium præcisè, vel ratione motûs partium : atqui neutrum dici potest ; non prius, ut fatentur adversarii, aliàs omnis materia cogitaret ; non posterius, quia materia virtute motûs non potest esse cogitationis capax, nisi cogitatio sit vel ipse motus, vel effectus illius : atqui 1.° non ipse motus iterùm fatentibus adversariis, quia jam omne corpus motum cogitaret, quod absurdum ; 2.° non est effectus motûs, ut volunt Athei, Spinosistæ et Epicurei, quod ideò accuratiùs probandum.

1.° Quia effectus motûs sunt nova dispositio, novusque situs mobilis, fortè nova collisio cum aliis corporibus, undè et nova figura, triangularis, rotunda vel quadrata : atqui cogitatio nihil est horum omnium ; quis enim dixerit materiam ex eo præcisè cogitare, quòd plures

materiæ partes novam inter se relationem, novamque figuram habeant?

2.° Si motus produceret cogitationem, vel motus generatìm, vel specialis quidam motus, vel motus unius partis, vel motus plurium: atqui nihil horum dici potest; non motus in genere, aliàs omnis motus cogitationem gigneret; non certa motûs species, quia hæc motui generatìm sumpto nihil superaddere potest nisi certam quamdam determinationem, velocitatem et quantitatem; sed ista quid ad cogitationem conferre possunt?

3.° Principium cogitans attingit præteritum ut et futurum; præsens ut et longiùs dissitum; reflectit in seipsum et in proprias cogitationes, sicut et in objecta externa; abstrahit unum ab alio, considerans, v. g., in uno eodem objecto gradum entis, non considerato gradu substantiæ: at ista motu suo præstare non potest materia; quomodò enim materiæ partes intra cerebri limites arctatæ, ad hæc omnia objecta possent sese extendere? quis motus produceret reflexionem? ex quo motu poterit abstractio nasci? partes enim materiæ in se invicem incurrentes, se tangunt, non solùm secundùm gradum entis, sed et secundùm se totas; ergo non debent abstrahere; ergo materia non potest fieri cogitationis capax; ergo anima spiritalis est; ergo non existit à fortuito partium materiæ concursu; ergo cùm sit ab alio à quo pendeat, existit ens superius quod animæ dederit existentiam, in eamque dominatum exerceat; ergo Deus.

ARGUMENTUM V.

Ex Consensu omnium Populorum.

Consentiunt omnes populi existere Deum, seu ens aliquod intelligens, à quo dependeant: atqui consensus ille unanimis probat existere Deum; ergo existit Deus. Major et minor seorsìm sunt probandæ.

Prob. maj. propositio : consentiunt omnes populi existere Deum. Etenim, ut constat ex historiis passìm, nulli sunt populi, licèt gente, patriâ, moribus et religione dissiti, qui non consentiant in asserendâ existentiâ numinis alicujus à quo dependeant et regantur omnia; nulla est Natio quæ Atheismum profiteatur. Undè ait Tullius : *Nulla gens est tam immansueta neque tam fera quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Lib. 1. de Legibus. Et pergit Plutarchus in tractatu contra Colotem : *Peregrinantibus multas contingit occurrere urbes sine auri et argenti usu, quibus ignota sunt theatra et gymnasticæ exercitationes, quin etiam nullæ sint domus aut tuguria; nusquàm autem stat urbs aut oppidum, quibus nullus sit Deus;* ergo consentiunt omnes populi Deum existere.

Prob. min. Unanimis ille consensus demonstrat existere Deum : consensus quippe tam unanimis oriri non potest nisi ex motivo omnibus communi, adeòque in ipsâ naturâ, cujus sit vox, fundetur necesse est. Enim verò vel fundatur in ipsâ naturâ, id est, in aliquo principio intrinseco et naturali, vel meras habet causas extrinsecas, quales sunt exemplum,

educatio, auctoritas : atqui consensus tam unanimis tales causas habere non potest, quia causæ ille pendent in effectu suo à circumstantiis locorum et temporum ; undè pro variis illis circumstantiis diversum producunt effectum, proindèque tam unanimem fundare nequeunt consensum ; ergo consensus ille non fundatur in ullo principio extrinseco ; ergo fundatur in aliquo principio intrinseco, naturali et omnibus communi. Jam verò quatuor sunt intrinseca judiciorum nostrorum principia, nimirùm sensus sæpè fallaces, imaginatio deludens, cupiditates quæ excæcant et abripiunt, ac recta ratio falli aut fallere nescia : atqui doctrina de existentiâ Dei ortum habere non potest à sensibus, imaginatione, vel cupiditatibus, quæ suggerant existentiam Dei, cùm ipsi potiùs adversentur : Deum quippe nec percipiunt sensus, nec imaginatur phantasia, nec suspirat libido ; superest ergo quòd in solâ fundetur rectâ ratione quæ nec falli nec fallere potest, cujus sit vox ipsa ; ergo consensus populorum Deum existere demonstrat.

Obj. 1.° Non omnes populi consentiunt existere Deum ; quædam enim extitêre gentes, apud quas nulla Dei notio ; ergo, etc.

Resp. Dist. Quædam extitêre gentes numerosæ, apud quas nulla Dei notio, *nego ;* numero paucissimæ, ac ferè nullæ, *subdist.* Et illæ ita sunt barbaræ ut pro feris pelle humanâ indutis potiùs haberi debeant, *conc.* Quæ non ita sint barbaræ, ut naturæ vocem dictamenque aliquod rationis audiant, *nego.* Porrò si quæ sint, aut fuerint aliquæ nationes Dei ignaræ, quod non expendimus, falsumque plurimi demons-

trant, certum est 1.° eas esse paucissimas, ac numero ferè nullas, adeòque earum silentium et ignorantia non impedit, quominùs moraliter unanimis sit populorum consensus circa existentiam Dei. 2.° Certum est eas gentes ita feras ac barbaras esse ut et alia benè multa quæ docet et clamat natura, similiter ignorent, v. g., honorandos esse parentes, simili suo in necessitate subveniendum esse, etc., proindèque cùm illi populi naturæ vocem rationisque dictamen non audiant, eorum nulla habenda est ratio, ut dignoscatur quæ sit vox rationis et naturæ.

Objic. 2.° Ex populis qui Deum agnoscunt, plurimi eum multiplicem colunt et vitiosum: atqui talium populorum consensus nullius est ponderis ad probandam Dei existentiam; ergo, etc.

Resp. Nego. min. Indè enim sequitur solùm populos illos errare circa naturam Dei, non autem circa ejus existentiam. Enim verò illi populi Deum credunt quem præcisè negant Athei, scilicet ens aliquod homini superius, et provisor. Quòd si huic intimiori naturæ sensui perversas posteà de divinitate notiones addiderint multi, id ortum ex variis errorum nostrorum causis, ut modò exponetur.

Inst. 1.° Consensus populorum circa pluralitatem Deorum non probat plures existere Deos; ergo à pari consensus eorum circa existentiam Dei, Deum existere non demonstrat.

Resp. Nego cons. et paritatem. Ratio discriminis est, 1.° quòd consensus circa pluralitatem Deorum non sit universalis neque ratione temporum, neque ratione locorum; non quidem ratione temporum, ut constat ex variis historiis

quæ referunt, quâ datâ occasione, primùm gentes ad Polytheismum deflectere cœperint, hâc autem nostrâ ætate paucissimas reperies nationes quæ plures colant Deos.

2.° In Deorum pluralitate et idololatriâ duo distingui debent, primum est fundamentum illius opinionis, idea nempè et sensus entis alicujus superioris ac provisoris, à quo pendeant homines; secundum est applicatio, seu potiùs depravatio illius ideæ. Porrò facilè intelligitur, posito semel in ipsâ naturâ tali fundamento, inditâque tali ideâ, posteà sensuum, imaginationis et cupiditatum adminiculo eam depravari potuisse ideam; 1. quidem sensibus facilè depravari potuit, cùm enim iis potissimùm innitatur vulgus, exoptavit et finxit sibi ens quod rebus omnibus provideret, quodque videre et tangere posset; 2. imaginatione, quæ cùm omnia divinitatis attributa et munia in eodem subjecto vix sibi repræsentare queat, tot sibi Deos effinxit, quot divinas excogitabat perfectiones et curas; 3. cupiditatibus, quibus favet pluralitas Deorum servientium suî et hominum cupiditatibus: at verò, ex dictis, nullo erroneo motivo inniti potest doctrina de existentiâ Dei præcisè, seu entis superioris et provisoris; ergo, etc.

Inst. 2.° Communis de Dei existentiâ opinio à Principibus ortum habere potuit, ut populos in obsequio retinerent; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Admissam quidem ab omnibus existentiæ Dei sententiam adhibuerunt Principes ad coercendam plebem: quòd eam verò primùm non excogitaverint, patet 1.° quia cùm humanæ politiæ instituta varia sint pro variis nationibus, imò et pro diversis ejusdem natio-

nis temporibus, consensus ille cui contradicunt sensus, cupiditas, et imaginatio, fieri non potuisset tam unanimis ratione temporum et locorum; 2.° quia ante jura Principum et leges, quin et ante Principum institutam supra subditos auctoritatem, viguit ille consensus; ergo, etc.

CAPUT III.

Speciatìm convellitur Spinosæ systema.

Ex dictis, toto præcedenti capite, penitùs explosa manet Spinosæ doctrina; non abs re tamen erit illam pressiùs et propriis argumentis refellere. Itaque sit

CONCLUSIO.

Falsa sunt et impia tria quibus continetur capita, systema Spinosæ.

Prob. per partes. Primum quidem systematis caput falsum est, unicam scilicet in rerum naturâ substantiam esse; ex ipso quippe Spinosâ, nomine substantiæ intelligitur id quod in se et per se concipitur, seu illud cujus conceptus non indiget conceptu alterius: atqui plura sunt in mundo quorum conceptus non indiget conceptu alterius; sic Petrus in se et per se concipitur, nec ejus conceptus indiget conceptu Pauli; sic principium cogitans concipitur independenter à principio extenso; ergo, etc.

Secundum caput similiter falsum est quoad omnes suas partes, scilicet et falsum est ex 4.° argumento præcedenti, extensionem et cogita-

tionem ejusdem substantiæ mera esse attributa; et falsum, ex modo dictis, omnes orbis partes meras esse universalis substantiæ modificationes, siquidem totidem ipsæ sunt substantiæ.

Tertium caput, Deum nempè hanc esse vagam et universalem substantiam, absurdum est et impium.

Prob. 1.° ex variis contradictionibus quæ indè sequuntur; Deus enim, fatente Spinosâ, est ens infinitè perfectum, quo nihil melius cogitari potest: atqui huic notioni apertè contradicit prædictum caput; namque non infinitè perfectum esse concipitur ens, quod obnoxium est mutationi et alterationi, quod in se suscipit imperfectas valdè modificationes, quod summis privatur perfectionibus, quod omnibus deniquè vitiis subjacet: atqui talis est substantia vaga et universalis, quam Deum appellat Spinosa: 1. namque cùm novi in dies substantiæ universali superadveniant modi, aliquid ipsi superaddunt, et consequenter mutationem important; 2. cùm extensio sit divisibilis, et ideò alterationi obnoxia, alterationem et arguit in subjecto; 3. finitæ sunt et imperfectæ plurimæ modificationes; talis est certè cogitatio mea; ergo si illæ sint Dei modificationes, modificationes imperfectas suscipit Deus; 4. juxta Spinosam, substantia universalis, mente, providentiâ, consilio, finis intentione destituitur: at quis hæc summas esse perfectiones inficiaverit? 5. cunctis ex hominibus etiam coalescit ille Deus Spinosæ; ergo cùm plerique hominum vitia foveant, manifestè sequitur vitiis omnibus implicatum esse Deum, imprudentem, injustum, crudelem, impium, etc.

Prob. 2.° Quia licèt extensio et cogitatio unius essent et ejusdem substantiæ modificationes, non indè sequeretur, quod concludit Spinosa, nullam esse intelligentiam distinctam ab universo orbe; etenim juxta Spinosam, quædam materiæ portiones non cogitant, v. g., non cogitat lapis, non cogitat sol, etc.; quædam verò cogitant; cogitat, v. g., mens mea; debet ergo afferri ratio cur hæ non illæ cogitent, quidque reddat has materiæ portiones, potiùs quàm illas ad cogitandum idoneas; certè vel recurrendum est ad supremam intelligentiam, vel dicendum ex fortuito casu, aut ex necessitate talis materiæ portionis istud contingere, sed quàm istud absurdum sit, satis patet ex dictis; ergo, etc.

Obj. 1.° *cum Spinosâ;* repugnat plures in mundo substantias esse; aliàs quippe una substantia causa esset alterius substantiæ: atqui istud impossibile est; 1. quia causa et effectus habent aliquid commune, ratione cujus per sese invicem cognosci possunt: atqui duæ substantiæ distinctæ nihil habent commune, alioquin minimè distinguerentur à sese invicem; ergo duæ substantiæ cognosci nequeunt per sese invicem; ergo una non potest esse causa alterius. 2. Effectus cognosci non potest nisi dependenter à suâ causâ: atqui tamen de ratione est substantiæ, ut possit cognosci in se et per se, independenter ab alio; ergo substantia una non potest esse effectus alterius; ergo, etc.

Resp. hæc misera esse sophismata, atque aberrantis rationis delirâmenta; etenim, ex dictis, et plures sunt substantiæ, et una substantia potest esse causa alterius; undè ad primum: duæ

substantiæ habent aliquid commune, scilicet, tum eamdem rationem genericam entis et substantiæ, aut etiam eamdem specificam rationem, si solo numero differant, tum communem relationem causæ ad effectum et effectûs ad causam; et tamen distinguuntur, per attributa scilicet, specificè aut saltem numericè distincta.

Ad 2. *Dist. maj.* Effectus formaliter sumptus, seu prout est effectus, non cognoscitur nisi dependenter à suâ causâ, saltem confusè cognitâ, *conc.;* quia causa et effectus duo sunt correlata simul naturâ et cognitione : effectus materialiter sumptus, seu ratione perfectionum quas habet, cognosci non potest, nisi dependenter à causâ, *nego.* Sic domus in se spectata et ratione omnium suarum partium cognosci potest, licèt non cognoscatur Architectus illius causa, nec de eo cogitetur. Aliundè simili argumento probaretur contra Spinosam, quòd substantia nullius effectûs, nullius modificationis causa esse possit; quia similiter causa ut causa, non cognoscitur nisi dependenter ab effectu.

Obj. 2.° Deus est ens infinitè perfectum, omnem proindè continens perfectionem et realitatem : sed si existerent substantiæ à Deo distinctæ, jam Deus non contineret omnem perfectionem; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Deus continet omnem perfectionem, hoc sensu quòd nulla sit in substantiis perfectio, cujus similem aut perfectiorem non habeat Deus, *conc.;* hoc sensu, quòd nulla sit perfectio, à perfectione Dei distincta, *nego.* Quomodò autem Deus contineat omnes perfectiones explicabitur in tertiâ parte, cap. 2.°

CAPUT IV.

Varia solvuntur quæsita Existentiam Dei spectantia.

Quæres 1.° an existentia Dei probari possit à priori, an solùm à posteriori.

Resp. 1.° existentiam Dei rectè probari à posteriori, id est, per ejus effectus; patet ex dictis toto capite secundo, et aliundè constat ex Scripturis passìm, sic Ps. 18 : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

Resp. 2.° existentiam Dei demonstrari non posse à priori, seu per causam efficientem, cùm repugnet Deum talem suî causam habere.

Obj. adversùs primam resp. 1.° Medium demonstrationis debet esse necessarium : atqui creaturæ non sunt necessariæ; ergo medium non sunt demonstrandæ existentiæ Dei. 2.° In Deo essentia et existentia non distinguuntur : atqui essentia Dei demonstrari non potest; ergo nec existentia.

Resp. ad 1. *Dist. maj.* Debet esse necessarium necessitate connexionis, id est, necessariò connexum cum re demonstrandâ, *conc.* Necessarium necessitate existentiæ, id est, debet necessariò existere, *nego.* Porrò contingenter quidem existunt creaturæ : at ex hypothesi quòd existant, non nisi dependenter à Deo existunt; ergo necessariam habent cum existente Deo connexionem; ergo legitimum est illius existentiæ demonstrandæ medium. Ex dictis autem satis

intelligitur sic procedere argumentum ex creaturis depromptum : existunt entia : atqui hæc entia verè sunt creata ; ergo existit Creator ; ergo Deus.

Resp. ad 2. *Dist. min.* Essentia Dei non demonstratur quoad quæstionem an sit, *nego*. Quoad quæstionem quid sit, *subdist.* Non demonstratur quid sit adæquatè et perfectè, *conc.* Inadæquatè saltem, et quantùm sufficit ut distinguatur ab ente finito, *nego*.

Quæres 2.° utrùm hæc propositio, *Deus existit*, possit credi fide divinâ.

Resp. credi posse : 1.° Enim dicit Apostolus, ad Hebr. 11, ℣. 6 : *Credere... oportet accedentem ad Deum, quia est.* 2.° Hanc veritatem probat tota Scripturarum series. 3.° Deniquè in Symbolo primus articulus hic est : *Credo in unum Deum.*

Obj. 1.° Quod demonstratur non potest credi ; demonstratio enim evidens est, fides verò est obscura : atqui existentia Dei demonstratur ; ergo non potest credi.

Resp. Dist. maj. Quod demonstratur non potest credi per idem medium per quod demonstratur, *conc.* Per diversum medium, *nego*. Porrò existentia Dei demonstratur per naturalem rationem, creditur verò propter Dei revelantis auctoritatem, sicque demonstratur et creditur per diversum medium.

Obj. 2.° S. Thomas docet existentiam Dei esse tam evidentem, ut non sit articulus fidei, sed præambulum ad fidem, hoc sensu quòd fides scientiam supponat, sicut gratia supponit naturam.

Resp. Dist. Existentia Dei non est articulus

fidei sub illo respectu sub quo est evidens, *conc.*; sub alio respectu, *nego*.

Obj. 3.° Quod creditur, obscurè cognoscitur : atqui existentia Dei non potest obscurè cognosci, evidentissimè enim demonstratur : obscuritas autem et evidentia non possunt esse simul respectu ejusdem objecti ; ergo existentia Dei non potest credi.

Resp. Nego min. Ad prob. autem, *dist.* Obscuritas et evidentia non possunt esse simul respectu ejusdem objecti in eodem actu, *conc.*; in diversis actibus, *nego*. Porrò unus est actus, quo credimus existentiam Dei, et ille est obscurus; et alius est actus quo illam demonstramus, et ille est evidens.

Inst. Veritas quæ est in actu scientiæ, sociari non potest cum falsitate quæ est in actu erroris ; ergo à pari claritas quæ est in actu scientiæ reperiri non potest cum obscuritate quæ est in actu fidei.

Resp. Nego cons. et parit. Disparitas est, quia qui errat, judicat rem non esse; qui verò scit, judicat rem esse : atqui impossibile est ut quis judicet idem simul esse et non esse; ergo scientiæ et erroris actus sociari non possunt: res verò aliter se habet respectu credentis et scientis; nam ille qui credit, non negat quod affirmat ille qui scit.

Quæres 3.° utrùm hæc propositio, *Deus existit*, sit propositio per se nota.

Antequàm respondeam, notandum est quòd propositio per se nota duplex sit : alia est per se nota quoad se tantùm, alia verò per se nota quoad se et quoad nos.

Propositio per se nota quoad se tantùm,

est illa cujus attributum est quidem essentiale subjecto, tamen non cognoscitur à nobis huic subjecto convenire, nisi per aliquod medium cognitionis; talis est ista propositio, *homo est rationalis*, nam rationalitas est quidem essentialis homini; tamen non cognoscitur à nobis homini convenire, nisi per aliquod medium cognitionis, nempè quia videmus hominem actu ratiocinari; indè enim evidenter colligimus illum habere rationalitatem, seu potentiam ratiocinandi.

Propositio per se nota quoad se et quoad nos, est illa cujus veritas nobis innotescit ex solâ terminorum apprehensione, seu quæ non indiget medio cognitionis quo probetur attributum convenire subjecto; qualis est ista propositio : *totum est majus suâ parte;* nam statìm atque homo cognoscit quid sit totum et quid sit pars, statìm intelligit absque ullo discursu illius propositionis veritatem. Hoc posito,

Resp. 1.° Illa propositio, *Deus est,* est per se nota quoad se, quia attributum illius propositionis est de essentiâ subjecti.

Resp. 2.° Illa propositio, *Deus est,* non est propositio per se nota quoad nos, quia licèt existentia conveniat essentialiter Deo, tamen id non cognoscitur à nobis, nisi per aliquod medium cognitionis, nempè per discursum vel per revelationem, ideòque veritas illius propositionis non cognoscitur à nobis ex solâ terminorum apprehensione.

Obj. Statìm atque cognoscimus quid sit Deus et quid sit existentia, eodem instanti cognoscimus existentiam convenire Deo; ergo illa propositio, *Deus existit,* cognoscitur esse vera

absque ullo discursu, ex solâ terminorum apprehensione, proindèque illa propositio est per se nota quoad nos.

Prob. ant. Nam per nomen Dei intelligitur ens quod continet omnes perfectiones, nomine verò existentiæ intelligitur perfectio, imò omnium perfectionum fundamentum; ergo nomine Dei absque ullo discursu intelligitur ens quod habet existentiam.

Resp. Dist. primum ant. Statìm atque intelligimus quid sit Deus et quid sit existentia, intelligimus existentiam convenire Deo, statìm, inquam, atque intelligimus quid sit Deus clarè et distinctè, *conc.;* confusè, *nego.* Porrò absque discursu non cognoscimus nisi confusè quid sit Deus, proindèque absque discursu non cognoscimus veritatèm illius propositionis, *Deus existit.*

PARS SECUNDA.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS IN GENERE.

ATTRIBUTA divina, alia sunt *primariò essentialia* quæ, scilicet, juxta nostrum intelligendi modum, primariò in Deo concipiuntur; alia *secundariò essentialia*, quæ nimirùm ex primario Dei conceptu fluere intelliguntur; ex his alia sunt *absoluta*, tribus personis communia, ut æternitas, omnipotentia, etc.; alia sunt *relativa*, quæ sunt singulis personis propria; ut paternitas, filiatio; verùm cùm ex professo de his dicturi sumus in *Tractatu de SS. Trinitate*, hìc agemus de *Attributis absolutis secundariò essentialibus*, et expendemus 1.° quisnam

sit illorum fons et origo; 2.° quomodò hæc Attributa distinguantur.

CAPUT PRIMUM.

Quis sit fons omnium Attributorum Dei.

Ubi quæritur quisnam sit fons et origo attributorum Dei, quæstio non est an sit in Deo attributum aliquod seu quædam perfectio quæ aliis attributis realiter præextiterit et à quo cætera realiter profluant. Cùm enim omnia quæ in Deo sunt sint ipsemet Deus, unum et idem sint et simul existant necesse est; quæstio igitur est quodnam sit illud attributum quod priùs juxta nostrum intelligendi modum in Deo concipiatur, et ex quo tanquam ex fonte cætera attributa derivari à nobis cogitantur; id porrò *gradus Dei constitutivus* seu *differentia Dei specifica* à Theologis sôlet appellari.

Triplex hâc de re circumfertur in Scholis opinio. 1.ª Thomistarum qui *gradum Dei constitutivum* seu *differentiam Dei specificam* sitam esse in *intellectione* existimant; 2.ª Scotistarum qui eamdem in *infinitate* reponunt; 3.ª quæ apud Theologos vulgaris est, pro *asseitate*, ut aiunt, seu existentiâ à se militat; cum quibus sit

CONCLUSIO.

Existentia à se est differentia Dei specifica, seu gradus Dei constitutivus.

Prob. 1.° *ex Script.* Ut enim sapienter monet S. Hilarius, lib. 5 de Trinitate: *Nobis lo-*

quendum non aliter de Deo, quàm ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est : atqui existentiâ à se Deus in Scripturis se discernit à quolibet ente hancque perfectionem sibi vult maximè peculiarem tribui ; Deus enim interroganti Moysi quis esset, Exod. c. 3, ℣. 14 : *Ego sum qui* SUM *; sic dices filiis Israel : Qui* EST *misit me ad vos.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* quorum seriem dabit Witassius ; instar omnium sit S. Bernardus, lib. 5, de Consider., c. 6, ubi sic de Deo disserit : *Quis est ?* inquit, *non sanè occurrit melius quàm qui* EST. *Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum ipso quidem injungente* : qui EST, misit me ad vos ; *meritò quidem..... si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est,* EST. Undè sic ; illud debet assignari pro *gradu Dei constitutivo,* quod ut primam in Deo perfectionem cæterarumque fontem agnoscunt SS. Patres : atqui SS. Patres asserunt existentiam necessariam primam esse, etc. ; ergo, etc.

Prob. 3.° *ratione.* Illa perfectio rectè assignatur pro *gradu Dei constitutivo* et *differentiâ Dei specificâ,* quæ prima in Deo concipitur, illum à quovis ente distinguit, et fons est et radix omnium perfectionum quæ ipsi tribuuntur : atqui talis est existendi necessitas ; 1. quidem est prima quæ de Deo concipitur perfectio ; nulla enim alia de Deo cogitanti prior occurrere potest idea quàm ipsum *esse.* 2. Deum discernit à quolibet alio ente ; namque hoc ipsi maximè proprium est quod sit à se ; cætera

quippe entia dùm illi comparantur intelliguntur entia ab alio et dependentia. 3. Fons est et origo cæterarum Dei perfectionum; si enim quæras cur Deus sit sapiens, justus, bonus et illimitatus in omni genere perfectionum, statìm reponetur quia est à se; si autem ulteriùs quæras cur sit à se, nulla alia occurret responsio quàm quòd tale concipitur ens esse debere; ergo, etc.

Obj. 1.° *cum Scotistis.* Infinitas, scilicet cumulus omnium perfectionum, est vera differentia Dei; ergo existentia à se talis non est.

Resp. Nego ant. Infinitas enim non concipitur ut quid primum in Deo; nam si quæratur cur Deus sit infinitus, et habeat cumulum omnium perfectionum, respondetur, quia cùm sit existens à se, non potuit ab alio limitari in suis perfectionibus; quarè existentia à se est veluti radix infinitatis perfectionum Dei.

Obj. 2.° *cum Thomistis.* Intellectio est essentialis Deo et prima quæ percipi potest perfectio substantiæ illius summè intelligentis; ergo est vera Dei differentia.

Resp. Nego ant. Vel enim *Intellectio radicalis*, ut aiunt, est prima Dei perfectio, ut quidam Thomistæ volunt, vel *Intellectio actualis*, ut contendunt alii; porrò neutrum dici potest. Non primum: *Intellectio* enim *radicalis* dicitur vis ipsa intelligendi: atqui vis ipsa intelligendi in Deo, prima in mentem non venit cùm de Deo cogitatur, quinimò Dei essentiam jam constitutam supponit; priùs enim res esse concipitur quàm hanc vel illam agendi facultatem habere. Non secundum, siquidem *Intellectio actualis* est operatio, quæ proindè non solùm naturam

jam constitutam supponit, sed et facultatem cujus actus est. Uno verbo, priùs intelligitur natura quàm intelligatur facultas intelligendi aut *Intellectio*; ergo neutra est differentia Dei specifica.

Et verò ea perfectio quæ Dei differentiam specificam constituit, non solùm, ex dictis, prima debet esse quæ in Deo concipitur, sed insuper requiritur ut ab eâ tanquam ex suo fonte cætera Dei attributa fluere cogitentur: porrò quomodò probabunt adversarii Deum esse simplicem, immensum, æternum, omnipotentem, quia vim habet intelligendi vel actu intelligit?

Obj. 3.° Existentia à se competit cuilibet Dei attributo; nullum quippe est quod causam agnoscat; ergo existentia à se non est Dei differentia specifica.

Resp. Dist. ant. Existentia à se inadæquatè sumpta competit cuilibet Dei attributo, *conc.*; adæquatè sumpta, *nego*. Existentia enim à se duplici sub respectu considerari potest, *inadæquatè* scilicet, pro negatione causæ præcisè, et *adæquatè* pro negatione non tantùm causæ, sed fontis et radicis à quo cætera dimanare concipiuntur: porrò hâc semel positâ distinctione, non difficilis est responsio; concedimus enim existentiam à se sumptam pro negatione causæ, cuilibet Dei attributo competere, cùm nullum sit quod causam agnoscat et non sit necessarium; sed negamus eamdem existentiam à se cuilibet Dei attributo convenire ratione fontis et originis; ipsa enim à cæteris attributis discrepare intelligitur quòd omnium sit fons et origo, ut probavimus, et nullum fontem et radicem suî non agnoscat.

CAPUT II.

De distinctione Attributorum Dei.

Observandum 1.° Circa præsentem quæstionem errârunt præsertìm 1, IV seculo Anomœi, quorum duces fuêre Aetius et Eunomius; contendebant enim nullam esse, nequidem per mentem, distinctionem in Deo. 2. Gilbertus Porretanus, Pictaviensis Episcopus, in Rhemensi Concilio damnatus ex eo quòd essentiam inter et attributa aliquam realem distinctionem admiserit; in quo verò præcisè illius error situs fuerit, vide Petavium, Theol. Dogm. lib. 1, c. 8.

Observandum 2.° hìc quæstionem non esse de attributis relativis quæ scilicet personis SS. Trinitatis propria sunt, quæ proindè realiter distinguuntur, ut dicemus in *Tractatu de SS. Trinitate*; movetur ergo quæstio de attributis absolutis, ad invicem et ad divinam essentiam comparatis: porrò circa hanc quæstionem triplex est in Scholis opinio; 1.ª est Scotistarum, juxta quos attributa divina, licèt à seipsis et à Deo inseparabilia, tamen ex naturâ suâ reipsâ formaliter distinguuntur; ita ut ante omnem mentis operationem unum aliud non sit. Hanc autem attributorum Dei distinctionem vocant *realem formalem;* 2.ª est Thomistarum, qui contendunt attributa divina non talia Deo inesse qualia à mente apprehenduntur, ut volunt Scotistæ, sed per operationem mentis tantùm à nobis in Deo distingui posse, quatenùs scilicet in Deo est fundamentum illius distinctionis, nempè Dei perfectio quæ virtutem

habet æquivalendi pluribus perfectionibus ; undè eam quæ inter Dei attributa reponunt distinctionem , *virtualem* nuncupare solent. 3.ª est opinio Theologis Nominalibus tribui solita, qui solam nominis inter attributa distinctionem admisisse supponuntur , sed immeritò ; Nominales enim , inter quos Gersonius, Cardinalis de Alliaco et cæteri , solo tantùm loquendi modo à Thomistis in præsenti causâ nobis discessisse videntur , et verò summam Dei perfectionem et suam proindè pluribus realiter distinctis æquivalentiam admiserunt. In illà autem summâ Dei perfectione , juxta Thomistas, virtualis distinctio consistit; ergo reverà inter hos et illos de re consensio fuit , at de vocabulo controversia erat ; scilicet Theologi Nominales, magis propriè loqui putantes, dicebant imbecillitatem mentis nostræ , non autem æquivalentiam Dei pluribus , esse causam distinctionis quæ in eo per mentem fit.

Observandum 3.° aliud esse *distinctionem* , aliud *diversitatem : distinctio* est negatio identitatis ; *diversitas* est negatio similitudinis ; proindè *distinctio* unicè cadit in entitatem , ita ut ibi tantùm sit realis distinctio , ubi multiplex occurrit entitas ; *diversitas* autem cadere etiam potest in modos seu perfectiones unius rei , adeò ut sit diversitas , ubi plures in eâdem entitate simplicissimâ reperiuntur modi dissimiles ; sic anima , ut potè monas simplicissima, nullam in seipsâ realem admittit distinctionem, benè verò diversitatem ; intellectio enim et voluntas sunt totidem ipsius modi planè dissimiles et diversi. His præmissis, quid circa præsentem controversiam sentiamus aperiet sequens

CONCLUSIO.

Attributa Dei absoluta nec à se invicem nec ab essentiâ divinâ realiter *distinguuntur, sed* virtualiter *tantùm.*

Duæ sunt partes.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Joan., c. 14, ℣. 6 : *Ego sum,* aiebat Christus, *via, veritas et vita.* I. ad Corinth. c. 1, ℣. 24 : *Prædicamus... Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam.* I. Joan., c. 4, ℣. 8 : *Deus charitas est.* Undè sic argumentamur : quæ sunt realiter distincta non possunt de se invicem prædicari in abstracto : atqui in Scripturis attributa absoluta nempè *veritas, virtus, sapientia et charitas* in abstracto prædicantur de personâ Christi et de Deo seu divinâ essentiâ ; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* S. Aug., lib. 6, de Trin., cap. 7 : *Deus multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indignè* de ipso *dici videtur, sed eadem magnitudo ejus est quæ sapientia... et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas quæ illa omnia.* Lib. 7 ejusdem operis, cap. 6 : *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omninò idem.* Et lib. 5 : *Hoc est Deo esse quod est magnum esse... Hoc et de bonitate et de æternitate et de omnipotentiâ Dei dictum sit, omnibusque omninò prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiari.* Textus illi tam clarè faciunt in gratiam nostræ assertionis, ut argumentum ex iis eruere supervacuum foret. S. Fulg. in respons. ad Ferrandum, n.° 17 : *Cùm,* inquit, *in Deo divinitatem, mag-*

nitudinem, bonitatem, virtutem nominamus, ... non in istis diversis nominibus quædam diversa, sed unum illud quod est essentia vel natura certissimè noverimus. S. Bernardus, lib. 5 de Consideratione, c. 7 : *Multa dicuntur esse in Deo..., sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habemus, sed centenitatem.*

Prob. 3.° Deus est ens perfectissimè simplex : atqui inter attributa entis simplicissimi nulla realis esse potest distinctio ; nam in ente simplici omnia sunt quid unum et idem, una eademque entitas ; sed ubi adest distinctio realis, jam omnia non sunt quid unum et idem, cùm realis distinctio, juxta definitionem ejus, sit negatio identitatis ; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars.* Quòd nimirùm attributa Dei à se invicem et ab essentiâ *virtualiter* distinguantur. 1.° Illa virtualiter distinguuntur quæ cùm sint una eademque res et simplicissima entitas, distinctis tamen attinguntur conceptibus : atqui attributa Dei licèt una eademque res ac simplicissima entitas, distinctis tamen apprehenduntur conceptibus, ut evidens est ; quis enim auditâ Dei misericordiâ eumdem ac auditâ ejus justitiâ sensum apprehendit ? 2.° Vel inter attributa Dei mentalis seu virtualis admittenda est distinctio, vel realis, vel nominis tantùm : atqui duo posteriora dici nequeunt ; realis enim ex primâ hujus conclusionis parte confutata manet ; altera quoque nominis distinctio in Anomæis à Patribus rejecta, omnium sensui repugnans invenitur ; ergo, etc.

Obj. 1.° *Ridiculum est,* inquit S. Basil., lib. 1 contra Eunomium, *si quis creandi virtutem, ipsam Dei dicat esse essentiam ; aut pro-*

videntiam rursùs essentiam, itidemque præscientiam esse essentiam statuat; ergo attributa Dei ab ipsius essentiâ realiter distinguuntur, cùm ex S. Basil. non sint ipsa.

Resp. Dist. Creandi virtus, providentia, præscientia et quodlibet aliud Dei attributum non est ipsa divina essentia, sensu virtuali, *conc.*; sensu reali et identico, *nego.* Itaque S. Basil. minimè negavit attributa Dei ipsam esse divinam essentiam in sensu reali et identico, cùm ex textu S. Doctoris suprà scripto unum et idem sint; statìm enim post objecta verba adjungit: *Necesse est ut idem inter se valeant nomina, ut evenit..... cùm Simonem et Petrum et Cepham eumdem hominem dicimus;* istud ergo tantùm negavit in sensu virtuali, et quidem meritò, propter virtualem attributorum Dei distinctionem; et verò Deus per essentiam suam æquivalet uni, et per creandi virtutem æquivalet alteri; ergo virtuali sensu, creandi virtus non est essentia.

Inst. Si attributa Dei non distinguerentur inter se realiter, jam dici poterit intellectum esse in Deo voluntatem, et justitiam in ipso esse misericordiam: atqui hæ loquendi formulæ nimis absonæ sunt; ergo, etc.

Resp. hanc objectionem solvi ope distinctionis mox allatæ. In sensu enim reali et identico verum est dicere intellectum esse voluntatem, quia in Deo eadem entitas simplicissima vult et intelligit; at sensu virtuali istud dici repugnat, id est, si Deus consideretur ut virtualiter multiplex, jam diversa quæ ipsi applicantur nomina, distinctas ejus virtualitates exprimentia, confundi non debent et promiscuè sumi ac eadem

dici; implicat enim Deum, prout æquivalet uni, esse Deum prout æquivalet alteri.

Obj. 2.° Varia Dei attributa distinctis apprehenduntur conceptibus; ergo verè distincta sunt.

Resp. Neg. conseq. Æquivalentia enim rei simplicissimæ pluribus, sufficit ut ipsa variis apprehendatur conceptibus.

Inst. 1.° Distinctis conceptibus respondent entia totidem distincta; ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Entitas enim simplicissima fundamentum præbere potest diversis conceptibus, sive ob plures ipsius modos intrinsecè diversos, sive ob ipsius agendi vim ad plura sese extendentem, sive ob respectuum ejus ad plura et distincta multitudinem. Sic, v. g., mens humana, etsi simplicissima, pluribus attingitur conceptibus, propter ipsius intellectionis ac voluntatis modos intrinsecè diversos; sic eadem omninò solis virtus liquefactiva ceræ, simul et indurativa luti, distinctis apprehenditur conceptibus.

Inst. 2.° Si diversis conceptibus diversæ in objecto non respondeant formæ seu entitates, jam conceptus illi veritate carerent; ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Imò si diversis de Deo conceptibus nostris diversæ responderent in ipso formæ seu entitates, jam conceptus illi suo non essent conformes objecto; Deum enim ac omnia ipsius attributa in unam eamdem simplicissimamque entitatem coeuntia nobis repræsentamus. Ut ergo res aliqua diversis et multoties repetitis attingatur conceptibus, duo requiruntur et sufficiunt, 1.° ex parte rei ut sit virtualiter multiplex seu pluribus æquivalens, 2.° ex parte intellectûs percipientis ut sit finitus; tunc enim

unicâ contemplatione suum exhaurire non potest objectum; porrò Deus ut potè infinitus, virtualiter multiplex seu pluribus æquivalens est; mens enim nostra admodùm est finita; diversis ergo ac repetitis conceptibus Deum apprehendere potest, scilicet modò unam, modò alteram ipsius virtualitatem contemplando; Deus se ipsum in rei veritate simplicem unico ac perpetuo cognoscit intuitu, nos autem præ finitudine mentis, tam infinitam et simplicissimam varietatem unicâ contemplatione assequi non possumus; hinc *post primam illam cognitionem*, inquit Petavius, tom. 1, lib. 1, cap. 9, *quâ totum Deum semel et universè complexus est animus, eumdem sæpiùs cogitando repetat, ac sigillatìm quæ insunt in eo minutatìmque discernat oportet.*

Inst. 3.° Mens humana in Deo verè distinguit; ergo in ipso non omnia sunt quid unum et idem.

Resp. Dist. ant. Mens humana in Deo distinguit virtualiter, *conc.*; realiter, *nego.*

Inst. 4.° Mens humana ita in Deo distinguit ut attributum sine alio consideret; ergo distinguit realiter.

Resp. Neg. conseq. Per abstractionem enim inseparabilia et virtualiter tantùm distincta seorsìm considerari possunt.

Obj. 3.° Singula Dei attributa propriam habent definitionem; ergo et suam quoque propriam entitatem.

Resp. Nego conseq. Namque intellectus et voluntas in homine non eodem modo definiuntur, sunt tamen una eademque simplicissima entitas, ut sensu intimo constat. Et verò si

voluntas realiter ab intellectu distingueretur, jam ipsa cæco ageret modo, cùm apprehensio esset in entitate distinctâ ab eâ quæ supponitur voluntatem constituere; itaque pluralitas definitionum plures non arguit entitates, cùm diversitas illa ex multitudine respectuum unius et ejusdem rei simplicissimæ ortum habere possit.

Inst. Definitio est oratio explicans naturam rei; ergo ubi plures sunt definitiones, ibi plures dantur naturæ; sed plures naturæ plures supponunt realitates seu entitates; ergo, etc.

Resp. Dist. cons. Plures naturæ, stricto sensu acceptæ, plures sunt entitates, *conc.*; plures naturæ latiori sensu intellectæ plures sunt entitates, *nego.* Itaque natura stricto sensu intellecta, dicitur substantia ultimò completa, latiori verò significatione sumitur pro ipsâ constitutione cujuslibet: porrò certum est ibi quidem plura esse entia ubi multiplex est natura stricto sensu intellecta, ut mox ex allatâ ipsius definitione patet; sed non ita est si naturæ vox latiori sensu pro constitutione cujuslibet accipiatur; etenim non solùm entia sed etiam ipsorum modi ac respectus suo modo concipiuntur, suam proindè naturam, sensu tamen latiori acceptam, possident.

Obj. 4.° De attributis divinis affirmantur contradictoria nimirùm, justitia punit et misericordia parcit; ergo distinguuntur realiter.

Resp. Nego ant. Hæc propriè loquendo contradictoria non sunt, quandoquidem non affirmantur et negantur de eodem et sub eodem respectu; sed impropriè tantùm sibi contradicunt, quatenùs sunt affirmatio et negatio

ejusdem et de eodem objecto præcisè ; sed ut aliquid affirmetur et negetur de eodem objecto, minimè requiritur distinctio realis, sed virtualis sufficit, cùm ex istâ nascatur diversitas respectuum quæ omnem tollit contradictionem ; contradictio enim est affirmatio et negatio de eodem et sub eodem respectu ; sic, v. g., centrum, absque ullâ reali distinctione sed ob diversos quos habet respectus, dici potest initium et finis linearum quæ à circumferentiâ circuli ad ipsum deducuntur.

Obj. 5.° Justitia et misericordia plus distinguuntur in Deo quàm intellectus et voluntas, inter quos tamen virtualis juxta nos obtinet dictinctio ; ergo saltem hæc duo distinguuntur realiter.

Resp. Nego conseq. Nam distinctio virtualis suscipere potest majus aut minus, prout varii effectus ad quos producendos valet entitas simplicissima, magis minusve oppositi sunt.

Obj. 6.° Si nulla sit in Deo realis distinctio, jam non potest cognosci quin cognoscatur totus et totaliter, id est adæquatè : atqui tamen sic cognosci non potest, ut experientiâ constat ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Deus etsi perfectè simplex potest cognosci quin cognoscatur totaliter, quia summa ejus perfectio, seu pluribus imò infinitis realiter distinctis æquivalentia, sufficit ut inadæquatè cognosci possit ; quidquid enim virtualiter multiplex est, secundùm unam virtualitatem apprehendi potest, quin secundùm aliam apprehendatur.

Quæ objici possunt ex distinctione trium Personarum solvuntur in *Tractatu de SS. Trinitate.*

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITÉ

PARS TERTIA.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS IN SPECIE.

De attributis divinis *absolutis* hìc tantum dicemus, de *relativis*, ut jam notavimus in *Tractatu de SS. Trinitate* acturi. Porrò attributa Dei absoluta alia dicuntur *negativa* quæ imperfectiones creaturarum à Deo removent, ut independentia, immutabilitas ; alia *positiva*, seu *affirmativa*, quæ aliquid perfectivum Deo tribuunt, ut justitia, sapientia. Iterùm attributa Dei vel ordinem ad creaturas dicunt, ut omnipotentia, providentia, vel ad eas non referuntur, nimirùm simplicitas, æternitas, immensitas, etc. De iis per singula disserendum est tot capitibus quot sunt attributa Dei exponenda.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Dei.

Circa unitatem Dei errârunt et Pagani et Hæretici nonnulli. Inter illos autem Hæreticos præcipui sunt Manichæi, qui duplex supremum admittebant principium, bonum unum à quo omnia bona, alterum malum à quo omnia mala producuntur.

CONCLUSIO.

Fide et ratione constat unicum esse Deum.

Prob. 1.ª *pars*, nempè quòd fide constet unicum esse Deum, *ex Script.* Deut. c. 32, ℣. 39 ;

Videte quòd ego sim solus et non sit alius Deus præter me. Et I. ad Cor. c. 8, ℣. 4 : *Nullus est Deus, nisi unus.* Idem legere est in aliis innumeris Scripturæ locis, in tribus catholicæ fidei Symbolis et in SS. PP. scriptis. Ad hanc veritatem comprobandam plura Deus edidit miracula, et multa Martyrum millia sanguinem fuderunt.

Prob. 2.ª *pars*, nempè quòd ratione constet unicum esse Deum, multiplici argumento.

1.° Si essent plures Dii, nullus foret Deus : atqui hoc manifestam involvit contradictionem; ergo repugnat plures esse Deos. *Major probatur :* si essent plures Dii, vel unus absolutè posset alterum impedire ab agendo, vel non posset : neutrum autem dici potest ; si enim unus posset alterum impedire ab agendo, is qui ab alio impediretur et dependeret in operando, non esset Deus; quippe oportet Deum esse omninò independentem; si verò unus alterum impedire non posset, ille qui non posset impedire, non esset Deus, cùm aliquid fieri posset eo invito : at Deus tantam debet habere potentiam, ut illo invito et repugnante nihil fieri possit; ergo si multi essent Dii, nullus foret Deus.

2.° Si plures sint Dii, non est potior ratio cur sint decem, v. g., quàm mille, cùm nullam supponantur agnoscere causam à quâ possint ad hunc potiùs quàm ad illum numerum restringi : atqui absurdum consequens; ergo et antecedens.

3.° Necesse est ut Deus contineat omnes perfectiones : atqui si essent plures Dii, nullus contineret omnes perfectiones ; non enim contineret perfectionem illam essentialem per quam alter

constitueretur et ab aliis distingueretur ; ergo repugnat omninò plures esse Deos.

Confirmatur 2.ª *pars* auctoritate Poetarum et Philosophorum Gentilium ; nam Orpheus agnovit unicum Deum, et sic canit : *Unicus est per se existens, qui cuncta creavit.* Idem agnovit Virgilius, Æneid. VI ; Plato in Timæo ; Aristoteles, lib. 8 Physicorum, et plures alii.

Prob. specialim contra Manichæos, duplex repugnare principium, quod utrumque necessitate naturæ feratur, aliud ad bonum, aliud ad malum ; namque malum illud principium vel esset bono principio superius, vel æquale, vel impar : primum dici non potest, aliàs solum malum principium Deus esset. Non secundum ; si enim utrumque esset æquale, jam contrà nitentibus in oppositum viribus æqualibus, neque bonum fieret in mundo neque malum. Tertium pariter dici non potest à Manichæis, 1.º quia solum bonum principium Deus esset ; 2.º quia jam Deus bonus sciens ac volens et quasi otiosus, opera sua à malo principio fœdari permisisset, potens istud impedire ; quo posito, ipsis Manichæis solvenda esset difficultas quam nobis opponunt.

Obj. 1.º Non magis repugnat plures esse Deos quàm plures personas divinas : atqui non repugnat plures esse personas divinas ; ergo non repugnat plures esse Deos.

Resp. Nego maj. et parit. Disparitas est, quia, sicut jam diximus, si plures essent Dii, neuter eorum posset, altero nolente, aliquid facere, et consequenter non esset Deus : at absurdum istud non sequitur ex pluralitate personarum ; cùm enim istæ personæ habeant

realiter unam et eamdem voluntatem atque potentiam, facilè concipitur quomodò absque ullâ imperfectione vel dependentiâ nunquàm possint in suis decretis et operationibus dissidere.

Deindè si plures essent Dii, non esset potior ratio cur forent decem, v. g., potiùs quàm mille : at absurdum istud non sequitur ex pluralitate personarum ; nam est tantùm in Deo duplex modus productionis ad intrà, scilicet per intellectum et voluntatem, quorum quilibet exhauritur per productionem unius personæ ; alia verò est improducta ; sicque in Deo sunt duntaxat tres personæ.

Deniquè si plures essent Dii, nullus eorum haberet omnes omninò perfectiones, cùm non haberet perfectionem alterius constitutivam et distinctivam : at absurdum istud non sequitur ex pluralitate personarum, nam unaquæque ex tribus personis est infinitè perfecta, licèt non habeat proprietates aliarum personarum, quippe ut docent S. Thomas et Bellarminus pluresque alii Theologi, proprietates seu relationes personales, præcisè consideratæ quatenùs ab essentiâ virtualiter distinguuntur, non dicunt perfectionem, sed una et eadem sunt perfectio infinita triplici modo in tribus personis divinis existens : hæc autem perfectio infinita est essentia divina, quæ in Patre est paternitas, in Filio filiatio, in Spiritu sancto spiratio passiva ; quarè Filius, v. g., eamdem habet infinitam perfectionem quàm Pater, licèt illam habeat diverso modo, id est, licèt Pater illam habeat secundùm relationem dantis, Filius verò secundùm relationem accipientis.

Obj. 2.° cum Manichæis, et Baylio eorum

Patrono : sunt in mundo bona et mala : atqui bona et mala duo arguunt principia, bonum unum, alterum malum; neque enim ab uno summo bono principio æqualiter procedere possunt; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim quadruplicis tantùm generis mala distingui possunt, quorum quidem nullum arguit malum principium.

1.° Mala *metaphysica*, id est entia minùs perfecta : verùm, ut ex se patet, ista propriè mala non sunt; nec enim ulla est creatura, quantumvis perfecta, cui talis ratio mali non competat, cùm nulla sit quâ perfectior dari non possit; adeòque hæc mala malum non arguunt principium. 2.° Mala *physica*, qualia sunt monstra, quæ in suo genere sunt imperfecta, malum non arguunt principium, sed sub uno Deo bono esse possunt. Scilicet, eorum imperfectio non est propriè à Deo, sed fluit ex certis ac generalibus legibus quas Deus pro casibus particularibus immutare non tenetur, imò quas sapientissimè non immutat, quia talia naturæ reliquia, ut in tabellis umbræ, ad universi pulchritudinem conferunt. Neque etiam malum principium probant cætera mala *physica* quæ nociva dicuntur, ut feræ, venena, tempestates, etc., tum quia hæc in se et respectu universi bona sunt, tum quia non nocent nisi in pœnam peccati, quæ pœna hoc utilitatis habet, ut justitia Dei declaretur, excitetur hominis industria, pœnitentia exerceatur, et peccati gravitas ostendatur.

3.° Mala *pœnæ* sunt à Deo bono; ille quippe de suo bonus, de nostro justus est, qui pœnam minatur et infligit nonnisi iis qui misericordiæ

ejus restiterunt. Undè sibi imputent peccatores, Dei severitatem in suppliciis experturi, cujus in donis contempserunt bonitatem.

4.° Mala *culpæ*, id est mala moralia, seu peccata, propriè quidem mala sunt, sed sub uno Deo bono, ab ipsâ creaturâ libertate suâ abutente procedunt.

Inst. 1.° Si unus sit Deus, vel potuit absque attributorum suorum et creaturæ libertatis detrimento peccata impedire sicut et creaturarum damnationem, et non voluit, vel voluit et non potuit; si prius, non est summè bonus; si posterius, non est summè potens; ergo, etc.

Resp. 1.° Totum istud argumentum invictè retorqueri adversùs Manichæorum bonum principium.

Resp. 2.° certum esse quòd sicut potuit Deus illa mala impedire, ita et potuerit permittere, quia neque ex parte creaturæ, neque ex parte suorum attributorum tenetur Deus impedire peccata; 1. quidem non tenetur ex parte creaturæ, tum quia ipsius propria culpa est ipsi soli imputanda, quòd peccata non vitet, cùm habeat auxilia sufficientia quibus illa vitare queat; tum quia creatura ex naturâ suâ finita est, proindè defectibilis nec impeccabilis; ergo, etc. 2. Non ex parte attributorum suorum, tum quia si Deus necessitate naturæ suæ peccata impediret, jam peccata essent impossibilia, jam ex necessitate naturæ divinæ beati essemus; proindè pro illis bonis tolleretur gratiarum actioni locus, quod dici repugnat; tum quia in hoc rerum ordine in quo permittitur peccatum, 1. datur exercitium libero arbitrio et locus merito; 2. manifestantur attributa divina,

omnipotentia in eruendo ex malo bonum, gloriamque suam ex eo quòd ipsi diametraliter oppositum est, misericordia in condonando peccatum, justitia in puniendo, aut mortem filii sui exigendo, sapientia in suppeditando tali remedio; 3. experitur creatura quid boni quidve mali de se possit, et ad conjiciendam in Deum spem et confidentiam excitatur; ergo non opponitur attributis divinis quòd permittat Deus peccatum; ergo, etc.; ergo sicut peccatum impedire potuit, ita et permittere potuisse certum est.

Inst. 2.° Qui potest impedire malum et non impedit, censetur illius auctor aut approbator; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Si teneatur impedire, aut si sit provisor particularis, *conc.*; si non teneatur et sit provisor generalis, rationes habens non impediendi, *nego.*

Inst. 3.° Ut Deus summè sapiens et summè bonus peccatum potuerit permittere quod est summum suî et creaturæ suæ malum, debuit habere finem rationabilem ad illud permittendum : atqui nullum Deus habere potuit finem ad permittendum peccatum; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Debuit habere finem, sed nostri muneris non est hunc assignare, *conc.*; secùs, *nego.* Hoc ipso quo probamus Deum permittere posse peccatum, eo ipso certum debet esse, ab ipso rationabilem finem in eo permittendo intendi posse, at nobis nulla necessitas est hunc finem assignandi; ecquis enim consiliarius ejus est?

CAPUT II.

De Simplicitate Dei.

SIMPLICITAS est negatio compositionis. Physica compositio dicitur unio plurium realiter distinctorum quæ in Deo, ex dictis, minimè reperitur : hinc præsens de Dei simplicitate quæstio soluta manet; sed quia plures Deum admisêre corporeum, Pagani scilicet, Sadducæi et Anthropomorphitæ, hìc paucis eos refellere juvat.

CONCLUSIO.

Deus est physicè simplex, non corporeus nec corpori essentialiter unitus.

Duæ sunt partes.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Joan. cap. 4, ℣. 24 : *Spiritus est Deus :* atqui spiritus est physicè simplex; ergò, etc. Et verò Scriptura Deo tribuit intellectum, voluntatem, libertatem, omnem deniquè perfectionem : atqui hæc omnia repugnant in subjecto composito, quale est corpus; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* Origenes, lib. 1 de Principiis, cap. 1 : *Non... corpus..., aut in corpore... putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex;* consentiunt cæteri omnes, nullo diffitente.

Prob. 3.° *ratione duplici.* 1.ª Deus est summè perfectus : atqui ens compositum seu corpus imperfectione non caret; ergo, etc. 2.ª Deus vult et intelligit : atqui ens compositum sive corpus cogitare et velle non potest; cogitatio

enim ac volitio, ut potè simplices, non possunt inhærere subjecto composito.

Prob. 2.ª *pars.* 1.° Duæ substantiæ prorsùs heterogeneæ, seu naturâ dissimiles, non possunt sese mutuò essentialiter exigere : atqui Deus et materiale corpus sunt duæ substantiæ heterogeneæ; ergo, etc. 2.° Omne corpus, ex probatis, est contingens, et proindè creatum à Deo : atqui dictu nimis absurdum est Deum essentialiter exigere unionem cum ente per seipsum creato; ergo, etc.

Obj. 1.° Ex Script., Deus habet oculos, manus, pedes; ad ipsius imaginem homo factus est; ergo, etc.

Resp. Hæc in Catechismo solvi.

Obj. 2.° In Deo sunt tres personæ realiter distinctæ; ergo Deus compositionem admittit.

Resp. Nego conseq. Ad compositionem enim distinctio requiritur simul et unio : atqui tres personæ quatenùs distinguuntur nullatenùs uniuntur, et quatenùs uniuntur in naturâ nullo modo distinguuntur.

Obj. 3.° Quidam Patres Deum admisêre corporeum; ergo, etc.

Resp. Nego conseq. Etsi pauciores numero hunc errorem propugnâssent, nihil contra nos qui veritatem non ex uno aut altero, sed ex unanimitate morali Patrum æstimamus; porrò nobis favet unanimitas illa.

Resp. 2.° Nego antecedens.

Inst. 1.° Melito, Sardensis Episcopus, II. Ecclesiæ seculo, Deum admisit corporeum, ut testatur Origenes apud Theodoretum, quæst. 20, in Genesim; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Namque ex veteribus Ori-

genes unus Melitonem tam crassi erroris incusavit, dùm cæteri, inter quos Eusebius, Hist. Eccl., lib. 4, cap. 25 aliàs 26, et S. Hieron., Epist. 83 aliàs 84, mentionem facientes libri à Melitone scripti, in quo solo fundatur Origenis accusatio, nihil simile huic Episcopo tribuunt; ergo Origenes qui, ut videtur, Melitonis opus non legerat, deceptus fuit titulo illius operis quod inscribitur græcè : *De Deo corpore induto*, ut vertit Rufinus, vel, ut vertunt alii : *De Deo corporato*, seu *carne induto*, aut etiam *incarnato*, id est de Christo.

Inst. 2.° Lactantius, lib. de Irâ Dei, cap. 2, Stoicos damnavit eo quòd figuram negâssent habere ullam Deum; ergo, etc.

Resp. Nego conseq. Significare tantùm voluit Lactantius Deum esse ens determinatum et peculiare contra Stoicos qui ipsum omne ens esse putabant. Et verò Dei simplicitatem expressè declarat Lactantius, lib. 7, cap. 9 Instit., his verbis : *Est Deus et incorporalis et invisibilis.*

Inst. 3.° Tertull., lib. contra Praxeam, c. 7, sic habet : *Quis negabit Deum corpus esse?* ergo, etc.

Resp. Nego conseq. Tertullianus corporis nomine in textu proposito intellexit aliquid reale et subsistens contra errorem Praxeæ, qui Filium Dei aliquid inane seu vacuum esse existimabat. *Tertullianus*, inquit S. Augustinus, lib. de Hæresibus, cap. 86, *animam... corpus esse contendit; neque hanc tantùm, sed ipsum etiam Deum; nec tamen hinc hæreticus dicitur; posset enim... putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas.* Quibus verbis S. Aug. constat textum Tertull. benigno sensu

intelligi posse ; sed de his plura apud Petavium, Thelog. Dogm., lib. 2.

CAPUT III.

De Infinitate Dei.

Infinitum, juxta vim nominis, est aliquid merè negativum ; significat enim carentiam finis seu termini : juxta rem nomine significatam, est aliquid maximè positivum; si quidem nihil aliud est quàm summa et nullis limitibus circumscripta perfectio. Infinitum aliud est *absolutè*, quod omnes in omni genere complectitur perfectiones, aliud *secundùm quid*, in aliquo tantùm perfectionis genere completum. Infinitum adhuc duplex, *actuale* quod hic et nunc omne quod haberi potest habet, et *potentiale*, quod absque fine augeri potest.

CONCLUSIO.

Deus est absolutè infinitus.

Prob. 1.° *Ex Script.*, Ps. 144, ℣. 3 : *Magnus Dominus et... magnitudinis ejus non est finis.*

2.° *Ex SS. PP.* S. Greg. Nyss., contra Eunomium, orat. 12, part. 2 : *Deus*, inquit, *neque major neque minor ex accessione vel substractione fit. Nam quod in majus fit incrementum, in infinito locum non habet.* S. Dionys., lib. de Divinis nominibus, cap. 5 : *Deus*, inquit, *non quovis modo est ens, sed simpliciter et infinitè.*

3.° *Ratione* superiùs allatâ, juxta quam con-

fectum est ens necessarium esse summè perfectum.

Obj. Scriptura quædam infinita vocat etsi limitibus constringantur, v. g., Numer., c. 32, ℣. 1 : *Filii Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia;* ergo à pari Deus vocari potuit infinitus, etsi limites habeat.

Resp. Nego conseq. Non eadem est Dei et creaturarum ratio, ac proindè quamvis unum utrobiquè nonnunquàm occurrat vocabulum, ipsi diversa subesse potest significatio, quod ex diversâ rerum conditione, item ex adjunctis innotescit, ut in casu proposito.

Notandum 1.° Deum dici infinitum quoad perfectiones, quia et quælibet ejus perfectio illimitata est, et etiam quia continet aliquo sensu infinitas perfectiones, cùm contineat omnes perfectiones possibiles.

Not. 2.° Omnes perfectiones *simpliciter simplices* quæ scilicet meliores sunt ipsæ quàm non ipsæ, id est, quas subjecto melius est habere quàm non habere, ut *sapientia, justitia* in homine, in Deo contineri formaliter, id est, secundùm propriam formam seu naturam. Talis est enim Deus ut ipso nihil melius excogitari possit: atqui nisi hujusmodi perfectiones complecteretur, aliquid ipso melius concipi posset, ens scilicet quod hujusmodi perfectionibus ornaretur. 2.° Omnes creaturarum sive possibilium sive existentium perfectiones in ipso *virtualiter* existere, quia virtutem eas producendi continet. 3.° Omnes perfectiones secundùm quid, adjunctam, scilicet, habentes quamdam imperfectionem in eo contineri *eminenter*, id est,

suppleri aliâ majori perfectione. Sic ratiocinatio in Deo est eminenter; Deus enim per infinitam suam scientiam multò perfectiùs ea cognoscit quæ nisi per ratiocinationem novimus. 4.° Perfectiones *simplices*, eas, scilicet, quæ nullam sibi adjunctam imperfectionem habent, cum æquali tamen perfectione in eodem supposito stare non possunt, ut *paternitas, filiatio, spiratio passiva*, has, inquam, perfectiones non omnes in quâlibet personâ formaliter, sed tantùm æquivalenter contineri, in quantùm, scilicet, tam filiatione perficiatur Filius, quàm suâ paternitate Pater, et sic de Spiritu Sancto; aliundè id quod cuique personæ deest ratione personalitatis suæ, illud idem ipsi ratione naturæ competit, in quâ tres personæ Sanctissimæ Trinitatis identificantur.

CAPUT IV.

De Æternitate Dei.

ÆTERNITATIS nomine, durationem intelligimus principio et fine carentem.

CONCLUSIO.

Deus est æternus.

Prob. 1.° *Ex Script.* Deuteron., cap. 32: *Vivo ego in æternum;* Psal. 89: *A seculo et usque in seculum tu es Deus.*

2.° *Ex SS. Patribus.* Tertull. lib. 1 contra Marcionem: *Definio*, inquit, *Deum summum esse, ... in æternitate constitutum, ... sine initio et fine.* S. August. lib. de Naturâ boni, cap. 1: *Summum bonum Deus est, ac per hoc*

incommutabile bonum est, ideò verè æternum. Cæteri Patres, nullo diffitente, idem sentiunt.

3.° *Ratione.* Deus necessariò seu essentialiter existit, ut fusè probant Philosophi : atqui ens essentialiter existens æternum est ; rerum enim essentiæ, ut fert axioma, æternæ sunt, independentes et immutabiles. Si Deus non esset æternus, jam aliquandò esse incœpisset : ut autem esse incœpisset, necesse omninò fuisset è nihilo educeretur vel ab alio, vel à semetipso, quæ duo absurda sunt, ut patet. Hæc clara sunt et ab omnibus concessa ; ratio enim et fides docent quòd supposito semel quòd sit Deus, jam ex æterno exstitisse necessum sit.

In quo verò consistat hæc Dei æternitas, ardua magìs et operosa quæstio, ne dicam homini impervia, quam premere silentio forsan satiùs esset. Quid enim sit tempus, quid duratio rei, per quid intelligatur in suo esse permanere, respondet alicubi S. Augustinus, quòd si non interrogetur, illud apprimè sciat, sed suam fateri cogitur ignorantiam, si exacta illius efflagitetur notio.

Percelebris fuit olim in scholis Thomistarum et Scotistarum de hâc re controversia. Systema Scotistarum hisce tribus continetur : 1.° Æternitas Dei successiva conflatur ex formalitatibus numero infinitis tum à parte antè, tum à parte post sibi indesinenter succedentibus; porrò quælibet formalitas est instans reale : pluralitas verò formalitatum sibi succedentium est duratio; deniquè numerus formalitatum sibi succedentium ex utrâque parte infinitus, est æternitas. 2.° Æternitas illa Deo intrinseca est ita ut veterem amittendo formalitatem, novam indesi-

nenter recipiat. 3.° Jugis ille ac continuus instantium realium in Deo fluxus immutabilitatem ejus nullatenùs lædit, eò quòd natura divina eadem semper manens, tota simul existat et formalitati instantaneæ pereunti succedit alia prorsùs æqualis : hæc est autem juxta Scotistas divinæ æternitatis accurata definitio : *Duratio Dei totius simul carens principio et fine.*

Contrà Thomistæ docebant æternitatem divinam totam esse simul, quia verè non distinguitur à Deo essentialiter et immutabiliter existente: hinc omnem instantium realium intrinsecam Deo successionem procul repellentes, virtualia tantùm in eo admittunt instantia; Deus enim semper idem omnibus coexistit successivis, quemadmodùm arbor juxta flumen posita, immota stat licèt diversis et præterfluentibus aquis coexistat; itaque sic æternitatem Dei definiunt Thomistæ cum Boetio : *interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.*

Nobis autem, si mentem nostram aperire licet, 1.° videtur systema Scotistarum rejiciendum esse : non enim facilè intelligitur illa formalitatum series Deo intrinseca. 2.° Thomistarum systema difficultate non caret; fatemur enim nos concipere non posse æternitatem unico instante constantem. Tam facilè conciperem, inquit quidam egregius auctor, immensum spatium unico puncto consistere. Si autem dicas cum quibusdam Thomistis, hoc instans unicum virtualiter omnia includere tempora, jam eòdem recidimus undè profecti.

Concludendum ergo nihil simul clarius æternitatis notione, nihil obscurius; non magis enim, inquit celeberrimus Clarke, notionem

æternitatis animo delere possumus quàm relationem quæ existit inter *bis duo* et *quatuor*. Si quidem frustrà ad secula præterita te cogitatione reportaveris, postquàm seculorum millia decurreris, aliquid semper ultrà reperies, nec licebit unquàm dicere : hìc duratio incipit.

Aliundè nihil æternitate obscurius : in quo constet hæc infinita duratio ; quî fit ut in præsenti momento infinita sit, et ante millia abhinc secula jam infinita exstiterit ; et post millia secula non magìs infinita futura sit ; hæc omnia conceptum humanum superant. Sufficiat ergo fidei scire nihil Incredulos adversus æternitatem moliri posse : nec ultrà mens progrediatur, incomprehensibilis comprehendere naturam insulsè quæritans.

Quæres an æternitas ita Deo sit propria, ut alteri non competat nec competere possit.

Resp. aff. 1.° Quidem æternitas ita Deo propria est ut alteri de facto non conveniat ; hinc fide divinâ certum est mundum ab æterno non existere. Joan. c. 17 : *Clarifica me, pater,* inquit Christus, *apud temetipsum, claritate quam habui priusquàm mundus esset.* Ex S. Thomâ, 1. parte, quæst. 46, art. 2 : *Quòd mundus incœperit esse, est articulus fidei.*

2.° Æternitas ita Deo convenit, ut alteri convenire non possit. Reverà S. Thomas docet mundum à Deo creari potuisse æternum ; *non est necessarium*, inquit 1.ª parte, quæst. 46, art. 1. in ipsâ conclusionis expositione, *non est necessarium mundum semper fuisse.... quamvis possibile hoc fuerit, si Deus voluisset.* Hinc plures Thomistæ, inquit Juennin, tom. 1, dissert. 4, quæst. 5, docent mundum potuisse esse ab

æterno secundùm entia successiva, quorum unum, scilicet, ab alio generatur; nobis tamem certissimum esse videtur repugnare creaturam æternitatis dote instructam, quæ, scilicet, initio carere possit.

Prob. 1.° *ex SS. PP.* S. Greg. Nyss. libro 1, contra Eunomium : *Fieri non potest*, inquit, *ut aliquid quod creatione productum est, vel in loco vel in tempore suum esse non habeat.* S. Athan. Orat. 2, contra Arianos : *Audiant*, inquit, *tametsi Deus semper possit facere, at res creatas æternas esse non posse, quippe ex non exstantibus sunt, et non erant antequàm fierent; quæ autem non sunt antequàm fiant, quínam poterant cum Deo qui semper est existere.* S. Fulg., lib. ad Monimum, cap. 12 : *Omne*, inquit, *creatoris opus sine initio non potuit nec potest fieri.* Idem sentiunt alii plures, quos videris apud Petavium collectos, libro 1, cap. 6.

Quidam adhuc proferunt testimonia Patrum qui divinitatem Verbi probârunt ex eo præcisè quòd initio caruerit : porrò, inquiunt, nullius momenti fuisset ista probatio, si creatura possit absolutè ab æterno existere.

Prob. 2.° *Ratione.* Etenim creatura non potest existere quin educatur ex nihilo; sed in ente quod ex nihilo educitur, ipsius existentiam nihilum præcedit; ergo, etc.

Hinc colliges creaturam etsi ab æterno possibilem, de facto tamen in tempore tantùm existere posse.

CAPUT

CAPUT V.

De Immensitate Dei.

IMMENSITAS, quæ juxta vim nominis mensuræ negatio est, 1.° magnitudinem infinitam, 2.° diffusionem seu præsentiam nullis contractam limitibus significat: Deum priori sensu immensum esse jam probavimus cap. 3, ubi de infinitate divinâ; ergo de immensitate posteriori sensu intellectâ unicè hìc agitur.

Tribus modis intelligi potest quòd Deus sit immensus seu diffusus: 1.° per scientiam quâ novit omnia; 2.° per virtutem seu potentiam quâ cuncta operatur; 3.° per essentiam seu substantiam quâ repleat omnia. Deum primo et secundo sensu immensum esse eâdem certitudine constat quâ liquet ipsum omniscium et omnipotentem esse; ergo hìc tantùm quæritur an Deus substantialiter sit immensus.

Juxta Petavium, catholici dogmatis non ignarum, salvâ fide catholicâ, dici potest Deum non ubique substantialiter esse præsentem, modò simul dicatur ipsum nullibi per substantiam esse, ut censuit Cartesius; at peccaret contra fidem, si quis Deum alicubi esse prædicans, v. g., in cœlo, ipsum ubique seu per omnia loca diffusum esse simul negaret, ut fecerunt pagani, qui Deos suos idolis, templis et cœlo tenebant affixos. *Ne temerè*, inquit doctissimus auctor jam citatus, tom. 1 Theologicorum Dogmatum, lib. 3, cap. 7, *ne temerè statìm hæresis inscribatur iis qui Deum ubique esse*

negent; videndum priùs quo id sensu faciant.... Nam si eo id affirment, quòd rem nullam spiritualem substantiâ suâ esse in loco putant, sed actione solâ, quod de Angelis ac Spiritibus etiam creatis Theologi veteres, ac post eos S. Thomas ejusque discipuli sentiunt, reprehendendi non sunt: certè fidei ad causam trahenda res non erit. Sin alicubi esse substantiam Dei, velut in cœlo, statuunt, alibi verò non esse docent, manifestæ hæresis tenentur. Jam sit

CONCLUSIO.

Deus est substantialiter immensus.

Prob. 1.° *ex Script.* Psal. 138 : *Si ascendero in cœlum, tu illìc es; si descendero in infernum, ades.* Jerem., cap. 33 : *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus.* Actuum, cap. 17 : *Deus non longè est ab unoquoque nostrûm; in ipso enim vivimus, movemur et sumus.* Ex quibus, 1.° substantiam Dei per omnia loca præsentem esse concluditur contra eos qui volunt Deum alicubi esse, v. g., in cœlo, non autem ubique; in textibus enim allatis præsentia Dei in terris eodem modo exprimitur ac præsentia in cœlis. 2.° Ex iisdem textibus etiam concludi potest Deum substantiali diffusione suâ immensum esse, ita ut mundo nullatenùs concludatur, sed ultra pateat habitans in semetipso. Etenim divinum quodlibet attributum non potest esse nisi infinitum : porrò in allatis Scripturæ textibus diffusio substantialis Deo tribuitur; ergo infinita est : sed diffusio substantialis infinita, ipsa est immensitas; ergo, etc. Quod significare voluit his verbis Salomon, lib. 3 Reg., cap. 8,

℣. 27 : *Si cœlum et cœli cœlorum capere te non possunt, quantò magìs domus hæc quam ædificavi!*

Prob. 2.° *ex SS. Patribus.* S. Clemens Alexand., lib. 7 Strom. : Vir, inquit, bonus est *cui persuasum est Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum.* Orig. Homil. 12 in Genes : *Quid est quod dicitur, abiit Rebecca interrogare ad Dominum... Quò abiit? ex eo loco in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum in quo erat?.... Nonne ubique est Deus? Nonne ipse dixit : Cœlum et terram ego repleo?* S. Athan. Epist. ad Serapionem : *Ubique est Filius cùm sit in Patre et Pater in ipso : creaturæ verò sunt in locis distinctis, veluti sol in firmamento, in cœlo Angeli, et homines in terrâ.* S. Chrys. in Psal. 112 : *Non enim tanquam in cœlo inclusus respicit eminùs* Deus *quæ sunt in terrâ, sed ubique præsens et omnibus assistens*; et in Psal. 138 : *Omnia imples, omnibus ades, non per partes, sed omnibus simul totus.* Theodoretus, Oratione 10 de Providentiâ : *Naturam* Dei *minimè circumscriptam esse credimus : audivimus enim dicentem ipsum : nonne cœlum et terram ego impleo?* S. Cyrill. Alexand., lib. 11 in S. Joan.: *Non est divinum numen in loco, nec ab ullâ re abest omninò; implet enim omnia, et omnia permeans, extra omnia est et in omnibus.* S. Hieron in cap. 2 Epist. ad Eph. : *Deus ubique est et totus ubique est; à quo igitur quis potest separari, cùm in eo sint omnia?* S. Ambros. de Symbolo Apost., cap. 22 : *Deus in omni credendus est consistere loco, cui Propheta dicit: Quò ibo à facie tuâ?* Deniquè S.

August., Epist. 187, ad Dardanum, cap. 4 : *Est Deus per cuncta diffusus. Ipse quippe ait per Prophetam : Cœlum et terram ego impleo... Non tamen per spatia locorum quasi mole diffusâ, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, sed et in cœlo totus, in solâ terrâ totus, et nullo contentus loco, sed in seipso, ubique totus.*

Hæc omnia Patrum testimonia præsentiam Dei non solùm intelligentiâ et virtute, sed etiam substantiali diffusione clariùs exprimunt; deindè hanc suam de immensâ et substantiali diffusione ex Scripturâ confirmant : sed, ut jam dictum est, à communi Patrum sententiâ in Scripturæ expositione recedere nefas est; ergo substantialem Dei extensionem, et quidem immensam, fateri cogimur. An verò immensitas divina substantialis solâ ratione evinci possit, disputatur. Affirmant plures, negant pauci. Pars affirmans sequentibus solet confirmari argumentis.

Primum. Deus habet omnes perfectiones simpliciter simplices : atqui immensitas substantialis, est perfectio simpliciter simplex; melius enim est eam habere quàm non habere, nullamque imperfectionem adjunctam habet; ergo, etc.

Secundum. Anima licèt spiritualis et simplex, diffusionem substantialem finitam habet; siquidem toto corpore diffunditur, ut refert sensus intimus; ergo substantialis diffusio non repugnat spiritui simplicissimo; ergo non repugnat in Deo; ergo reverà ipsi competit; ens enim necessarium, ut jam dictum est, quidquid habere

potest, reverà possidet; ergo Deus habet extensionem substantialem in gradu infinito : non enim potior est ratio cur in tali potiùs quàm in alio extensionem illam possideat; ergo in omni gradu habet eam ; ergo et immensitatem substantialem, quæ nihil aliud est quàm infinita diffusio Dei secundùm substantiam.

Tertium. Deus ubique operatur : sed operatio Dei à substantiâ ejus non distinguitur; ergo ipsa est ubique.

Quartum. Deus alicubi existit ; nullibi enim existere et non existere sunt unum et idem : sed si Deus alicubi existat, ubique debet existere ; non enim est potior ratio cur in uno habitet loco potiùs quàm in alio.

Obj. 1.° Textus in probatione allati evincunt tantùm præsentiam Dei in omnibus locis per scientiam et operationem ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Nam juxta textus illos, Deus est in cœlo et in terrâ, utrumque replet; in ipso cuncta sunt et vivunt : hæc autem omnia substantialem præsentiam propriè ac litteraliter significant : porrò nulla ratio cogit ut à sensu litterali et proprio textuum, hujusmodi discessus fiat; imò ne à sensu litterali discedamus obstat communis Patrum interpretatio ; ergo, etc.

Inst. 1.° Textus Psal. 138 : *Si ascendero in cœlum*, etc., et alter Jerem. 33 : *Ego cœlum et terram*, etc., ad præsentiam Dei per scientiam determinantur ex antecedentibus; prior quidem ex iis quæ antecedunt : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : quò ibo à spiritu tuo et quò à facie tuâ fugiam? si ascendero in cœlum, tu illìc es*, nimirùm scientiâ; posterior quoque

ex iis quæ præcedunt : *Si occultabitur vir in absconditis et ego non videbo eum; nunquid non cœlum et terram ego impleo?* videlicet, scientiâ.

Resp. Nego ant. Reverà in antecedentibus duorum textuum quos in probationem attulimus, de præsentiâ Dei per scientiam suam agitur, sed non ideò subsequentia ex his restringi debent; nulla enim, ex dictis, restringit ratio; ita ut auctor sacer præcedentia non dixerit ad restrictionem eorum quæ sequuntur, sed potiùs ista in confirmationem illorum protulerit, quasi dixisset : nullus seipsum oculis Dei subducere potest, quia Deus per substantiam suam in omnibus præsens est.

Inst. 2.° Saltem textus Apost. *in ipso vivimus*, etc., nihil probat; sic enim reddi potest: *per ipsum vivimus*, etc., quæ præsentiam Dei per operationem tantùm indicant; quòd autem ista conversio fieri possit, suaderi potest ex aliis Scripturæ locis, in quibus particula *in* idem ac *per* significat. Epist. ad Heb., cap. 1 : *Novissimis diebus istis locutus est nobis Deus in filio*, id est, per filium.

Resp. Nego ant. In præfato Apost. textu, particula *in* vulgarem retinere debet significationem, nec in alteram *per* convertenda est, etsi talis conversio quandoquè fiat. Ratio est quòd ista quæ præcedunt, *non longè abest ab unoquoque nostrùm*, subsequentia, *in ipso vivimus*, etc., ad sensum præsentiæ substantialis determinent.

Obj. 2.° Psal. 11 : *Deus noster in cœlo*; ergo ubique non est.

Resp. Nego consequent. Nam, ut loquitur

S. Bernardus, Sermone 1.° in Psal. 90 : *Licèt Deum ubique esse non dubitem, sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris;* sicut enim anima cùm in toto sit corpore, tamen excellentiùs et singulariùs est in capite ; ita Deus : nimirùm speciatìm est in cœlo, quia locus ille, ut loquitur S. Joan. Damasc., est magìs particeps operationis et gratiæ Dei.

Inst. 1.° Atqui Deus ita in cœlo esse dicitur, ut à terris excludatur : nimirùm, Psal. 113 : *Cœlum cœli Domino ; terram autem dedit filiis hominum ;* ergo, etc.

Resp. Nego ant. Sensus versiculi talis est : Deus sic terram hominibus permittit quasi in eâ non esset, ut omnem in cœlo gloriam suam et operandi virtutem explicet.

Inst. 2.° In Scripturâ pluries Deus dicitur ascendere, descendere, ambulare, Gen., cap. 11 et 18 ; Deut., cap. 13, etc. ; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Quia locutiones illæ metaphoricè intelligi debent : *Vide*, ait S. Aug., Sermone 70 de Tempore, *ne ascensionem et descensionem localem intelligas ;* indignum est enim hoc de incorporeâ et ubique totâ sentire substantiâ ; sed descendere dicitur Deus quandò curam fragilitatis humanæ habere dignatur.

Obj. 3.° Absurdum est dicere Deum esse in Dæmonibus ; ergo, etc.

Resp. Iis multò minùs inquinatur Deus quàm sol dùm luce suâ cloacas perlustrat.

Obj. 4.° Quidam Patres dicunt Deum nullibi esse ; ita S. Chrysostomus, Homiliâ 5.ª in Epistolam ad Coloss. ; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Juxta quosdam Patres Deus

nullo est in loco circumscriptivè et definitivè, *conc.*; repletivè, *nego*. Itaque, juxta veteres, tribus modis in loco esse aliquid potest, nimirùm *circumscriptivè*, *definitivè* et *repletivè*: esse in loco *circumscriptivè*, est variis loci partibus per varias suî partes respondere; ejusmodi locatio circumscriptiva corporibus convenit. Esse in loco *definitivè*, est in loco contineri, nec extra illum spatiari; quæ loca replendi ratio, spiritibus creatis competit. Demùm esse in loco *repletivè*, est locum et varias loci partes secundùm se totum replere, et extra illum etiam protendi; porrò Deus est in loco *repletivè* simpliciter, non autem *circumscriptivè* aut *definitivè*; et hoc duplici posteriori tantùm sensu aliqui Patres Deum in loco esse negârunt.

Obj. 5.° Deus est simplex; ergo immensus non est.

Resp. Nego consequent. Simplicitas tantummodò excludit multitudinem partium realiter distinctarum : atqui substantialis immensitas non constat partibus realiter distinctis; ipsa enim sicut Deus, à quo realiter non distinguitur, simplicissima est.

Inst. 1.° Substantialis immensitas, infinita est quædam diffusio seu extensio : atqui omnis extensio simplicitati repugnat; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Extensio materialis et composita simplicitati repugnat, *conc.*; extensio spiritualis et simplex, *nego*. Porrò diffusionem postremi generis in Deo tantùm admittimus; ergo integra manet divina simplicitas.

Inst. 2.° Atqui omnis extensio essentialiter composita est, et partibus realiter distinctis constat; ergo nulla solutio. Et verò in omni

extensione distinguitur pars superior et inferior, altera quæ ad dexteram, dùm ad sinistram altera protenditur.

Resp. Nego subsumptum. Quis enim hominum ita probè naturam extensionis perspectam habet, ut ipsam essentialiter compositam esse indubitanter asserat? Nonne potiùs meritò suspicamur tale judicium esse erroneum, suamque ex eo trahere originem, quòd extensioni compositæ ac materiali per sensus nimiùm assuefacti, vix ab eâ præscindere possumus ubi de spirituum extensione cogitandum nobis occurrit. Nec dicatur extensionem, partes essentialiter includere, superiorem nempè ac inferiorem, etc.; istud quidem verum est de extensione sensibili, physicâ et materiali, quæ corporibus convenit, non autem de alterâ spirituum propriâ, juxta quam toti sunt in toto, et toti in quâlibet loci parte.

Cæterùm ab ampliori objectionum examine abstinemus, quia immensitas Dei unum est ex illis attributis quæ non solùm non comprehendere, sed nequidem vel leviter juxta propriam formam et ideam attingere possumus. Quis enim naturam spiritualis extensionis detegere unquàm poterit? Res tamen ex aliquo facto certo et naturaliter cognito illustrari potest : nimirùm, substantiæ spiritales et creatæ, quamvis simplices, pluribus non modò successivis sed etiam simultaneis afficiuntur modis; v. g., mens humana simul cognoscere, amare, dolere, lætari potest : porrò non magis repugnare videtur substantiam maximè simplicem diffundi et extendi, quàm pluribus simul affici existendi modis; itaque substantialem Dei immensitatem

ex revelatione certò cognoscimus, ut ex probationibus allatis constare videtur; at modum illius explicare nulli mortalium hùc usque datum est. Certè Deus non est diffusus ad instar corporum, quæ partes habent reales positas extra partes, quæ per majores majus occupant spatium, minus verò per minores; non ita Deus extenditur et ubique diffunditur. *Non* est *in dimidio mundi corpore dimidius, et in alio dimidio dimidius*, inquiebat S. Augustinus, textu suprà citato, *atque ita per totum totus; sed et in cœlo totus, in terrâ totus, et nullo contentus loco, sed in seipso, ubique totus.* Deum ut potè simplicem, ex hypothesi quòd sit immensus, non aliter diffundi posse evidentissimum est : at quomodò sic diffundi possit, credere quidem homo potest, concipere verò non potest; nec mirum : qui enim vel in minimis et quasi sub manu nostrâ positis quotidiè cæcutit, quomodò naturam attributorum Dei intelligere poterit? In præsenti ergo fas sit usurpare verba cujusdam auctoris nimiùm famosi (*Rousseau*), qui utinam eodem semper de Deo ac Religione modo locutus fuisset : *Plus je m'efforce de contempler son essence infinie, moins je la conçois; mais elle est : cela me suffit. Moins je la conçois, plus je l'adore; je m'humilie et je lui dis : Être des êtres, je suis parce que tu es; c'est m'élever à ma source que de te méditer sans cesse. Le plus digne usage de ma raison est de s'anéantir devant toi; c'est un ravissement d'esprit, c'est le charme de ma faiblesse, de me sentir accablé de ta grandeur.*

CAPUT VI.

De Libertate Dei.

LIBERTAS est *immunitas à necessitate*, seu ab invincibili ad unum determinatione : hinc liber est qui ita unum potest agere ut ab eo etiam abstinere possit.

1.° Deus non est liber in suis operationibus *ad intrà*, iis, scilicet, quarum terminus intra Deum subsistit : nimirùm, in generatione Verbi divini et in spiratione Spiritûs Sancti ; fides enim docet nos Deum ab ejusmodi operationibus abstinere non posse.

2.° Deus non est liber circa malum ; ita ut necessitate suæ naturæ sit impeccabilis : fides et ratio hanc veritatem nos edocent.

3.° Deus non est liber eâ libertate quæ dicitur consequens : hoc sensu quòd decretum semel ab ipso positum revocare non possit ; talis enim libertas Deum verè mutabilem et imperfectum supponeret, quod repugnat. Quæstio itaque eò reducitur utrùm Deus ita sit liber in suis operationibus ad extrà, quorum, scilicet, terminus extra ipsum est, nimirùm circa creaturas, ut potuerit creare vel non creare, et in hypothesi creationis, majus vel minus perfectum producere.

Leibnitzius, celebris philosophus, asseruit, libro cui titulus *Essai de Théodicée*, Deum rationibus bonitatis et sapientiæ certò et infallibiliter determinatum fuisse, 1.° ad creandum ; 2.° ad creandum hunc mundum præ

altero; 3.° ipsum tamen fuisse liberum, quia, ut loquitur, necessitas moralis ortum habens ex principio rationis sufficientis certò et infallibiliter determinantis, libertatis amica est, quam sola destruit necessitas cæca, extrinseca et metaphysica.

Malebranchius Leibnitzii systema plurimùm temperavit. 1.° Juxta ipsum, Deus ut potè sibi sufficientissimus, liber fuit ad creandum : ita creavit ut potuerit non creare. 2.° Ex hypothesi tamen quòd liberè ad creandum sese determinaverit, jam opus perfectissimum et optimum producere debuit; id est, opus quod ratione bonitatis suæ intrinsecæ, et simul ratione perfectionis, characterem divinorum attributorum maximè gerat, ipsaque optimo manifestet modo. 3.° Si plures mundi æquè perfecti ac optimi verè sint possibiles, tunc Deus potest ex illis quem voluerit eligere.

CONCLUSIO.

Deus perfectè liber est in suis operibus ad extrà, ita ut potuerit creare vel non creare; et in hypothesi etiam creationis, minùs perfectum eligere.

Prob. 1.° *Ex Script.* Ps. 93 : *Deus ultionum liberè egit*, et Ps. 113, ℣. 11 : *Omnia quæcunque voluit fecit.* Ad Ephes., cap. 1, ℣. 11 : Deus *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Epist. ad Rom., cap. 9, ℣. 18 : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* I. ad Corinth., cap. 12, ℣. 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult;* id est, *pro libero voluntatis*

arbitrio, non pro necessitatis arbitrio, inquit S. Ambrosius, lib. 2 de Fide, cap. 3.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* S. August., lib. 32 de Civitate Dei, cap. 30 : *Deus ipse, nunquid quoniam peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est?* S. Epiph., Hæresi 23.ª : *Deus*, inquit, *hominem et cætera omnia pro sud voluntate creavit.*

Prob. 3.° *Multiplici argumento.* 1.° Deus est summè perfectus : atqui ens summè perfectum libertate gaudet in suis operibus ad extrà; cùm libertas ejusmodi sit perfectio simpliciter simplex, quam melius est habere quàm non habere.

2.° Quisquis in agendo exteriùs nec ex naturâ suâ, nec ab alio necessitatur, iste procul dubio liber est in suis ad extrà operibus : atqui Deus in agendo nec à naturâ suâ, nec ab alio necessitatur; non quidem ex naturâ suâ, cùm sibi perfectè sufficiat; nec ab alio, cùm sit prorsùs independens.

3.° Qui nec ab extrinseco nec ab intrinseco necessitatur ad agendum exteriùs, profectò liber est in suis operationibus ad extrà : porrò Deus nec ab extrinseco nec ab intrinseco necessitatur : 1. Quidem non ab extrinseco; namque Deus est independens, ut potè ens necessarium; sed quod est independens non potest ab extrinseco, id est, ab alio, necessitari, ut patet. Prætereà ab æterno Deus seipsum determinavit; sed nihil est ab æterno extrinsecum Deo, quod ipsum necessitare potuerit, cùm ipse solus ab æterno existat; ergo, etc. 2. Nec ab intrinseco Deus necessitari potest; si enim ab intrinseco necessitaretur, jam necessitas illa physica vel moralis foret; utrumque dictu re-

pugnat : 1. quidem Deus non ab intrinseco necessitatur physicè; is enim physicè ab intrinseco necessitatur cujus voluntas ex seipsâ quasi cæco impetu essentialiter erumpit in actum : atqui voluntas divina non ita se habet in operibus ad extrà ; namque ens cujus voluntas ex seipsâ quasi cæco impetu essentialiter erumpit in opus externum, non est sibi perfectè sufficiens, cuncta quæ potest operatur, et quamprimùm potest opus suum exsequitur : sed è contrà, Deus sibi perfectè sufficit, non omnia quæ potest operatur, mundumque præsentem citiùs creare potuisset, ut evidens est ; ergo 1. Deus ab intrinseco non necessitatur physicè. 2. Nec moraliter : ille enim ab intrinseco necessitatur moraliter, qui ob certas rationes judicat sibi determinato quodam modo agendum esse : atqui respectu Dei nullæ sunt rationes ob quas judicet sibi determinato quodam modo agendum esse : vel enim ita judicaret quia summè perfectus est, vel ut fieret summè perfectus et felix : utrumque repugnat : 1.um quidem, nam summa Dei perfectio exigit tantùm ut attributa sua non neget aliquid ipsis contrarium faciendo : Deus enim seipsum negare non potest; non verò exigit ut sua manifestet attributa, cùm ejusmodi attributorum manifestatio ad gloriam Dei externam seu accidentalem pertineat, quâ carere potest, eò quòd independenter ab omni re ipsi extrinsecâ summè perfectus ac beatus sit. 2.um Quoque repugnat, id est, non judicat Deus sibi certo quodam modo exteriùs agendum esse ut summè perfectus et beatus evadat, tum quia summa Dei perfectio non pendet à creaturarum productione, quæ ipsam augere non possunt,

cùm sint participationes plenitudinis ejus, tum quia Dei summa beatitudo consistit in cognitione et fruitione ipsius perfectionum quæ, ut jam dictum est, à creaturis minimè pendet.

4.° Deus est liber ad extrà, modò potuerit non creare, et in hypothesi creationis, minùs perfectum eligere : atqui hæc duo vera sunt : 1. quidem Deus potuit non creare, et res ita est si Deus nec sibi nec creaturæ debuit ut crearet : atqui non sibi debuit ut crearet, cùm à seipso perfectus beatusque sit, ut jam dictum est; non creaturæ debuit ut ipsam produceret; creatura enim ante formationem suam nihil est, et proindè ipsi aliquid debere non potest Deus. 2. In hypothesi creationis potuit etiam minùs perfectum eligere ; qui enim non creando potuit non manifestare attributa sua, sanè minùs perfectum creando, potuit ea minùs manifestare : atqui ex mox dictis Deus potuit non creare; ergo, etc.

Obj. 1.° Libertas imperfectione mixta est; ergo Deo non convenit.

Resp. Dist. ant. Libertas prout est in homine, imperfectione mixta est, *conc.;* prout est in Deo, *nego.* In homine libertas 1.° ad malum flexibilis est; 2.° inconstans, mutabilis; 3.° suspensionem involvens; 4.° plurium successione actuum exercetur : at libertas divina his caret defectibus. Deus enim unico actu pro semper ab æterno et ad omnia quæ vult bona liberè determinatur. Et verò quod ex summâ perfectione originem ducit, nonnisi perfectum esse potest : atqui libertas in Deo ex summâ ipsius perfectione nascitur, videlicet ex summâ ejus independentiâ et sufficientiâ.

Inst. 1.° Libertas est indifferentia : sed indifferentia est imperfectio; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Libertas est indifferentia electionis, *conc.;* suspensionis, *subdist.* In homine, *conc.;* in Deo, *nego.* Itaque libertas Dei consistit in indifferentiâ electionis, quia potest ad nutum eligere; non autem in indifferentiâ suspensionis, quia nullo tempore indiget ad se determinandum; ab æterno enim omnia videns, simul ad omnia pro nutu seipsum liberè determinat : porrò sola indifferentia suspensionis est imperfectio; ergo, etc.

Inst. 2.° At nequidem electio, propter adjunctam sibi imperfectionem, cadere potest in Deum, ut habet S. Joannes Damasc., lib. de Fide orthodoxâ.

Resp. Dist. ant. Nequidem electio prout est in homine, et consultationem seu rei ignotæ inquisitionem includit, talis, inquam, electio non cadit in Deum, *conc.;* electio simplex, nimirùm assumptio unius et derelictio alterius, *nego.* Electio primi generis non convenit Deo, qui omnia unico intuitu ab æterno videt; sed altera quæ nullâ imperfectione mixta est.

Obj. 2.° Deus non potest non creare; ergo non est liber.

Resp. Nego ant. Ex dictis enim Deus nec sibi nec alteri debet ut ad extrà operetur.

Inst. 2.° Si Deus posset non creare, jam potentia ipsius inutilis foret, quod repugnat; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Si Deus posset non creare, jam potentia ejus foret inutilis, creaturæ, *conc.;* ipsi Deo, *nego.* Siquidem etiam in hypothesi non creationis, Deus contemplatione ac frui-

tione omnipotentis virtutis suæ beatus efficitur. Deindè, quod nimis probat, ex axiomate, nihil probat : sed objectio proposita nimis probat, istud, scilicet, Deum omnia quæ potest operari debuisse, quod apertè falsum est et contradicit experientiæ.

Inst. 2.° Deus quia summè bonus, naturaliter inclinatur ad sese communicandum, creando scilicet : atqui non potest huic inclinationi resistere, aliàs naturæ suæ repugnaret; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Deus naturaliter inclinatur ad sese communicandum, id est, infinitam ad sese communicandum habet aptitudinem ex naturâ suâ, *conc.;* id est motionem necessariam ad seipsum communicandum experitur, *nego.* Porrò ex eo quòd Deus ex naturâ suâ aptissimus sit ad operandum ad extrà, non ideò tenetur seipsum communicare propter rationes allatas.

Inst. 3.° Actualis ex parte Dei communicatio est bona; ergo in Deo reperiri debet.

Resp. Dist. ant. Est bona respectu creaturæ *conc.;* respectu Dei, *subdist.* Quatenùs confert ad gloriam ipsius externam et accidentalem, quâ non indiget, *conc.;* quasi conferat ad gloriam ipsius essentialem, *nego.* Itaque gloria Dei alia est interna seu essentialis, alia verò externa seu accidentalis. Prior, infinita est Dei perfectio, testimoniumque est quod sibi de propriâ excellentiâ reddit; posterior consistit in eo quòd Deus à creaturis ratione præditis cognoscatur, adoretur et ametur, quòdque in operibus suis exprimatur, et sua in eis veluti pingantur attributa : porrò ad gloriam Dei essen-

tialem nihil confert creatio ; Deus enim sive ad extrà operetur, sive non operetur, perindè felix ac perfectus est ; confert tantùm ad gloriam Dei accidentalem quâ carere potest ; ad ipsam ergo propterea non tenetur.

Obj. 3.° Deus ad unum rationibus sapientiæ necessariò determinatur ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Deus ad unum necessariò determinari nequit ab alio, cùm sit independens; nec à se ipso, quia sibi sufficiens est ; ergo, etc.

Inst. 1.° Deus ad optimum necessariò determinatur ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Optimum non potest esse respectu Dei necessarium nisi ut finis, vel ut medium ad finem : atqui 1.° non ut finis, qui Deus ipse est ; 2.° non ut medium ad finem ejus, qui per se est ; ergo, etc.

Inst. 2.° Ille tenetur ad unum et quidem optimum, qui nec inter æqualia potest eligere, nec inter inæqualia minus præ majori bono potest assumere : atqui Deus nec inter æqualia potest eligere, nec inter inæqualia minus præ majori bono potest assumere ; ergo, etc.

Resp. Nego min. 1.° Deus potest inter bona æqualia, v. g., inter mundos æquè perfectos unum præ alio velle, quia ratio boni reperitur in assumpto, quæ est motivum sufficiens ut Deus possit eum assumere, et ratio imperfectionis quæ adest in rejecto, necnon ratio divinæ sufficientiæ est motivum sufficiens ut Deus possit eum respuere. Dixi unum præ alio *velle*, non autem *eligere*, quia electio videtur importare unius præ alio æstimationem, quæ prælatio inter duo æqualia insipiens foret. Dixi etiam motivum *sufficiens*, non autem *determinans*, quia etsi

Deus, ut potè sapiens, inter agendum ad extrà sibi necessariò quoddam proponit motivum, quod non potest esse nisi quædam ratio boni, hâc tamen ratione, propriè loquendo, non determinatur; agit enim quia vult; ratio facti in Deo, est voluntas facientis. 2.° Deus potest inter inæqualia minùs bonum præ alio assumere, quia productio minùs et magis perfecti, imò nullius rei productio, respectu Dei, qui suus finis est ultimus, sunt media prorsùs æqualia.

Inst. 3.° Deus ut potè sapiens, agere non potest sine ratione sufficienti : atqui nulla est ratio sufficiens inter duo æqualia unum assumendi, altero derelicto ; ergo, etc.

Resp. Nego min. Siquidem in eo quod assumitur ratio boni, et in eo quod derelinquitur ratio boni non necessarii, est ratio sufficiens respectu Dei ad unum, altero relicto, assumendum: est, inquam, ratio *sufficiens*, non autem propriè movens ac *determinans*; Deus enim, ut jam dixi, quia à se ipso beatus ac perfectus, sibique sufficientissimus, à nullâ re sibi extrinsecâ moveri et determinari potest, et hoc sensu *tota ratio facti est voluntas Dei facientis.*

Inst. 4.° Saltem Deus non potest inter duo inæqualia minùs bonum, derelicto majori assumere ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Propter rationem allatam.

Inst. 5.° Est contra sapientiam facere id ad quod impellunt minores, dùm omittitur illud ad quod majores boni excitant rationes : atqui Deus ita se gereret in hypothesi nostrâ ; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego min.* Dici enim potest semper Deo suppetere rationem sufficientem et æqualem, ad assumendum ordinem perfectio-

rem vel minùs perfectum ; quod enim majus est in ordine perfectiori ex parte boni quod continet, compensatur respectu Dei per expressionem suæ independentiæ ac sufficientiæ quæ relucet in assumptione ordinis minùs perfecti, perfectiori relicto.

Resp. 2.° *Nego maj.* quæ falsa est ubi agitur de Deo, qui bonis externis nullatenùs perficitur.

Obj. 4.° Deus ut potè suî amans, seipsum in opere suo pingere, et quatenùs suî infinitè amans, attributa sua perfectissimo modo exerere, et consequenter optimum exsequi debet.

Resp. Nego ant. Summa enim attributorum Dei per optimum opus expressio non potest esse finis Dei, qui ipse est ; nec medium ad finem ejus, qui per se est.

Inst. Deus propter suam gloriam infinitam operatus est, Proverb. cap. 16, ℣. 4; ergo quia medium fini proportionatum sit necesse est, opus Dei optimum esse debuit.

Resp. Nego consequent. Deus enim operatur, 1.° propter gloriam suam intrinsecam et essentialem, hoc sensu quòd gloria ejus intrinseca quæ Deus ipse est, principium sit et finis omnium, non finis strictè sumptus, qui comparetur per media propriè dicta, sed finis obtentus ad quem omnia referuntur.

2.° Deus omnia facit propter gloriam suam extrinsecam seu accidentalem, eo sensu quòd ejusmodi gloria sit finis relativè ad omnia quæ operatur Deus, non quasi Dei ipsius finis sit, cùm eâ non indigeat.

Obj. 5.° Opus Dei æquivalere debet, quantùm fieri potest, actioni ejus infinitæ per quam

effectum est; ergo non potest esse nisi optimum.

Resp. 1.° Illud Malebranchii argumentum nimis probare, et ideò nihil probare.

Resp. 2.° *Nego ant.* Fateor equidem causam non posse esse minorem effectu suo; sed nulla est ratio cur effectus adæquet causam suam.

Inst. Opus non optimum Deo indignum est; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Omne bonum opus, quantumvis in infimo gradu, Deo dignum est, quia bonitatem ipsius vel aliud attributum saltem aliquatenùs repræsentat. Et verò Apostolus, ad Coloss., cap. 1, fideles hortatur ut ambulent dignè Deo; noverat tamen vitam Christianorum non esse optimam et summè perfectam; ergo, etc.

Instar principii solutionum observare est Deum sibi sufficientissimum esse, nullam realem perfectionem aut lætitiam ex operibus externis reverà percipere. Undè sequitur respectu ipsius creationem et non creationem, majùs et minùs perfecti productionem, esse prorsùs æqualia: ad id unum tenetur Deus ex hypothesi quòd ad extrà operari velit, scilicet, ut sua attributa non deneget; seipsum enim, ut ait Apostolus, negare non potest.

CAPUT VII.

De Immutabilitate Dei.

IMMUTABILITAS est *permanentia essentialis in eodem statu;* cui proindè, non solùm mutatio, sed etiam mutationis possibilitas repugnat.

CONCLUSIO.

Deus est immutabilis.

Prob 1.° *Ex Script.* Malach. cap. 3, ℣. 6: *Ego Dominus et non mutor.* Jac. cap. 1, ℣. 17: *Apud quem* (Deum) *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Et verò Deus mutabilis non est quoad existentiam, juxta illud Deut. cap. 32, ℣. 40: *Vivo ego in æternum;* nec ratione perfectionum, ex Psal. 101, ℣. 28: *Tu autem idem ipse es;* nec ratione consilii, apud Isaiam, c. 46, ℣. 10: *Consilium meum stabit;* ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.*, quos in præsenti, quia dimittuntur nobis, referre superfluum esset.

Prob. 3.° *Ex concilio Nicæno, generali I*, cujus ista refert S. Ambrosius, lib. 1 de Fide, c. 9: *Eos qui dicunt.... mutabilem.... Filium Dei, anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.*

Prob. 4.° *Ratione duplici:* 1.ª, immutabilitas est perfectio: sed omnis perfectio Deo convenit; ergo et immutabilitas. 2.ª, triplex concipitur mutatio, scilicet, quoad existentiam, perfectiones et consilia: sed nulla ex his cadere potest in Deum; non prima, quia Deus est ens necessarium in quo initium et finis æqualiter repugnant; non secunda, quia Deus ex naturâ suâ infinitè perfectus aut novam acquirere, aut pristinam amittere perfectionem nullatenùs potest; nec tertia, scilicet Deus et nova inire consilia, et jam suscepta rescindere nequit; ejusmodi enim variatio suam originem habet in præcipitatione, ignorantiâ, vel passione,

quæ tria locum in Deo nullum habere possunt.

Obj. 1.° Lib. Sapient., cap. 7, ℣. 24 : *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, Dei scilicet; ergo mutatur.

Resp. Nego consequent. Textûs allati sensus est : sapientia Dei præ cæteris omnibus causis movere facit : porrò quid indè contra immutabilitatem Dei qui, ut immediatè subditur, *in se permanens omnia innovat.*

Inst. 1.° In Script. legitur Deum facti pœnituisse : Gen., cap. 6.

Resp. Dist. ant. Pœnituisse quoad effectum, *conc.*; quoad passionem et affectum, *nego.* Nam sic legitur I. Regum, cap. 15, ℣. 29 : *Neque enim* Deus *homo est ut agat pœnitentiam*; ut ergo concilietur textus ille cum proposito, qui contrarium enuntiare videtur, dicendum est Deum pœnitere quoad effectum, agendo scilicet ea quæ faciunt homines dùm sui facti eos pœnitet, opus nempè suum destruendo; non autem quoad passionem et affectum, quasi more nostro interiùs doleat et factum retractet : jam verò pœnitentia quoad effectum, nullam in Deo pœnitente mutationem supponit, quia, ut loquitur S. Augustinus, lib. 12 de Civitate Dei, cap. 17, *potest ad opus novum non novum sed æternum adhibere consilium.*

Inst. 2.° Script. dolorem, iram, oblivionem et recordationem Deo tribuit : atqui hæc omnia mutationem supponunt; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Tribuit metaphoricè, *conc.*; propriè, *nego.* Quia Deus in tempore, sed juxta consilium ab æterno sumptum, varia exsequitur quæ solent facere homines dolore, irâ, recordatione, vel oblivione capti, propterea similes

ipsi tribuuntur affectiones, sed non eodem sensu, ut constat ex aliis Scripturæ locis, quæ omnem imperfectionem, ipsamque vel mutationis umbram à Deo clariùs removent; itaque Deus irasci dicitur cùm minas vel supplicia intentat; recordari hominum, quandò eos consolatur et bonis replet; illorum oblivisci, cùm eos affligi sinit; dolere de proprio facto, cùm opus suum, mutatis circumstantiis, destruit.

Inst. 3.° Deus aliquandò sua mutavit decreta, istud, v. g., quo Ninivem intra quadraginta dies subvertere statuerat, Jonæ, c. 3; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Decretum subvertendi Ninivem erat conditionatum, hoc scilicet modo, nisi agat pœnitentiam; quia ergo ad prædicationem Jonæ ipsam pœnituit, absque mutatione ullâ Deus præfatam urbem stare fecit. Uno verbo, sicut decretum conditionatum, positâ conditione, transit in absolutum, eâdem quoque sublatâ, nullum censeatur oportet.

Obj. 2.° Deus multa de novo facit; ergo mutationi obnoxius est.

Resp. Nego consequent. Nova enim Dei opera virtute decreti æterni fiunt; ergo tota ex parte creaturarum stat mutatio: sic, v. g., cùm Deus ex non creante factus est creator, nihil intrinsecum ipsi accessit, quia decretum vi cujus exstitit mundus, ab æterno est. Deus quidem novam instanti creationis relationem habuit, vi cujus ex non creante creator denominatus est: sed illa relatio nihil recens in eo supponit; tota enim fundatur partìm in actione Dei æternâ, partìm in termino actionis ejus, novo quidem, sed extra Deum posito; igitur ex novâ creatoris relatione Deus non magìs dici potest mutatus,

quàm

quàm, v. g., paries jampridem extructus mutaretur, ex novâ ipsius relatione ad alterum recens ædificatum.

Inst. 1.° Si Deus ab æterno cuncta decrevit, jam ab æterno cuncta debuerunt existere; voluntas enim divina, ut potè omnipotens, nullo instanti privari suo effectu potest.

Resp. Nego sequel. ant., quia Deus ab æterno cuncta voluit, non pro æternitate, sed pro tempore.

Inst. 2.° Deus modò justum diligit quem peccatorem antè oderat; ergo mutatur.

Resp. Nego consequent. Deus ab æterno in æternum actione simplicissimâ omne malum aversatur, et bonum omne in quâcunque temporis differentiâ positum diligit; hinc tota mutatio se tenet ex parte hominis, qui ex peccatore odibili fit justus amabilis; et quemadmodùm sol absque ullâ mutatione, v. g., Joannem suis objectum radiis illuminat, secùs verò ab iis remotum; ita Deus absque ullâ ex parte suî mutatione, diligit hominem in sole justitiæ constitutum, quem non diligit, imò aversatur, quandò à justitiâ recedit.

Obj. 3.° Libertas et immutabilitas stare simul non possunt; ergo cùm libertas ex probatis Deo verè competat, ipsi necessariò abneganda est immutabilitas.

Resp. Nego ant. Hanc utramque proprietatem Deo inesse sat evidenter probatum est; ita ut etsi modus conciliationis earum ignoraretur, nihil assertioni nostræ propterea decideret. Si multa sint etiam in creatis demonstrata quorum modus rationi nostræ impervius est, quantò magis in divinis istud accidere poterit.

Inst. Deus, quatenùs immutabilis, non potuit aliter interiùs esse quàm reverà est; immutabilitas enim omnem modalitatem intrinsecam et contingentem à suo subjecto essentialiter removet : atqui tamen si Deus liber dicatur in suis operibus ad extrà, jam potuit aliter interiùs esse quàm reverà est; nam ex hypothesi quòd Deus liber fuerit ad creandum vel non creandum, potuit carere voluntate creandi, ac proindè aliter interiùs esse quàm reverà est; ergo, etc.

Hæc difficultas variè à variis solvitur : 1.ª responsio est defensorum Optimismi, juxta quos libertas divina est tantùm immunitas à coactione, vel etiam necessitate physicâ, non autem ab alterâ necessitate quæ moralis dicitur; ita ut Deus ad omnia quæ facit ad extrà vel omittit, rationibus sapientiæ bonitatis, etc., quibus obsequi debet, certò et infallibiliter determinetur. Hâc semel admissâ libertatis notione, facilè concipitur quomodò cum ipsâ immutabilitas concilietur. In hâc enim hypothesi Deus carere non potuit decreto sive actu quo creavit hunc mundum, quia rationibus sapientiæ et bonitatis necessariò determinatur : ita Leibnitzius, Wolfius, Clarkius et alii. At rejicienda est ista solutio, ut potè falso nixa fundamento, ex jam dictis.

2.ª Responsio est Scotistarum, juxta quos Deus ita liber est in suis operibus ad extrà, ut aliter interiùs esse potuerit ac reverà nunc est; nec propterea, inquiunt, mutationi obnoxius est Deus, 1.º quia actus liberè semel à Deo positus retractari nequit; 2.º quia perfectivus non est, aut si perfectivus, ut volunt quidam, opposito melior non est; 3.º quia ille actus, etsi contingens, ab æterno est.

Sed contrà opponitur, 1.° nulla à Patribus in Deo recipi accidentia; quidquid in Deo est, Deus est, ac proindè necessarium. 2.° Deus in illâ sententiâ verè mutabilis est, cùm habeat aliquid intrinsecum per modum actûs quo carere potuit. 3.° Compositus dici debet, nimirùm ex contingenti et necessario. Ad hæc non elingues profectò manent Scotistæ.

3.ª Responsio apud Theologos communior, et à Thomistis præsertìm defendi solita, sic se habet : In Deo unicus est et simplicissimus voluntatis actus, ratione suî necessarius et essentialis; actus autem ille unicus et simplicissimus, quamvis ratione suî necessarius et essentialis, libertatis divinæ subjectum est, cujus quidem libertatis exercitium consistit in merâ, ut loquuntur, connotatione seu terminatione indifferenti, id est, respectu libero præfati actûs necessarii ad varia libertatis divinæ objecta : porrò hæc terminatio, sive respectus ille non est modificatio realis, multo minùs entitas aliqua Deum intrinsecè afficiens et immutans, sed mera relatio actûs necessarii ad varia libertatis divinæ objecta : *Que faut-il*, inquit Para du Phanjas, *pour que la volonté divine, essentiellement déterminée en elle-même à décerner une chose ou une autre, décerne de toute éternité une chose plutôt qu'une autre? Il faut simplement qu'elle s'applique librement à un objet plutôt qu'à un autre; qu'elle se termine immédiatement à un objet plutôt qu'à un autre : ce qui dit simplement deux choses, savoir, la* volonté divine *et l'*objet décerné, *sans supposer et sans renfermer aucun acte décernant intermédiaire.* Théorie des Etres insensibles, tom. 2, n.° 920.

CAPUT VIII.

De Visibilitate Dei.

Visio Dei seu cognitio duplex est, *abstractiva* scilicet, quâ nunc videmus eum in terris, et *intuitiva*, quâ Sancti fruuntur in cœlis. De cognitione Dei abstractivâ hùc usque actum est, nunc de intuitivâ nobis agendum tribus articulis, quorum primus erit de existentiâ visionis intuitivæ; secundus, de tempore intuitivæ visioni destinato; tertius, de proprietatibus visionis ejusmodi. Quæ circa præsentem materiam multò plures sed minùs præcipuæ agitari solent quæstiones, tribus præfatis inserentur articulis, vel ad calcem eorum totidem quæsitis absolventur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Existentiâ Visionis intuitivæ.

Visio Dei intuitiva definiri solet : *Clara Dei prout in se est cognitio.* 1.° Dicitur *cognitio clara*, ut distinguatur à cognitione Dei per fidem acquisitâ, quæ obscuritate non vacat. 2.° Dicitur *cognitio Dei prout in se est*, ut secernatur ab ejus cognitione abstractivâ, quâ in terris homo naturaliter instruitur.

Existentiam visionis intuitivæ impugnârunt olim Millenarii contra quos sit

CONCLUSIO.

Admittenda est Visio Dei intuitiva.

Prob. 1.° *Ex Script.* Joan., Ep. I, cap. 3,

℣. 2 : *Scimus quoniam cùm apparuerit* Deus, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* I. ad Corinthios, c. 13, ℣. 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Ex quibus sic arguo : videre Deum sicuti est, et facie ad faciem, ipsum est videre intuitivè : atqui juxta Scripturam Deus à nobis videndus est facie ad faciem, et sicuti est; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* S. Clemens Alex., lib. 5 Stromatum : *Clarum est*, inquit, *neminem unquàm vitæ tempore posse Deum evidenter comprehendere; qui sunt autem mundi corde videbunt postquàm extremam perfectionem attigerint.* S. Aug., Epist. 3.ª : *Invisibili* Deo, *non in secula seculorum, sed tantùm in hoc seculo.* S. Prosp., lib. 1 de Vitâ contemplativâ, cap. 13 : In cœlo, inquit, *tam omnium rerum notitia, quàm ipsa Dei substantia planè et perfectè videbitur.* S. Bernardus, in Sermone 4 de Festo omnium Sanctorum : *In hoc erit vita æterna ut cognoscamus Patrem et Filium cum Spiritu Sancto, et Deum videamus sicuti est, id est, non modò sicuti inest nobis aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso.* Plures alios videre est apud Petavium, lib. 7.

Prob. 3.° *Auctoritate Ecclesiæ*, apud quam nostra conclusio ut dogma indubitatum habetur : hinc generalis Florentina Synodus definivit animas justorum *post mortem clarè intueri ipsum Deum trinum et unum, sicuti est.*

Prob. 4.° *Ratione theologicâ.* Homo justus assequi debet suam beatitudinem : atqui hominis beatitudo consistit in clarâ Dei visione, ut

docet fides : *Satiabor*, inquit Psaltes regius, *cùm apparuerit gloria tua.*

Quæ in probationem conclusionis nostræ attulimus, ex dicendis articulo sequenti novum robur accipient.

Illa autem intuitiva Dei visio, cujus existentiam adstruimus, non cunctis indiscriminatim, sed Angelis, Sanctis, et hominibus in justitiâ decedentibus unicè tribuenda est, juxta S. Matth., cap. 18, ℣. 10 : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei;* et ejusdem, cap. 5, ℣. 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Obj. 1.° Joan., cap. 1, ℣. 18 : *Deum nemo vidit unquàm;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Nullus hominum tempore quo loquebatur Joannes vidit Deum, *conc.;* nullus Angelorum, *nego.*

Inst. 1.° Ep. I. Petri, cap. 1, ℣. 12 : *Spiritui Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere;* ergo nec ipsi Angeli Deum intuitivè vident.

Resp. Nego consequent. Desiderium enim de re possessâ haberi potest : hinc dicebat S. Greg., lib. 18 Moralium, c. 28 : *Ne sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant.*

Inst. 2.° ad Tim., cap. 1, ℣. 17 : *Regi seculorum invisibili;* et cap. 6, ℣. 16 : Deus *lucem inhabitat inaccessibilem;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Deus est invisibilis et inaccessibilis oculo corporeo, *conc.;* oculo mentis, *subd.* Naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *iterùm dist.* Comprehensivè, *conc.;* intuitivè, *subd.* In præsenti vitâ, *conc.;* in alterâ vitâ,

nego. Cùm in allatis Scripturæ testimoniis Deus intuitivè videndus clarè pronuntietur, cùm aliundè nulla inter varios Scripturæ textus dari possit contradictio, necessum est ut visibilitas Dei aliquo ex sensibus mox enuntiatis negetur tantùm, non autem sensu conclusionis nostræ, id est, visionis simpliciter intuitivæ justis in alterâ vitâ reservatæ.

Obj. 2.° multa Patrum testimonia qui docent Deum esse invisibilem, ipsum à nemine visum fuisse, nec etiam aliquandò videndum esse : ita S. Chrys., Orat. 3, contra Anomœos ; S. Greg., Orat. 12, contra Eunomium ; S. Cyril. Jerosol. Catechesi 6 ; S. Basil., lib. 1 contra Eunomium, et S. Cyril. Alex. Commentario 1 in Joan., cap. 1 ; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Quia Patres eam tantùm rejecêre visionem Dei quæ comprehensiva dicitur, vel eam quæ in hâc vitâ mortali tribueretur hominibus, vel eam quæ per oculum corporis vel per solas naturæ vires haberetur ; ejusmodi solutionem præfatis Doctoribus tribuendam esse suadent vel antecedentia et consequentia, vel alia eorum testimonia, visionis intuitivæ clariùs assertiva, vel deniquè scopus eorum ; plerique enim disputabant contra Anomœos, qui Deum ab homine comprehendi posse falsò jactitabant.

Hæc generalis responsio sufficere posset ; tamen quia inter citatos Patres duo præsertim, nimirùm S. Chrysostomus et Theodoretus, specialem movere videntur difficultatem, mentem ipsorum magis enucleare juvat.

Inst. 1.° *ex S. Chrys*. Hom. 14 aliàs 15, in Joan. : *Deus invisibilis est non solis homini-*

bus, sed et supremis virtutibus..... ita ut nihil ab istis de Dei substantiâ audire possimus; et Homil. 3, de Incomprehensibili Naturâ Dei : *Seraphim non sinceram Dei substantiam vident, sed lumen temperatum.*

Resp. Dist. ant. Et ista S. Chrys. verba excludunt tantùm visionem comprehensivam, *conc.;* visionem simpliciter intuitivam, *nego.* Itaque Dei visio intuitiva alia est *simplex*, juxta quam Deus clarè videtur prout est in semetipso, alia autem *comprehensiva*, juxta quam videretur secundùm totam suam amplitudinem, ita ut ab intellectu exhauriretur; prima visionis species creaturæ intellectuali competit, non autem secunda; atque ideò pro illâ duplici visionis acceptione, dici potest Deum videri aut non videri, ut observat S. Epiph., Hæresi 70, cap. 8 : *Veluti*, inquit, *si quis per angustum foramen cœlum aspiciat et dicat : video cœlum, non utiquè mentietur;..... quòd si quis acutè ei dicat : non vidisti cœlum, neque etiam iste mentietur;.... quippe non vidit illius extensionem totam.* Ita similiter utrumque vero sensu dici potest, et quòd Deus videndus aliquandò sit, *intuitivè* nimirùm, et quòd videndus non sit nec videri possit, *comprehensivè* scilicet; porrò quæ nobis ex S. Chrys. objiciuntur de visione tantùm comprehensivâ intelligenda sunt, ita ut alteram simpliciter intuitivam Angelis et hominibus sanctis abnegare minùs voluerit; istud enim suadent plura : 1.° scopus S. Doctoris Anomœos impugnantis, qui naturam divinam ab intellectu creato comprehendi posse dicebant; 2.° quia non semel admonuit se nonnisi comprehensivam excludere visionem : *Nemo*,

inquit, Hom. 14 aliàs 15 in Joan., *nemo cognoscit Patrem nisi Filius; quid? nùm omnes in ignorantiâ vivimus? Absit; sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius.* Solam ergo creaturis abnegat visionem quæ Filio competit : sed cognitio quam habet Filius comprehensiva est; ergo comprehensivam visionem à creaturis tantùm removet. 3.° Quia S. Doctor existentiam visionis intuitivæ alibi clarè adstruit; sic Paræsi 1 ad Theodorum lapsum, cap. 7 : *Quid dicemus*, inquit, *quandò regiis cubiculis adapertis, intueri licebit ipsum regem, non per speculum et per ænigma, sed facie ad faciem.*

Inst. 2.° Juxta Theodoretum, dialogo 1 : *Nec ab hominibus nec ab Angelis videri potest natura divina... Angeli non vident divinam substantiam quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest,... sed speciem quamdam, ipsorum naturæ accommodatam*; ergo, etc.

Resp. 1.° hæc quibusdam Theologis contra visionem intuitivam tam clarè asserta videri, ut Theodoreti auctoritatem tanquam Scripturæ et cæteris Patribus contrariam abjiciant.

Resp. 2.° Hæc verba Theodoreti paululùm emollienda et catholico sensu interpretanda esse probant alii ejusdem Doctoris textus qui visioni intuitivæ favent; ipse enim in Vitâ S. Jacobi Eremitæ asserit *Beatos Dei conspectu potiri.*

Ex his et aliis quæ afferri possunt Patrum testimoniis, intuitivæ visioni in speciem contrariis, colligere datur quanta sit nonnunquàm in verâ Patrum mente assequendâ difficultas, ac proindè quanta sit auctoritatis Ecclesiæ in exponendo Scripturæ ac Traditionis sensu legi-

timo necessitas ; cujus quidem Ecclesiæ judicio omnes pareamus oportet, quantumvis contra definitionem ejus clara quædam nobis videri possint aut Scripturæ aut Patrum testimonia, non quasi fieri possit ut Scriptura et Traditio nos fallat, sed quia privati facilè decipiuntur circa sensum utriusque.

Obj. 3.° Jacob et Moyses dicuntur vidisse Dominum *facie ad faciem*, palàm et non per ænigmata et per figuras, Gen. cap. 32 ; Num. cap. 12 et 14 : atqui tamen Deum intuitivè non viderunt ; ergo textus in probatione allati, ut potè similes, existentiam visionis intuitivæ non adstruunt.

Resp. Nego cons. Jacob et Moyses dicuntur vidisse Dominum *facie ad faciem*, palàm et non per ænigmata ; vidisse, inquam, Dominum non in propriâ naturâ, hoc est, divinâ, sed in assumptâ, nimirùm sub formâ humanâ : istud constat 1.° de Jacob qui hæc protulit : *Vidi Deum facie ad faciem*, occasione luctationis quam habuit cum Deo sive cum Angelo Deum repræsentante sub specie viri ; 2.° constat etiam de Moyse qui cùm, Exod. cap. 33, ℣. 13, sic orâsset Dominum : *Ostende mihi faciem tuam*, hanc responsionem accepit, ℣. 20 : *Non poteris videre faciem meam ; non enim videbit me homo et vivet ;* ergo cùm alibi dicitur Moysen vidisse et allocutum fuisse Dominum *facie ad faciem*, istud debet intelligi de visione Dei, non secundùm propriam naturam repræsentati, sed in alienâ formâ, humanâ scilicet ; et reverà Deus olim Patriarchis non semel apparuit sub humanâ specie. È contrà textus Scripturæ quos in probationem intuitivæ visionis existentiæ attulimus suprà, non possunt

non intelligi de visione Dei secundùm propriam naturam; sic enim habet Apostolus : *Videbimus eum sicuti est;* porrò si videretur tantùm sub alienâ formâ, ut visus est à Moyse, Jacob et aliis, jam non *sicuti est* cognosceretur; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Ex eo quòd Scriptura et Traditio existentiam intuitivæ visionis adstruant, sequitur ipsam possibilem esse; sed utrùm possibilitas ejus solâ ratione evinci possit, disputatur in Scholis; sententia negans probabilior videtur quia, ut loquitur Sylvius, 1.ª parte, quæst. 12, art. 1, *verius est nullam omninò rationem naturalem dari posse, quâ demonstretur visionem illam* (intuitivam) *esse intellectui creato possibilem.* Possibilis est autem visio intuitiva oculo mentis non corporis : *Quod enim,* inquit S. Cyrillus Jerosol., Catech. 9, n. 1, *corporis est expers, in carnis oculos cadere nequit.*

Et verò ut aliquid visibile dicatur respectu oculorum corporis, non sufficit ut occasione motûs in oculis excitati objectum menti præsens fiat, sed etiam requiritur ut objectum quod supponitur visibile, oculos modo sensibili afficiat, v. g., reflectendo radios quorum ope ejus imago in retinâ depingatur : atqui evidens est Deum, ut potè spiritum, ad hoc imparem esse; ergo, etc. Nec obstant ista Job, cap. 19 : *In carne meâ videbo Deum meum quem visurus sum ego, et oculi mei conspecturi sunt.* Intelligi debent de Deo incarnato, ut satis indicant immediatè præcedentia, *scio quòd redemptor meus vivit;* nec etiam obstat auctoritas S. Aug. qui expressè docet Deum per oculos corporis quale nunc

est crassum et materiale, nullatenùs videri posse, etsi aliquandò S. Doctor visus sit dubitare an oculus corporis post resurrectionem, mutatâ ipsius naturâ, ita spiritualis fieri possit ut Deum intuitivè videat. Iterùm possibilis est visio intuitiva oculo mentis supernaturaliter adjuto; intellectus enim humanus sibi derelictus, visionis intuitivæ prorsùs est incapax : *Mens nostra,* inquit Origenes, lib 1, de Principiis, cap. 1, *Deum sicuti est per se non potest intueri; propterea,* inquit S. Epiph., Hæres. 70, n.° 7, *infirmam ejus aciem Deus ita virtute suâ corroborare dignatur, ut quod alioquin videri non potest, aspiciat.* Virtus autem illa corroborans *lumen gloriæ* à Theologis nuncupari solet, juxta illud Ps. 35, ℣. 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Cujus quidem luminis gloriæ necessitatem definivit Conc. Viennense œcumenicum, contra Beguardos et Beguinas, affirmantes animam non indigere lumine gloriæ ad Deum intuitivè videndum. Verùm salvâ fide catholicâ, disputant Theologi an istud lumen gloriæ, seu supernaturale auxilium quo mens indiget ut elevetur ad intuitivam Dei visionem, sit per modum actûs vel habitûs, an si per modum habitûs, suppleri possit per uberiorem Dei concursum, vel non possit; sed ut videtur, satiùs est de iis ut potè inutilibus ac plurimùm obscuris, ne dicam penitùs ignotis, tacere. Porrò felicitas Sanctorum consistit in hâc visione Dei intuitivâ, juxta istud Joan., cap. 17, ℣. 3 : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum.* Ex hâc autem visione necessariò fluit amor Dei fruitivus et gaudium : sed quantus iste sit amor et quale gaudium, mortalibus

scire, minùs adhuc verbis exprimere non conceditur : *Non enim*, juxta Scripturam, *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se.* I. ad Corinth., c. 2, ℣. 9.

ARTICULUS II.

De tempore Visioni intuitivæ destinato.

Certum est 1.° tempus vitæ hujus mortalis intuitivæ visioni non esse destinatum; sic enim legitur Exod. c. 33 : *Dixit Dominus ad Moysen: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet;* textus ille cui consonat Patrum traditio et favet experientia, textus ille, inquam, licèt generalis, aliquam tamen pati potest exceptionem; sed nulla in particulari admittenda est, quin certò probetur.

Certum est 2.° justos qui tempora Christi præcessêre nonnisi post mortem ejus cœlum fuisse ingressos; Christus enim *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem;* ad Eph. c. 4, ℣. 8.

Certum est 3.° justos quibus post mortem aliquid luendum superest, non ante plenam ipsorum in alterâ vitâ purgationem aspectu divino potiri; quia *non intrabit in eam*, id est, civitatem supernam, *aliquod coinquinatum;* Apoc., c. 21, ℣. 27.

Status ergo quæstionis est, an post solutum à Christo Redemptionis nostræ pretium, justi quibus nihil justitiæ divinæ luendum superest, statìm post mortem suam, Deum in cœlo intuitivè videant.

Negârunt 1.° Millenarii, hoc nomine insigniti quòd docerent post generalem corporum

Resurrectionem justos cum Christo mille annis in terrâ regnaturos, antequàm intuitivâ visione in cœlis perfruantur. Millenariorum classis duplex; prima Cerinthum auctorem agnoscit, qui regnum illud mille annorum in cibo et potu, in observantiis mosaicis, et omni libidinum genere turpiter constituebat. Hæc prima Millenariorum classis statìm ab Ecclesiâ ut infamis et hæretica rejecta est; altera Millenariorum classis puras tantùm et innoxias delicias in hoc prætenso mille annorum regno futuras esse arbitrabatur, legis mosaicæ penitùs abrogatæ observantiam ab eo prorsùs excludens. Hujus secundæ classis Millenariorum auctor fuit Papias, Hierapolitanus Episcopus, S. Joannis auditor, quem plures etiam inter sanctissimos doctissimosque Patres secuti sunt, in hâc tamen opinione tuendâ excusabiles, cùm tunc temporis nondùm fuisset eliquata.

Negârunt 2.° alii, inter quos Joannes XXII, Sum. Pontifex, qui fictitium istud mille annorum regnum explodentes, censuerunt justos non ante resurrectionem generalem visione intuitivâ esse donandos.

Nunc autem affirmant Catholici omnes, quibuscum sit

CONCLUSIO.

Animæ Justorum quibus post mortem nihil luendum superest, statìm intuitivâ Dei visione fruuntur.

Prob. 1.° *Ex Script.* II. ad Corinth., c. 5, ℣. 6, 7, 8 : *Dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino : per fidem ambulamus, et non*

per speciem ; audemus autem et bonam voluntatem habemus magìs peregrinari à corpore et præsentes esse ad Dominum : atqui statìm post mortem justi hocce bono frui possunt, cùm Apostolus eâ de causâ peregrinationem à corpore, id est, mortem vehementer optaret. Theologi sequentes textus in confirmationem conclusionis nostræ vulgò afferunt.

Eccli., c. 11, ℣. 28 : *Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas :* sed retributio justis debita ipsa est visio intuitiva ; ergo in die obitûs justos manet. S. Luc., c. 23, ℣. 43 : *Dixit Jesus latroni : Hodiè mecum eris in Paradiso* : atqui Paradisi nomen visionem intuitivam ibi designat. II. ad Corinth., c. 5, ℣. 1 : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis :* porrò si statìm post mortem æterna domus in cœlo manet justos, certè Deum in eâ intuitivè vident. Ad Philip., cap. 1, ℣. 23 : *Coarctor è duobus,* inquit S. Paulus, *desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprianus, lib. de Exhortatione ad martyrium, cap. 12 : *Quanta est dignitas, et quanta securitas... claudere in momento oculos quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statìm ut Deus videatur et Christus.* S. Ambros., Epist. 15 aliàs 59, sic habet : *Est possessor* (Acholius) *civitatis æternæ... quæ in cœlo est : videt illìc urbis ejus mensuram immensam,... lumen sine sole perpetuum... et hæc omnia jamdudùm quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem mani-*

festata videns. S. Gregorius, lib. 35 Moralium, cap. 14 aliàs 9 : *Ante resurrectionem, Sancti singulas stolas accipiunt, quia solâ animarum beatitudine perfruuntur; in fine autem mundi binas habituri sunt* (stolas), *quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt.*

Prob. 3.° *Ex Concil.* Concilium generale Florentinum in suo cum Græcis unionis Decreto : *Credimus...* inquiunt Patres, *illorum animas qui post Baptisma... nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam... sunt purgatæ, in cœlum mox recipi et intueri clarè ipsum Deum trinum et unum sicuti est.*

Prob. 4.° *Ex precibus Ecclesiæ.* Nimirùm *legem credendi*, inquit S. Cœlestinus Papa, Epist. ad Episc. Galliæ, *statuit lex supplicandi:* atqui in precibus suis Ecclesia supponit animas Sanctorum visione intuitivâ frui; sic enim habet vetustissimus precum codex Gelasianus, lib. 2, in festo SS. Perpetuæ et Felicitatis : *Quæsumus ut sicut illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris;* et in festo SS. Gervasii et Protasii : *Quos cœlesti gloriâ sublimâsti;* et in festo B. Laurentii : *Quem in cœlesti beatitudine fulgere novimus gloriâ sempiternâ,* etc. : porrò evidens est gloriam illam et beatitudinem quam Sanctis jam concessam supponunt istæ preces, ab intuitivâ visione Dei non distingui.

Prob. 5.° *Ratione.* Deus pronior est ad mercedem justis expendendam quàm ad pœnas peccatoribus infligendas, juxta illud Psal. 144, ℣. 9 : *Miserationes* Domini *super omnia opera ejus :* atqui peccatores statìm post mortem cruciantur in flammis; Luc., cap. 16, ℣. 24 : *Cru-*

cior in hâc flammâ; ergo justi quibus post mortem nihil luendum superest, paratam mox accipiunt laboribus suis debitam mercedem, quæ est ipse Deus intuitivè visus.

Obj. 1.° Matth., c. 20, operarii denarium ad vesperam accipiunt : atqui denarius ille vitam æternam, et vespera finem mundi significat ; ergo, etc.

Resp. Si vespera finem mundi significat, jam per denarium intelligenda est felicitas completa animi et corporis : quòd si denarius pro incompletâ animæ solius gloriâ sumatur, per vesperam obitus uniuscujusque intelligendus est, quo posito, evanescit difficultas.

Cæterùm omnia parabolæ hujus, sicut et aliarum, membra non tam ad vivum resecanda sunt, quasi specialem in intentione Christi semper habeant significationem ; indè enim sequeretur, 1.° Deum non per se ipsum ipsis mercedem esse redditurum, sed per procuratorem, sicut in parabolâ fecisse legitur Pater-familiâs ; 2.° eamdem omnibus præmii mensuram reservari, quia denarius cunctis solvitur operariis ; 3.° Sanctos adversùs Deum murmuraturos, ut fecerunt operarii ; quæ omnia nimis absurda sunt ; itaque in parabolis quædam circumstantiæ ad ornatum, quædam verò ad explicationem rei inserviunt : quod quidem ex scopo auctoris eas usurpantis discernendum est. Cùm igitur ex parabolâ operariorum, Christus tantùm ostendere voluerit Gentiles, etsi vocatione posteriores, Judæis primùm vocatis anteponendos esse, *Erunt*, inquit, *novissimi primi et primi novissimi*, dicendum est hujus parabolæ circumstantias, quæ sunt præter hunc finem à Christo intentum, nullius ad probandum esse roboris.

Inst. 1.° ad Hebræos, c. 11, ℣. 39 et 40 : *Hi omnes* (Sancti veteris Testamenti) *testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem : Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur ;* ergo merces in fine mundi semel omnibus tribuetur.

Resp. Nego consequent. Hoc unum ibi significare voluit Apostolus, Sanctos veteris Testamenti non fuisse coronatos ante consummatum à Christo nostræ redemptionis opus, à quo etiam tempore Christiani cœlum ingredi cœperunt.

Inst. 2.° Apoc., c. 6, ℣. 9, sancti Martyres subtus altare positi exhibentur ; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Altare enim sub quo sunt Martyres sancti, in cœlis est : porrò quicunque cœlum ingressi sunt, visione intuitivâ fruuntur ; ergo, etc. ; dicuntur autem subtus altare positi, quia sunt infra Christum super altare positum.

Inst. 3.° Martyres christiani vindictam sanguinis sui postulant, et non obtinent ; ergo non sunt beati.

Resp. Dist. cons. Non sunt beati felicitate completâ corporis et animæ, *conc.* ; animæ tantùm, *nego.* Solutio patet.

Inst. 4.° Apocal., c. 20, ℣. 6 : *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione primâ : in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis ;* ergo vera est opinio Millenariorum.

Resp. Nego cons. Mille anni de quibus Joannes in præfato textu loquitur, intelligendi sunt de omni temporis intervallo quod ab ascensione

Christi usque ad mundi finem intercedere debet; nec dicatur hoc tempus ultra mille annos protendi; nam mille annorum numerus, juxta phrasim in Scripturâ usitatam, universitatem temporis indicat, v. g., Deuter., cap. 7, ℣. 9; I. Paralip., cap. 16, ℣. 15; Ps. 104; quod etiam post S. Cyprianum monet S. Aug., lib. 20 de Civitate Dei, cap. 7. Regnum autem Dei præfatis mille annis duraturum, cœleste est non terrenum, ut volebant Millenarii; deniquè qui partem in primâ resurrectione habere dicuntur, id est, justi quorum animæ post mortem ex corporibus tanquam ex carceribus egressæ, ad novam utiquè vitam in cœlum devolant, illi, inquam, cum Christo regnabunt mille annis, id est, ut jam dixi, eo omni temporis intervallo quod ab ascensione Christi usque ad mundi finem intercedere debet. In istos verò *mors secunda nullam habet potestatem*, id est, sententia damnationis in universali judicio proferenda, eos nunquàm afficere poterit.

Nunc quæro ab adversariis utrùm ex textu Apocalypsis sic interpretato aliquid in gratiam suæ opinionis eruere valeant: nihil profectò; hanc autem interpretationem sequi debemus, 1.° quia naturalis est, 2.° congruit aliis Scripturæ textibus, 3.° concordat Patrum traditioni et Ecclesiæ definitionibus; non ita est de contrariâ opinione.

Inst. 5.° Dæmones nondùm torquentur, Matth., cap. 8, ℣. 29: *Venisti*, inquiunt, *torquere nos;* et apud Lucam, cap. 8, ℣. 31: *Rogabant* Jesum *ne imperaret illis ut in abyssum irent;* ergo à pari boni nondùm mercede donantur.

Resp. Nego ant. Nam Epist. II. Petri, cap. 2, ℣. 4: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos;* cujus doctrinæ accedit Ecclesiæ communis sententia, ex constanti Patrum traditione orta; ergo verba Dæmonum in objectione proposita, evincunt tantùm aut majores in fine mundi futuras esse ipsorum pœnas, aut, quia mali sunt et malo delectantur, ipsos gravi supplicio ducere si hominibus nocere non sinantur.

Obj. 2.° Dilationem visionis intuitivæ admiserunt Patres antiquissimi, Papias, Justinus, Lactantius, Tertullianus; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Iis enim opponuntur alii auctoritate et numero longè plures, quibus Ecclesia, cujus est veram Traditionem à falsâ discernere, jamdudùm solemniter adhæsit.

Inst. In objectione mox citati Patres maximæ sunt auctoritatis præsertìm Papias, S. Joannis auditor.

Resp. Nego ant. Papias ille, ut scribit Eusebius, lib. 3, c. 39, mediocri admodùm ingenio præditus fuit, quod ex operibus ejus conspicere licet; aliundè non constat an Joannis Apostoli vel alterius Joannis fuerit auditor: quoad S. Justinum, ipse ex paganismo recens ad fidem christianam conversus, in præsenti materiâ facilè decipi potuit. Lactantius autem qui nobis objicitur, magìs eloquentiâ quàm Theologiâ claruit. Tandem Tertullianus in hæresim et schisma prolapsus, suæ plurimùm ipsemet auctoritati detraxit.

Objiciuntur quidam textus satis difficiles SS. Ambrosii, Chrysostomi, Augustini et Bernardi,

quos hìc brevitatis causâ omittimus, et ad quorum solutionem ista beatitudinis completæ et incompletæ sufficiet distinctio. Itaque felicitas completa, hoc est, corporis et animæ simul, nonnisi post resurrectionem obtinebitur, juxta præfatos Doctores; imo SS. Augustinus et Bernardus existimârunt felicitatem incompletam, nimirùm animæ solius, ante resurrectionem ex naturali resumendi corporis desiderio paululùm imminui.

Obj. 3.° Joannes XXII, Sum. Pontifex, dilationem visionis intuitivæ solemniter defendit; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego cons.* quia definitio Papæ cui non accessit Ecclesiæ consensus, caret infallibilitate.

Resp. 2.° *Nego ant.* Dilationem visionis intuitivæ non tanquam Sum. Pontifex definivit Joannes XXII, imò nec ut privatus Doctor indubitanter eam docuit, sed tantùm opinando, et in eam magìs inclinando proposuit. Hanc autem opinionem morti proximus solemniter revocavit; quæ quidem omnia constant ex plùribus testimoniis, præsertìm ex ipso Joanne XXII, in suâ retractationis formulâ, quam profert Raynaldus ad annum 1334, n.° 37.

Igitur qui contrarium asseruêre, ipsi vel ex odio in Joan. XXII decipere voluerunt, ita præ cæteris Okamus Minorita; aut falsis rumoribus decepti sunt, ut contigit Adriano VI.

Obj. 4.° Ecclesia in suis Liturgiis indiscriminatìm orat pro omnibus in somno pacis dormientibus, ut *locum refrigerii, lucis et pacis obtineant;* ergo nullâ adhuc gloriâ fruuntur.

Resp. Nego cons. Quia preces illæ ex sub-

jectâ materiâ restringi debent ad eos quibus aliquid divinæ justitiæ luendum superest.

Inst. Atqui etiam orat pro sanctis Patriarchis, pro Beatâ Virgine et aliis quibus nihil luendum superest; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Orat, id est, gratias agit pro muneribus ipsis à Deo collatis, *conc.*; id est, postulat ut glorificentur, *subdist.* Postulat ut glorificentur ab hominibus in terris, *conc.*; à Deo in cœlis, *iterùm dist.* Ut glorificentur in corpore, *conc.*; in animâ, *nego.*

Quæres 1.° Utrùm Deus ab homine puro, in terris degente, intuitivè visus fuerit.

Resp. negat. et prob. 1.° *Ex Script.*, Exod., cap. 33, ℣. 20 : *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet.* En lex generalis, ex quâ proindè nullus speciali privilegio eximendus est absque certâ probatione; sed nulla nobis ejusmodi suppetit probatio.

2.° *Ex SS. PP.* S. Clemens Alex., lib. 5 Stromat.: *Clarum est,* inquit, *neminem unquàm vitæ tempore posse Deum clarè percipere.* Ita S. Cyrillus Jeros., Catech. 9, et alii plures quos appellat Witassius. Nec contrarium probatur ex eo quòd Moyses, Exod. cap. 33, viderit *omne bonum;* et Paulus, Epist. II ad Corinth., cap. 12, *raptus fuerit usque ad tertium cœlum :* namque 1.° apud Hebræos, omne bonum idem sonat ac optimum et pulcherrimum; et aliundè bonum illud Moysi non fuit ostensum, sed duntaxat promissum, ut patet ex contextu.

2.° S. Paulus in tertium cœlum rapi potuit ut aliud à Dei substantiâ clarè intueretur; quòd

enim ibi Deum intuitivè contemplatus fuerit nequidem innuitur.

Quæres 2.° an æqualis sit in omnibus visio Dei intuitiva.

Resp. negat. et prob. Ex Script. Epist. I ad Corinth., cap. 3, ℣. 8 : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

2.° *Ex SS. PP.* instar quorum omnium unus sufficiat S. Ambrosius, lib. de Bono mortis, cap. 11 : *Erit ordo diversus claritatis et gloriæ, sicut erit ordo meritorum.*

3.° *Ex Conciliis.* Conc. generale Florentinum sic habet : *Credimus... animas...* (quibus nihil luendum superest) *in cœlum mox recipi et intueri clarè ipsum Deum..... sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs.*

4.° *Ratione theologicâ*, scilicet, æquitas et sapientia postulant ut pro laborum diversitate, diversa reddatur merces, alioquin foveretur socordia, nec obstat quòd ex Evangelio paterfamiliâs unum perindè denarium omnibus operariis, etsi labore disparibus, persolverit, quia ut loquitur S. Hieronymus, lib. 2 contra Jovinianum, versùs finem : *Unus* (ille) *denarius non unum est præmium; sed una vita, et una de Gehennâ liberatio;* scilicet, merces Sanctorum eadem est omnibus ratione objecti, Dei scilicet intuitivè visi, necnon ratione durationis; sed non est eadem ratione graduum. Hujus verò inæqualitatis causa duplex, physica et moralis : prima sumitur ex inæqualitate luminis gloriæ; secunda autem ex meritorum diversitate ortum habet.

Quæres 3.° utrùm Deus à Beatis comprehendatur aut saltem comprehendi possit.

Resp. negat. 1.° *Ex Script.* Apud Joan., cap. 32, ℣. 19, Deus dicitur *incomprehensibilis cogitatu.*

2.° *Ex. SS. PP.* S. Aug., Serm. 117 aliàs 38, de Verbis Domini, cap. 3 : *Attingere,* inquit, *aliquantùm mente Deum, magna beatitudo est; comprehendere autem omninò impossibile.*

3.° *Ex Conciliis.* Conc. Later. IV : *Firmiter credimus quòd Deus est incomprehensibilis.*

4.° *Ratione.* Comprehensio est cognitio rei cognoscibilitatem ejus adæquans, ita ut nihil in ipsâ lateat videntem : atqui Deus sic ab intellectu creato cognosci non potest; namque cognitio entis infiniti cognoscibilitatem ejus adæquans verè infinita est : atqui intellectus creatus, ut potè finitus, cognitionis infinitæ prorsùs est incapax, nec obstat istud Apostoli I. ad Corinth., cap. 9, ℣. 24 : *Sic currite ut comprenhendatis :* in hoc enim textu comprehensio latiori sensu accipitur, nimirùm pro assecutione termini alicujus.

Nec majorem parit difficultatem istud ejusdem Apostoli I. ad Corinth., cap. 13, ℣. 12 : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum.* Comparatio enim illa cadit tantùm in substantiam cognitionis, quæ ex utrâque parte clara est, non verò in modum quo fit illa cognitio.

Difficilius est explicare quomodò Deus videatur totus est sicuti est, absque eo quòd comprehendatur; propterea scinduntur Theologi circa naturam incomprehensibilitatis divinæ. Plures volunt Deum non comprehendi, quia etsi videatur totus, non eâ tamen cognitione attingitur

attingitur quæ tantæ sit perfectionis quantùm exigit dignitas objecti cognoscibilis; alii verò contendunt Deum non comprehendi ab intellectu creato, quia licèt attingat quidquid in Deo est formaliter, tamen non videt omnia quæ Deo insunt eminenter aut virtualiter; ea nimirùm omnia quæ ab ipso pendent et ad ipsum referuntur. Deniquè sunt qui velint Deum incomprehensibilem esse, quia videri non potest secundùm totam suam amplitudinem et gradus singulos attributorum suorum, qui quidem gradus infiniti sunt. Quidquid sit, certum est essentiam Dei necnon omnia ejus attributa tum absoluta tum relativa, à Beatis intuitivè videri, ut probant ista S. Joannis : *Quoniam videbimus eum sicuti est.* I. Ep. S. Joan., c. 3, ℣. 2.

CAPUT IX.

De Scientiâ Dei.

Esse in Deo perfectissimam omnium intelligibilium scientiam, ratione simul et auctoritate constat. Cœli et terra summam rectoris sui intelligentiam enarrant. Deo scientiam numeris omnibus absolutam asserit ipsius existendi necessitas. Adest auctoritas Scripturæ et Patrum, Eccli. cap. 23, ℣. 29, dicitur : *Domino Deo antequàm crearentur omnia sunt agnita;* et cap. 42, ℣. 19 : *Cognovit Dominus omnem scientiam. Divinæ intelligentiæ non est numerus,* inquit S. Augustinus, lib. 12, de Civit. Dei, cap. 18; et cæteri omnes, quos in re apertâ citare vanum foret.

Scientia Dei non solùm objectivè infinita est, in quantùm ad omnia omninò intelligibilia se extendit, sed etiam entitativè perfecta est, quia consistit in actu unico essentiali, æterno, simul omnia complectenti : hinc patet quantùm scientia Dei differat à nostrâ, quæ multiplex, contingens, discursiva et successiva est.

In præsenti capite, tria magìs præcipua expendemus tribus articulis, quorum primus erit de objecto, secundus de medio, tertius de divisione scientiæ Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

De Objecto Scientiæ Dei.

Objectum scientiæ Dei generatìm duplex, primarium Deus, et secundarium creaturæ quæ sunt possibiles vel existentes; si existentes, vel præteritæ sunt, vel præsentes, aut futuræ; futuræ, inquam, necessariò vel liberè, absolutè vel conditionatè. Difficultas tantùm movetur de contingentibus absolutè vel conditionatè futuris, quæ duobus paragraphis expendemus.

§ I.

An Deus cognoscat futura contingentia et libera.

Non agitur hìc de futuris à solo Deo liberè agente pendentibus, quæ certissimè novit in suo decreto, sed de iis quorum futuritio à libertate creatâ pendet. Præscientiam ejusmodi futurorum tanquam libertatis inimicam tollunt Sociniani, contra quos sit

CONCLUSIO.

Deus certissimè novit futura contingentia et libera.

Prob. 1.° *Ex Script.* Ps. 138, ℣. 3 : *Intellexisti cogitationes meas de longè...*, et ℣. 4 : *Omnes vias meas prævidisti;* Daniel. cap. 13, ℣. 42 : *Deus æterne..., qui nosti omnia antequàm fiant;* Joan. cap. 6, ℣. 65 : *Sciebat Jesus ab initio qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Hæc clara sunt nullâque interpretatione indigent.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* S. Clemens Alex., lib. 6 Stromat., cap. 17 : *Deus omnia novit, non solùm quæ sunt sed etiam futura;* S. Cyrillus Alex., lib. 1 in Isaiam : *Deo ex naturâ suâ convenit omnem habere futurorum notitiam;* S. Augustinus, lib. 5 de Civitate Dei, cap. 9 : *Confiteri esse Deum et negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Cæteri omnes consentiunt, ut ipsi fatentur adversarii.

Prob. 3.° In Scripturâ plures continentur prophetiæ de futuris hominum actionibus liberis, aut de factis ab eorum libertatis exercitio pendentibus, quæ quidem prophetiæ fideliter adimpletæ sunt, ut eventu probatum manet : atqui prædictiones ejusmodi certissimam liberè futurorum scientiam in Deo arguunt, ut habet Tertull., lib. 2 contra Marcionem, cap. 5 : *Præscientia Dei*, inquit, *tantos habet testes quantos fecit Prophetas.* Et verò prædictiones illæ in Scripturâ consignatæ, aut ex certâ liberè futurorum scientiâ profectæ sunt, aut ex mirâ eorum conjecturali et verisimili cognitione :

atqui posterius repugnat; siquidem conjecturæ in tot tantisque, tam parùm verisimilibus, et tam complicatis eventibus, veritatem constanter assequi non possunt; ergo, etc.

Prob. 4.° *Ratione duplici.* 1.ª Ideò præscientiam liberè futurorum negant adversarii, quia cum humanâ libertate ipsam stare non posse judicant : atqui falsum est præscientiam cum libertate humanâ stare non posse; quod enim consequens est ad libertatis exercitium, illud profectò libertatem non tollit : atqui præscientia consequens est ad libertatis exercitium; Deus enim prævidet futuras hominum actiones liberas, quia liberæ sunt, futuræ autem non sunt quia Deus eas prævidet : *Non enim*, inquit S. Hieron., Commentario in cap. 26 Ezech., *non enim quia Deus ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit, sed quod nos propriâ voluntate facturi sumus, ille novit futurum.*

2.ª Deus ut potè infinitâ præditus scientiâ, cognoscere debet quidquid est intelligibile : atqui liberè futura intelligibilia sunt; quidquid enim determinatè verum est, illud est intelligibile : porrò liberè futura determinatè sunt vera, cùm de iis enuntiari possint propositiones determinatè veræ; ergo, etc.

Cæteras ex ratione petitas vide apud Philosophos.

Obj. 1.° In Script. Deus loquendo de futuris contingentibus utitur particulis, *fortè, forsitan*, quæ dubium exprimunt. Ezech. cap. 2, ℣. 5, et Joann. cap. 5.

Resp. Nego ant. Deus ejusmodi particulas adhibet, non quasi de futuro rerum eventu

dubius sit, sed ut homines suæ libertatis vel ignorantiæ vel difficultatis rei de quâ sermo fit admoneantur. Ita Patres; S. Aug. in Ps. 2, et Tractatu 37 in Joann.; S. Hieron. in cap. 26 Jeremiæ.

Obj. 2.° Quidam Patres Deo præscientiam abjudicant; S. Aug., lib. 2 ad Simplicianum, quæst. 2; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Abjudicant quoad nomen tantùm, *conc.*; quoad rem nomine significatam, *nego*. Scilicet, quia Deo cuncta sunt præsentia, ideò censet D. Aug. divinam futurorum cognitionem meliùs scientiam vocari quàm præscientiam.

Obj. 3.° Præscientia divina tollit libertatem; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Præscientia enim suum objectum supponit non facit, nec in eo quidquam immutat; igitur hoc ipso quo actus liberi futuri sunt, divina præscientia eorum intactâ libertate attingit; et verò præscientia se habet ad futura sicut cognitio ad præsentia, et memoria ad ea quæ præterita sunt: atqui cognitio præsentium et memoria præteritorum nullam præsentibus et præteritis necessitatem inferunt; ergo, à pari, etc.

Deniquè præscientia Dei nedùm libertatem tollat, è contrà asserit et firmat; ipsa enim non solùm rerum futuritionem, sed etiam modum futuritionis earum attingit, et proindè actiones liberè futuras respicit ut liberas; quo posito, necessariæ supponi non possunt, nisi fallatur divina præscientia, quod nimis absurdum est.

Inst. 1.° Quidquid à Deo præscitum est, non potest non evenire; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Est de essentiâ actûs liberi ut possit non esse ; igitur si actus ejusmodi à Deo præsciatur, nedùm hæc præscientia indifferentiam præfati actûs tollat, confirmabit potiùs, cùm divinam repugnet falli præscientiam.

Inst. 2.° Si quod Deus prævidit posset non evenire, jam non futurum supponi posset ; falsum consequens, ergo et antecedens.

Resp. Nego maj. Quia hypothesis præscientiæ alicujus rei suppositionem futuritionis ejus includit ; ergo non ampliùs fieri potest suppositio contradictoria, ista scilicet, quòd res futura non sit.

Inst. 3.° Si actus à Deo præsciti possint non evenire, jam Deus falli potest : atqui Deus falli nequit ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Imò si actus liber præscitus à Deo non posset non evenire, tunc falleretur ipsius præscientia, cùm sit de essentiâ actûs liberi quòd ita fiat ut tamen potuerit non fieri.

Inst. 4.° Si actus præsciti à Deo non evenirent, tunc falleretur ipsius præscientia ; ergo si possunt non evenire, jam ipsa poterit falli.

Resp. Nego consequent et parit. Posito non actu quem Deus prævidisse supponitur, tunc aliquid eveniret contra præscientiam ejus, quæ tunc careret objecto suo et proindè falleretur. È contrà nedùm ex possibilitate non actûs liberi à Deo prævisi sequatur ipsum falli posse, potiùs falleretur si non posset non fieri, cùm prævisio actûs liberi secum importet cognitionem potentiæ ad oppositum ; undè sic instaurari potest argumentum in gratiam nostræ assertionis : certè repugnat Deum posse falli ex eo præcisè quòd non fallatur : atqui si

Deus posset falli eò quòd actus liber ab ipso præscitus possit non evenire, jam potest falli ex eo præcisè quòd non fallatur; ergo, etc... Ex iis patet quàm futile sit argumentum eorum qui præscientiam divinam ex eo impugnant quòd omnem curam et sollicitudinem humanam redderet inutilem; non enim nisi dependenter ab illâ curâ res futuras præscivit Deus; itaque necessariò adhibenda est, præsertim in negotio salutis, juxta istud II. S. Petri, cap. 1, ℣. 10 : *Quapropter, fratres, magìs satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

Quamvis luce meridianâ clarius sit præscientiam Dei libertati nullo modo præjudicare, cùm ex dictis actus præsciantur quia futuri sunt, non autem futuri sint quia præsciuntur, nec eam homines à curis et sollicitudinibus in agendo liberare, quia consequens est ad illas curas et sollicitudines; non desunt tamen etiam inter Christianos paululùm quidem hebetes, quorum mens ex æternâ Dei futurorum prævisione adeò perturbatur ut ferè penitùs deficiant et salutis media negligant : ut autem revincantur et ad saniorem sensum, si fieri potest, reducantur, præter rationum momenta quibus jam usi sumus, contra ipsos ex propriâ in temporalibus agendi ratione sic argumentandum est : vel Deus ab æterno præscivit rura vestra fructibus abundatura, aut corpus vestrum ab infirmitate quâ detinetur levandum fore, aut mentes vestras omnibus scientiis instruendas; vel partem oppositam præscivit Deus : si primum, ergo necessariò evenient ista; si secundum, ergo effectu suo careant necesse est; ergo

nec serere, nec remediis uti, nec studio incumbere oportet: pessima consequentia, cujus absurditas innotescit, et omnium sensatorum praxi arguitur; illa, inquam, consequentia, ut potè similis illi quam deducunt ex præscientiâ Dei circa actus liberos et ad salutem pertinentes, absurditatem istius obviam faciet.

Obj. 4.° Necessum est ut actus à Deo prævisus eveniat; ergo liber esse nequit.

Resp. Dist. ant. Necessum est necessitate consequenti, *conc.*; necessitate antecedenti, *nego*. Itaque necessitas actuum duplex, antecedens, quæ liberam voluntatis determinationem præcedit, et consequens, quæ eam subsequitur. Libertatem tollit prima necessitas, non secunda; porrò quæ Deus præscivit, consequentem tantummodò necessitatem habent, cùm divina prævisio nullam habeat, independenter à libertatis exercitio, cum unâ actione potiùs quàm aliâ connexionem.

Obj. 5.° Vel Deus futura libera præscivit necessariò, vel contingenter: atqui neutrum dici potest; non primum, alioquin desinerent esse libera; non secundum, aliàs præscientia Dei non esset perfectio.

Resp. Deum futura libera præscivisse necessariò, non quidem absolutè, sed hypotheticè tantùm; scilicet ex hypothesi quòd aliqua sint liberè futura, Deus ea necessariò præscivit; sed cùm futura libera potuerint non esse, Deus illa non necessariò absolutè præscivit.

Inst. Si Deus futura libera necessariò præscivit hypotheticè tantùm, id est, consequenter ad hypothesim contingentem ipsorum futuritionis, jam datur in ipso præscientia contingens;

atqui repugnat in Deo dari præscientiam contingentem ; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Jam datur in ipso præscientia contingens objectivè, *conc.* ; subjectivè, *nego.* Itaque Deo competit præscientia objectivè contingens, quia versatur circa futuras res, quæ potuerunt non esse ; subjectivè autem non est contingens sed necessaria, quia liberè futurorum supposità veritate, non potest ea non assequi.

Obj. 6.° Futura contingentia et libera non sunt determinatè vera ; ergo, etc.

Resp. Nego. ant. Illud enim determinatè verum est de quo actu dici potest quòd reverà tale futurum sit : atqui de futuris contingentibus et liberis verum est dicere actu quòd talia futura sint ; ergo, etc.

Inst. 1.° Illa non sunt determinatè vera, quæ actualiter indifferentia sunt ad esse vel non esse : atqui futura contingentia et libera indifferentia sunt ad esse vel non esse; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Illa non sunt determinatè vera quæ actualiter indifferentia sunt et semper indifferentia erunt ad esse et non esse, *conc.*; quæ licèt actualiter indifferentia ad esse et non esse, postmodùm ad esse determinanda sunt, *nego.* Similiter *distinctâ min. nego consequent.* Porrò futura contingentia et libera actualiter quidem sunt indifferentia ad existendum et non existendum, sed aliquandò ad existendum determinanda sunt ; ergo actu determinatè verum est dicere quòd ipsa futura sint, et determinatè falsum est quòd non sint futura.

Inst. 2.° Futura contingentia et libera non habent causam determinatam actualem ; ergo non sunt determinatè vera.

Resp. Nego consequent. Ut futura contingentia et libera sint determinatè vera, non requiritur ut causam determinatam actualem habeant, sed sufficit ut causam ejusmodi postmodùm certò habitura sint.

Inst. 3.° Quod actu nihil est, veritati actuali et determinatæ fundamentum præbere non potest : atqui liberè futura nihil sunt actualiter ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Non magìs repugnat futura contingentia et libera, quæ actualiter nihil sunt, veritati actuali et determinatæ legitimum præbere fundamentum, quàm præterita quæ actu ampliùs non sunt : atqui, nullo diffitente, præterita veritati actuali et determinatæ legitimum præbent fundamentum ; ergo, etc.

Leve est quod solet objici ex quibusdam Dei prædictionibus quæ non sunt impletæ ; etenim conditionatæ erant : ac proindè, non positâ conditione, effectum sortiri non debuerunt.

§ II.

De Præscientiâ conditionatè futurorum.

Libera conditionatè futura dicuntur ea quæ forent si poneretur aliqua conditio : v. g., conversio Tyriorum et Sidoniorum, quæ, Christo teste, futura fuisset si vidissent miracula ejus.

CONCLUSIO.

Deus certissimè novit libera conditionatè futura.

Prob. 1.° *Ex Script.* Deus certissimè novit quæ indubitanter prænuntiavit : atqui Deus quædam libera conditionatè futura indubitanter

prænuntiavit in Scripturis, nimirùm, 1.° traditionem Davidis ab habitatoribus urbis Ceilæ, si diutiùs mansisset in eâ, I. Reg., cap. 23; 2.° conversionem Tyriorum et Sidoniorum si factæ fuissent apud eos virtutes quæ factæ sunt apud Judæos, Matth., cap. 11; 3.° vastationem Syriæ si Joas, Rex Israel, terram jaculo quinquies aut sexies percussisset, IV. Reg., cap. 13; 4.° justi defectionem si diutiùs vixisset, Sap., cap. 4.

Prob 2.° *Ex SS. Patribus.* S. Gregorius Nyssenus, Oratione de Infantibus immaturâ morte sublatis : *Consentaneum est Deo*, inquit, *qui futurum æquè novit ac præteritum, ut impediat proventum parvuli ad perfectam ætatem, ne malum illud quod præscientiâ suâ novit, in eo qui victurus esset perficiatur.* S. Aug., lib. de Dono Persev., cap. 11 : *His quos prævidet* Deus, *si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit.* S. Gregorius Papa, lib. 33 Moral., cap. 29 : Justi, inquit, in terris exercentur,... *quia* (Deus)... *prævidet quòd si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent.* Hæc clara sunt.

Prob. 3.° *Ratione.* Deus ut potè scientiâ infinitâ præditus, cognoscit quidquid est cognoscibile : atqui libera conditionatè futura verè cognoscibilia sunt; quod enim determinatè verum est, illud est cognoscibile : atqui libera conditionatè futura sunt determinatè vera ; ab æterno enim verum est dicere quòd futura sint, si talis ponatur conditio, et quòd illa, eâdem conditione non positâ, futura non sint. Et verò

libera absolutè futura, ex dictis, sunt determinatè vera : atqui eadem ratio militat pro liberis conditionatè futuris, cum illo tantùm discrimine ad rem non pertinente, quòd priora veritatem objectivam absolutè determinatam habeant, ista verò nonnisi conditionatè determinatam.

Altera ratio sic proponi solet à quibusdam : Deus instituendo ordinem naturæ et gratiæ præsentem, determinatè ac certò priùs noverat, non quidem prioritate temporis sed rationis tantùm, noverat, inquam, quid cum variis naturæ et gratiæ auxiliis hominibus concedendis liberè acturi essent ; alioquin Deus mundi hujus existentiam decernendo, absque ullo fine et consilio determinato egisset, quod repugnat : sed cognitio ejusmodi est de liberis conditionatè futuris, ut patet ; ergo, etc.

Obj. S. Aug. scientiam conditionatè futurorum rejecit ; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Rejecit intellectam sensu Semipelagianorum, et abusum illius, *conc.* ; sensu Catholicorum, qui noster est, *nego.* Itaque 1.° Semipelagiani falsam conditionatè futurorum in Deo scientiam admittebant, eam scilicet quâ Deus præsciebat qui essent fidem initialem naturaliter concepturi, ex hypothesi quòd audirent Evangelium. Quæ quidem scientia hæresim includit, cùm Ecclesia definierit etiam initium fidei non naturaliter sed per inspirationem Spiritûs Sancti nobis inesse. 2.° Illâ conditionatè futurorum scientiâ etiam abutebantur Semipelagiani : dicebant enim prævisum istud ex hypothesi prædicationis Evangelii, istud, inquam, prævisum in aliquibus fidei na-

turale initium, esse causam seu motivum propter quod Deus ad eos Evangelii præcones mitteret fideique donum largiretur; quod gratuitæ vocationis ad fidem prorsùs eversivum est. Contendebant etiam prævisa infantium, si diutiùs vixissent, merita esse causam cur gratiâ Baptismatis ante mortem donarentur, quod nimis falsum est. Porrò S. Augustinus scientiam conditionatè futurorum mox exposito sensu intellectam, necnon ejus abusum rejecit quidem, ut constat ex libro ejus de Prædestinatione Sanctorum et de Dono Perseverantiæ; ipsam verò rectè intellectam admisit, ut videre est in textu superiùs in probatione allato, cui potest addi alter depromptus ex libro de Dono Perseverantiæ, cap. 9 : *Nunquid possumus dicere etiam Tyrios et Sidonios* miraculis *apud se factis... crediturос non fuisse si fierent, cum eis ipse Christus testetur quod acturi essent... pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum ?*

ARTICULUS II.

De Medio Scientiæ Dei.

DEUM omnia scire jam diximus, sed quomodò sciat ignoramus; nec mirum : nesciebat enim ipse Augustinus, qui sic loquitur in hæc Ps. 49 verba, *Deus cognovit omnia volatilia cœli : Non audeamus dicere*, inquit S. Doctor, *quomodò novit Deus, ne fortè hoc à me, fratres, expectetis ut explicem vobis quomodò cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut Angelus; et quomodò cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio quia et*

antequàm essent omnia volatilia cœli, noverat Deus quidquid erat creaturus.

Tamen ut consuetudini morem geramus, quæ de medio scientiæ Dei fusiùs dici solent, paucissimis exponemus.

Quidquid sciri potest, aut per se aut per aliud sciatur necessum est. Id verò per quod res aliqua cognoscitur, medium scientiæ seu cognitionis ejus nuncupari solet; sic, v. g., contingentia mundi hujus est medium nostræ circa Deum scientiæ, quia per hujusmodi contingentiam Deum existere cognoscimus.

Nota 1.° unum et idem posse cognosci et per se et per aliud; sic, v. g., Beati in cœlis Deum per se absque ullo medio, simul et per creaturas tanquam in medio cognoscunt.

Nota 2.° aliquid posse videri in medio seu per aliud quocum essentialem habeat connexionem, posse, inquam, videri absque discursu ullo; namque ad discursum propriè dictum progressus fieri debet à magis noto ad minùs notum; atqui evidens est rem aliquam in aliâ re seu in medio videri posse absque progressu ejusmodi; non enim repugnat ut medium et sua cum aliâ re connexio, actu unico et proindè simul cognoscantur; sic Deus videndo creaturas existentes in decreto suo tanquam in medio, minimè discurrit.

Nota 3.° Videns dicitur rem aliquam in se ipso cognoscere, cùm illius rei ipse repræsentator est, quo non obstante res eadem in seipsâ nihilominùs videbitur, modò videnti repræsentetur immediatè; sic, v. g., homo canem ante suos oculos positum esse videt, et quidem in seipso canis hujus repræsentatore, et nihilomi-

nùs ille canis videtur in seipso, quatenùs immediatè repræsentatur homini videnti; quod secùs fieret, si alicubi delitescens, nonnisi mediatè, putà clamoribus suis, eidem homini innotesceret.

His positis, certum est 1.° Deum absque ullo medio seipsum in seipso perfectè contemplari. Certum videtur 2.° Deum etiam res possibiles in seipso contueri, nimirùm res primariò possibiles, in suâ essentiâ prout ipsarum repræsentatrix est, et res secundariò possibiles seu producibiles, in suâ essentiâ prout est effectrix, hoc est, in omnipotentiâ. Certum est 3.° Deum futura omnia à se uno pendentia videre in decretis suis absolutis, quæ cum ejusmodi effectibus infallibilem ex naturâ suâ habent connexionem.

Sed quomodò vel in quo medio Deus videat libera conditionatè et absolutè futura, quæstio est jamdudùm magno æstu agitata, et variè à variis definiri solita.

1.ª *Sententia est Cajetani* et aliorum, qui volunt omnia liberè futura tum absolutè, tum conditionatè, in suâ cum æternitate coexistentiâ videri, non quasi ab æterno exstitura sint, sed quia in tempore æternitati divinæ coexistere debent; cùm igitur æternitatem suam Deus perfectè cognoscat, necessum est ut omnia ad quæ relationem dicit aut dictura est, cognoscat ab æterno: porrò divina æternitas relationem coexistentiæ aliquandò dicet ad omnia, in quâlibet temporis differentiâ liberè futura; ergo, etc.

2.ª *Sententia est Thomistarum*, juxta quos Deus videt omnia tam absolutè quàm conditio-

natè futura et libera cujuslibet ordinis et statûs, videt, inquam, in decretis physicè determinantibus; v. g., Deus ab æterno vidit liberam S. Petri conversionem absolutè futuram, in suo decreto ex omni parte absoluto de Petro ad conversionem efficaciter præmovendo. Pœnitentiam autem Tyriorum et Sidoniorum sub versatili et nunquàm ponendâ conditione vidit Deus in decreto absoluto ex parte suî, et conditionato ex parte objecti, Tyrios et Sidonios physicè præmovendi ad pœnitentiam. Quod decretum sic enuntiari potest : *Volo Tyrios et Sidonios ad pœnitentiam physicè præmovere, si concedam eis ut videant miracula Christi.*

Mox exposita Thomistarum de medio scientiæ Dei opinio evidentissima est, admisso eorum principio quòd scilicet Deus ad omnes cujuscunque ordinis et in quovis statu, liberos actus physicè præmoveat; constat enim Deum tam absolutè quàm conditionatè futuros hominum actus liberos intueri posse in medio cum iis ex naturâ suâ infallibiliter connexo : atqui juxta Thomistas, præmotio physica seu decretum prædeterminans infallibiliter ex naturâ suâ connectitur cum actibus hominum liberis tam absolutè quàm conditionatè futuris. Igitur difficultas hujus systematis se tenet ex parte principii quo nititur, an scilicet *Præmotio physica* admittenda sit : Porrò *hoc opus, hic labor est.*

3.ª *Sententia Molinistarum* seu *Congruistarum est,* qui rejectâ tanquam libertati contrariâ omni prævîâ motione physicâ, consequenter asserunt Deum videre libera tam absolutè quàm conditionatè futura cujuslibet ordinis et in quolibet statu, videre, inquam, in determinatione

liberâ creatæ voluntatis absolutè vel conditionatè futurâ, seu, quod in idem recidit, in ejusmodi futurorum veritate objectivâ, hoc est, in seipsis.

Hæc opinio, etsi plurium suffragio munita, non leves tum ex parte principii, tum ex parte conclusionis ex eo deductæ patitur difficultates; 1.° quidem ex parte principii, juxta quod omnis gratia prævenians, etiam in præsenti statu naturæ lapsæ, versatilis est; 2.° ex parte conclusionis, in quantùm scilicet facilè non concipitur quomodò Deus ab æterno videre possit actiones liberè futuras, quæ nec ex suâ naturâ, nec ex aliquâ actuali causâ determinatæ sunt.

4.ª *Sententia Augustinianorum est*, qui mediam tenent viam; ipsi enim Thomistis consentiunt quoad medium scientiæ futurorum ordinis supernaturalis in statu naturæ lapsæ, Molinistis verò dant manus quoad medium scientiæ futurorum naturalis ordinis in utroque statu naturæ lapsæ et integræ, necnon futurorum supernaturalis ordinis in statu naturæ integræ. Nimirùm juxta Augustinianos, 1.° Deus futura supernaturalia naturæ lapsæ videt in suis de dandâ gratiâ ex naturâ suâ efficaci decretis; 2.° videt futura supernaturalia naturæ integræ et naturalia etiam naturæ lapsæ, in liberâ determinatione voluntatis, nullo prævenienti auxilio ex naturâ suâ efficaci adjutæ.

Ista opinio difficultatibus utriusque sententiæ, Molinisticæ nimirùm et Thomisticæ, obnoxia est, in quantùm utrique communicat. Auctores ejus medium scientiæ Dei Molinistis probatum tanquam insufficiens arguere non possunt, cùm eâdem ipsi difficultate premantur.

5.ª Eorum est qui partem in tantâ sententiarum diversitate amplecti non audentes, cum Psalte regio exclamant : *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est et non potero ad eam.* Psal. 138, ℣. 6.

Quibus expositis, dicimus 1.° controversiam de medio scientiæ Dei aliquatenùs dirimi posse, independenter ab examine quæstionis de naturâ auxiliorum quibus humanas vel angelicas præveniendo voluntates Deus adjuvat, ut actus suos liberè eliciant. Nam quidquid sit de naturâ causæ futuritionis eorum, hoc ipso quòd futuri sunt, jam determinatè veri sunt, et proindè respectu Dei cujus scientiæ non est numerus, verè sunt in seipsis intelligibiles; itaque

Dicimus 2.° omnes actus creaturarum liberos tam absolutè quàm conditionatè futuros, videri à Deo in seipsis seu in eorum veritate objectivâ : porrò iste videndi modus sicut non excludit alios, ita nec ab aliis excluditur; aliundè possibilis est; quis enim negaverit Deum omne verum in veritate illius objectivâ intueri posse? sed omnes actus creaturarum liberi, tam absolutè quàm conditionatè futuri, veri sunt; nimirùm qui absolutè futuri sunt actus, veritatem absolutè determinatam, qui autem conditionatè tantùm futuri sunt, nonnisi sub conditione determinatam habent veritatem.

ARTICULUS III.

De Divisione Scientiæ Dei.

Scientia Dei in se spectata dividi nequit quia simplex, at verò ratione objecti quod attingit, multiplex concipitur, et sub hoc tantùm respectu divisionem habet; itaque,

1.° Dividitur in scientiam *necessariam*, quæ necessaria, putà rerum essentias, et *liberam*, quæ contingentia, putà creaturas, attingit.

2.° Dividitur in scientiam *approbationis*, quâ Deus cognoscit omnia quæ comprobat, et scientiam *improbationis* omninò contrariam.

3.° In scientiam *simplicis intelligentiæ*, quâ res merè possibiles, et *scientiam visionis*, quâ res in quâcunque temporis differentiâ existentes attingit.

Quæres an divisio scientiæ Dei in scientiam simplicis intelligentiæ et visionis adæquata sit.

Resp. in hâc quæstione duo esse distinguenda, aliud exigui momenti et ad nominis significationem tantùm pertinentis, aliud verò gravissimum, rem ipsam spectans; nimirùm hæc quæstio de scientiâ mediâ est de solo nomine, respectu eorum qui inter se consentiunt de naturâ liberorum conditionatè futurorum; eò enim inter ipsos reducitur tota quæstio, an sub titulo possibilium, circa quæ scientia intelligentiæ simplicis versari dicitur, etiam libera conditionatè futura comprehendantur, quod quidem tam verè affirmari quàm negari potest, prout vocabulum *possibile* opponitur *existenti* aut *impossibili* tantùm. At eadem illa quæstio maximi est momenti prout includit alteram de naturâ auxiliorum in quibus, tanquam in causis, fundatur veritas liberorum conditionatè futurorum. Igitur quæstio de scientiâ mediâ tanto animorum æstu inter Catholicos Thomistas et Molinianos olim agitata, eò reducitur an Deus independenter à decretis physicè prædeterminantibus, libera conditionatè futura videat

in determinatione liberâ voluntatis creatæ, auxilio versatili tantùm adjutæ.

Ejusmodi scientiam circa omnes actus liberos conditionatè futuros cujuslibet ordinis et in quolibet statu, velut medium defendunt Molinistæ, rati auxilium præveniens, ex naturâ suâ efficax, libertati contrarium esse.

Eamdem scientiam non quoad nomen scientiæ mediæ, sed quoad rem nomine significatam tuentur Augustiniani, non tamen adeò latè ut placet Molinistis extensam, sed restrictam ad actus liberos conditionatè futuros naturalis ordinis, etiam in præsenti statu naturæ lapsæ, necnon ad actus supernaturalis ordinis in statu naturæ integræ; ratio est quòd versatile auxilium ad præfatos actus sufficiens esse opinantur.

At verò Thomistæ scientiam mediam universaliter rejiciunt, quia juxta ipsos decretum physicè prædeterminans seu præmotio physica, ad quemlibet actum cujuslibet ordinis et in quovis statu essentialiter requiritur.

Solutio quæstionis de scientiâ mediâ hoc sensu intellectâ pendet ex naturâ auxiliorum quibus voluntates creatas Deus adjuvat. Varia hâc de re systemata consuli possunt in *Tractatu de Gratiâ*.

Hìc quæri solet à Theologis an et quomodò et qualis scientia Dei rerum causa sit.

Resp. 1.° scientiam Dei aliquo sensu rerum esse causam, juxta illud Sapientiæ, cap. 7, ℣. 21 : *Omnium artifex docuit me sapientia.*

Resp. 2.° scientiam Dei non esse causam rerum effectricem; Deus enim per omnipotentem voluntatem suam operatur, non autem per intellectum suum ab omnipotentiâ distinctum : *Om-*

nia quæcunque voluit Dominus fecit, ait Psaltes regius, Psalmo 134, ℣. 6.

Resp. 3.° scientiam Dei rerum esse causam directricem; nam *Deus*, inquit idem Psaltes, Ps. 135, ℣. 5, *fecit cœlos in intellectu.* Et certè Deus, ut potè infinitâ intelligentiâ præditus, non cæco impetu sed ex cognitione prævia operari debet.

CAPUT X.

De Voluntate Dei.

Præsens caput tres sub se articulos continet: primum de partitione voluntatis divinæ, secundum de ipsius objecto, tertium de proprietatibus et perfectionibus ipsi annexis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Partitione Voluntatis divinæ.

Voluntas Dei subjectivè una, objectivè autem multiplex, 1.° dividitur in voluntatem *beneplaciti* et voluntatem *signi*; voluntas *beneplaciti* ea est quâ Deus verè et intrinsecè aliquid sibi gratum vult; voluntas *signi* ipsum est voluntatis divinæ signum, quod impropriè tantùm et metaphoricè dicitur voluntas, sicut testamentum voluntas testatoris appellatur, quia illam significat; voluntas signi quintuplex numerari solet: Præceptum, prohibitio, permissio, consilium et operatio:

Præcipit et prohibet, permittit, consulit, implet.

Notandum quòd voluntas signi semper aliquam beneplaciti voluntatem conjunctam ha-

beat, cujus tamen objectum non semper illud est quod primo aspectu esse videtur; sic, v. g., cùm Deus præcepit Abrahæ ut suum immolaret filium, hujus mactationem, quam primâ fronte propter præceptum intendere videbatur, reipsâ non volebat, sed intendebat solummodò experiri fidem et obedientiam S. Patriarchæ.

2.° Dividitur in *antecedentem* et *consequentem*, quæ distinctio, inquit S. Thomas, parte 1.ª, quæstione 19.ª, artic. 6.°, accipienda est non ex parte ipsius voluntatis divinæ, in quâ nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. Et verò sicut Deus cuncta unico intuitu cognoscit, ita unico et simplicissimo voluntatis actu omnia vult et amat.

Voluntas *antecedens* ea est quâ Deus vult aliquid in se spectatum et ab iis præcisum circumstantiis propter quas voluntate consequenti fertur in oppositum; hinc voluntas *consequens* dicitur ea quæ tendit in objectum suis omnibus vestitum circumstantiis; hanc utramque voluntatem sic explicat S. Thomas, distinctione 46.ª, quæst. 1.ª, art. 1: *Dicendum*, inquit, *secundùm S. Damascenum, quòd voluntas Dei est duplex, scilicet antecedens et consequens; et hoc contingit non ex aliquâ diversitate voluntatis divinæ, sed propter diversas conditiones ipsius voliti.* Et I parte, quæst. 19, art. 6: *Dicendum*, inquit, *quòd illud verbum Apostoli, quòd* Deus vult omnes homines salvos fieri, *potest tripliciter intelligi..... Tertiò secundùm Damascenum intelligitur de voluntate antecedenti, non de voluntate consequenti,.... ad cujus intellectum considerandum est quòd unumquodque secundùm quod bonum est, sic est*

volitum à Deo. Aliquid autem potest esse in primâ suî consideratione secundùm quod absolutè consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, è contrariò se habet : sicut hominem vivere est bonum et hominem occidi est malum, secundùm absolutam considerationem ; sed si addatur circa aliquem hominem quòd sit homicida, ... sic bonum est eum occidi et malum est eum vivere. Undè potest dici quòd judex justus, antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundùm exigentiam suæ justitiæ. Quòd admittenda sit in Deo duplex illa voluntas, nimirùm antecedens et consequens,

Prob. 1.° *Ex SS. PP.* S. Chrys. Hom. 11 in Epist. ad Ephes. in hæc Apostoli verba, *secundùm propositum voluntatis suæ : Voluntas prima est*, inquit, *ut non pereant qui non peccárunt, voluntas secunda est ut qui facti sunt mali pereant.* Quòd autem S. Chrysost. *primam et secundam voluntatem* appellat, nos eodem sensu sed alio nomine vocamus antecedentem et consequentem. S. Damasc. lib. 2 de Fide, cap. 29 : *Hoc*, inquit, *nôsse oportet Deum primarid et antecedente voluntate velle omnes salvos esse, et regni sui compotes fieri ; non enim nos ut puniret condidit, sed quia bonus est ad hoc ut bonitatis suæ participes essemus; peccantes verò puniri vult, quia justus est ; itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum, quod ex ipso est ; secunda autem consequens vo-*

luntas et permissio, ex nostrâ causâ ortum habens.

Prob. 2.° *Ratione.* Nimirùm distinctio voluntatis divinæ sumitur ex parte objectorum; sed quia res possunt considerari antecedenter vel consequenter ad circumstantias accedentes, indè nascitur duplex in Deo voluntas, nimirùm antecedens, quæ versatur circa rem sive objectum prout est in specie, seu præcisum et abstractum à circumstantiis particularibus, et consequens, quæ fertur in objectum suis omnibus vestitum circumstantiis quibus in individuo et à parte rei subsistit.

Major est difficultas an voluntas antecedens verè ac propriè in Deo reperiatur, ita ut quidquam velit interiùs voluntate antecedente, an verò figuratè tantùm antecedenter aliquid velle dicatur, putà hoc sensu quòd nos id velle faciat, aut præcipiat ut id velimus : alii negant, inter quos Estius, in 1 lib. Sententiarum, distinct. 46, art. 3; affirmant verò alii, quibus assentimur, 1.° ex auctoritate S. Chrysost. et S. Joanni Damasceni in locis modò citatis; ex S. Thom. opusc. de Veritate, quæst. 23, art. 3: *Invenitur in Deo propriè ratio voluntatis et sic voluntas de Deo propriè dicitur, et hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem et consequentem distinguitur;* 2.° ratione; omnis enim voluntas in Deo cujus objectum ratione suî bonum et amabile est, vera et propriè dicta seu interior esse debet : atqui objectum voluntatis divinæ antecedentis ratione suî bonum est; sic, v. g., communis omnium salus præcisa à circumstantiis personalibus, putà dissensûs et resistentiæ Spiritui Sancto, est sanè aliquid bonum; ergo, etc.

Dices :

Dices: Juxta S. Thom., 1.ª part., quæst. 19, art. 6, *voluntas antecedens magìs potest dici velleitas quàm absoluta voluntas:* atqui velleitas in Deo non reperitur; ergo, etc.

Resp. Nego cons. In textu proposito Doctor Angelicus non asserit quòd voluntas antecedens sit reipsâ velleitas, sed tantùm quòd dicenda sit magìs velleitas quàm simplex, id est, consequens et absoluta voluntas; quia scilicet voluntas antecedens magìs accedit ad naturam velleitatis, quàm ad conditionem voluntatis absolutæ, etsi reverà non sit mera velleitas, ut ex textu ejusdem Doctoris superiùs allato constat.

3.° Dividitur in voluntatem *absolutam* et *conditionatam;* voluntas *absoluta* ea est quâ Deus vult aliquid nullâ conditione adhibitâ: eâ ratione mundi existentiam voluit.

Voluntas *conditionata* ea est quæ fertur in objectum aliquâ conditione suspensum: sic Deus statuerat Ninivitas post quadraginta dies subvertere, nisi resipiscerent.

Notandum autem voluntatem seu decretum aliquod duobus modis posse dici conditionatum, 1.° ex parte *subjecti*, quandò desiderium habet aliquid volendi, si aliqua poneretur conditio, ut si quis diceret: ego vellem venari si hoc liceret Clerico; 2.° ex parte *objecti* tantùm, quandò scilicet voluntas absolutè fertur circa objectum aliquâ conditione temperatum, v. g., si quis dicat: volo et statuo eleemosynam dare si pauperi fortè occurram. Porrò voluntatem conditionatam sensu posteriori in Deo admittimus, non autem priori qui videtur aliquam suspensionem Deo indignam involvere.

4.° Dividitur in *efficacem* et *inefficacem.*

Efficax ea est quæ suum effectum consequitur; *inefficax* verò est ea quæ suum effectum non consequitur.

ARTICULUS II.

De Objecto Voluntatis divinæ.

Deus ipse primarium est voluntatis suæ objectum; objectum enim voluntatis primarium illud est quod propter se amatur, et propter quod amantur cætera : atqui Deus seipsum diligit, et omnia ad se dilectum refert; omnia siquidem *propter semetipsum operatus est Dominus*, Proverb. cap. 16, ℣. 4. Et verò Deus est summè bonus, fons et origo totius boni; sed quod est summum bonum, etc., primarium ordinatæ voluntatis objectum esse debet. Deus etiam diligit res bonas ab ipso distinctas; sunt enim totidem expressiones magìs vel minùs perfectæ attributorum Dei. Illa tamen voluntas respectu omnium non est eadem; namque possibilia diligit amore simplicis complacentiæ, quia ex illo amore in ejusmodi possibilia nulla redundat communicatio. Existentia verò Deus amat amore benevolentiæ, in quantùm virtute amoris illius benefacit eis, creando scilicet, ac conservando.

Sed *quæritur* an Deus velit malum : ad cujus solutionem

Observandum 1.° mala triplicis generis distingui, scilicet mala *culpæ*, mala *pœnæ*, et mala *naturæ*.

Observandum 2.° Quòd Deus aliquid duplici modo velle possit, *directè* nimirùm, quandò illud propter ipsum et ejus causâ vult; *indirectè* autem, cùm in illud fertur tantùm propter aliud,

Certum est 1.° Deum nullatenùs velle peccata, seu mala culpæ; Deus enim nullo modo vult ea quæ abominatur, quæ districtè prohibet, et quæ si fiant, castigat : atqui ejusmodi sunt peccata; ergo, etc. Itaque cùm Deus in Scripturis dicitur obdurare cor, et oculos mentis excœcare, id non debet intelligi de voluntate ad malum positivè inducente, sed de voluntate ad hoc tantùm modo permissivo et negativo se habente, quatenùs scilicet, in pœnam delicti præcedentis, specialem subtrahit misericordiam, quâ sublatâ, peccator obduratur; nam, ut loquitur S. Aug., Epist. 194, cap. 3 : *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Certum est 2.° Deum non velle directè sed indirectè tantùm ea quæ vocantur mala pœnæ; ratio est quòd in seipsis verè amabilia non sint, undè non potest ea directè velle; indirectè tamen vult, id est, propter aliud, videlicet ad manifestandam justitiam suam. Certum est 3.° Deum nonnisi indirectè mala naturalia intendere, putà deordinationes physicas et monstra; scilicet ista non vult Deus propter seipsa, sed tantùm ut fluunt ex legibus generalibus, quas ad bonos eorum effectus sapienter instituit.

His præmissis, ut potè facilioribus, quæritur an Deus velit salutem omnium hominum.

Resp. nemini dubium esse quin Deus velit omnium salutem, cùm istud expressis verbis asserat D. Paulus, Epist. I. ad Timoth., cap. 2, ℣. 1 et seq : *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et*

ad agnitionem veritatis venire; at quo sensu dixerit Apostolus Deum velle salutem omnium, certò definire admodùm difficile. Verbo dicam, ista propositio : *Deus vult salutem omnium hominum*, ut potè divinitùs inspirata, nonnisi vera esse potest sensu ab auctore ejus intento; sed quis sit ille sensus à Spiritu Sancto intentus, non parva et solutu facilis est quæstio : præfati textûs Apostoli quadruplex afferri potest interpretatio. Juxta primam, Deus vult omnes homines salvos fieri, eo sensu quòd nullus nisi ex voluntate Dei salvetur, quemadmodùm in vulgari sermone dicimus : Omnes domum meam ingrediuntur per hanc januam, non intelligentes quòd omnes omninò domum ingrediantur, sed quòd nullus nisi per hanc januam intret; sicut etiam rectè loquimur, cùm de aliquo ludi-magistro, qui in civitate aliquâ solus est, dicimus : Omnes iste in hoc loco litteras docet; non quasi omnes discant litteras ab eo, sed quia nullus nisi ab eo discit, quisquis ibi litteras discit. Hanc interpretationem tradit S. Aug., Epist. 110, cap. 6, ad Vitalem : *Sicut illud*, inquit, *quod dictum est*, omnes in Christo vivificabuntur, *cùm tam multi æternâ morte puniantur, ideò dictum est quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo; ita quod dictum est*, Deus vult omnes homines salvos fieri, *cùm tam multos nolit salvos fieri, ideò dictum est quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt.*

Secunda interpretatio talis est, ut vox *omnes homines* per distributionem accommodatam intelligatur, non de singulis generum, sed de

generibus singulorum, id est, de aliquibus cujuscunque generis sive conditionis : *Dictum est*, inquit S. Aug. Enchirid. cap. 103, (Deus) *omnes homines vult salvos fieri, non quòd nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecisset; sed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus, per quascunque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, senes, in linguis omnibus, in professionibus omnibus constitutos, et si quid aliud differentiarum est in hominibus.*

Tertia interpretatio sic est : Deus vult omnes salvos fieri, quia facit ut sancti homines omnium salutem desiderent ac velint, voluntatem illam et desiderium illud inspirando eis, ita D. Aug., libro de Corrept. et Gratiâ, cap. 15 : *Potest etiam intelligi*, inquit, *quòd omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle; sicut misit spiritum filii sui clamantem Abba Pater, id est, nos clamare facientem.*

Quarta interpretatio præfatum Apostoli textum intelligit de antecedente, sive conditionatâ voluntate salutis omnium omninò hominum; hæc quarta expositio tribus præcedentibus minimè contraria est, sicut et istæ secum invicem compati possunt. Tres priores adhibuit S. Aug. contra Pelagianos et Semipelagianos, qui voluntatem Dei circa salutem omnium generalem sensu hæretico admittebant; at quartam minimè negavit, nec contrarium probatur

ex eo quòd sæpiùs asserat Deum nolle salutem omnium, sed eorum tantùm qui salvi fiunt; tunc enim sermonem facit de voluntate consequente et absolutâ, quæ circa salutem reproborum minimè versatur. Hanc quartam non modò non rejecit S. Aug., sed etiam positivè admisit, ut docet Bossuetius, libro cui ementitus titulus : *Justifications des Réflexions morales*, § 16 : * *Ces trois explications de la volonté de sauver les hommes (savoir : une volonté générale etendue à tous, une spéciale pour tous les fidèles, et une très-spéciale pour les élus,) ces trois explications se trouvent en divers endroits de S. Augustin et de son disciple S. Prosper, dont on en a marqué quelques-uns à la marge*: de Spiritu et Litterâ, cap. 32 ; Enchiridii, cap. 103, n.° 27 ; ad Bonif. lib. 4, cap. 8 ; Prosper, Responsione ad Gallorum objectiones, cap. 8 et 9; idem, Responsione ad objectiones Vincentii, 1.am et 2.am; *mais il nous suffit de remarquer ici que d'habiles Théologiens, et S. Augustin lui-même, ne les ont pas regardées comme opposées l'une à l'autre, mais au contraire comme faisant ensemble un seul même corps de la bonne doctrine, quoiqu'elles ne soient pas toutes également décidées par l'Eglise Catholique. Un vrai Théologien les doit reconnaître chacune selon son degré.*

---

* Vide istud Bossuetii opus genuino titulo inscriptum : *Avertissement sur le livre des réflexions morales*, tom. 4, edit. Versal. Vide etiam illustrissimi Præsulis historiam à D. D. *de Beausset* conscriptam, tom. 4, lib. 11, n.° 14; et Documentum pastorale Card. *de Bissy*, cujus fragmentum reperies in observationibus editoris operum Boss. tom. 1, n.° 6.

His præmissis, status quæstionis figendus est removendo primùm sensus varios de quibus hìc non controvertitur : itaque quæstio non est utrùm antecedenter ad peccatum originale, Deus voluerit omnium salutem, ut quemadmodùm cunctis hominibus justitiam originalem transmittere decreverat, si tamen primus parens eorum in eâ perseveravisset, ita omnibus posteris ejus, si per gratiam ipsis reverà communicandam, in acceptâ justitiâ permanere vellent, gloriam largiri voluerit.

Etiam quæstio non est an Deus velit omnium salutem voluntate absolutâ et consequenti : talis enim voluntas semper impletur, et proindè in solos prædestinatos cadere potest.

Iterùm quæstio non est an Deus omnium salutem velit aliquali voluntate otiosâ et sterili, quæ nulla scilicet aut insufficientia tantùm conferat, præparet, vel offerat salutis media.

Igitur status quæstionis est, an etiam consequenter ad peccatum originale, ipsoque præsupposito, Deus voluntate antecedente et conditionatâ, et mediis relativè sufficientibus fecundâ, omnium omninò velit salutem, vel quod in idem recidit, an etiam præsupposito originali peccato, Deus ita sit erga salutem omnium hominum benè affectus, ut respectu singulorum, quantùm in se est, verè fecerit eam possibilem.

Quid circa hanc quæstionem fide catholicâ tenendum sit, audiamus illustrissimum Bossuetium cujus hæc sunt verba, in opere suprà citato, § 16 : *Il faut reconnaître la volonté de sauver tous les hommes justifiés comme expressément définie par l'Eglise Catholique en divers Conciles, notamment dans celui de Trente, et*

encore très-expressément par la Constitution d'Innocent X, du 31 *mai* 1653 (contre les 5 propositions de Jansénius). *Il ne faut point faire un point de foi également décidé de la volonté générale étendue à tous, puisque même il a été permis à Vasquez d'enseigner que les enfans décédés sans Baptême ne sont pas compris dans cette parole : Dieu veut que tous les hommes soient sauvés, et qu'ils viennent à la connaissance de la vérité.* Et § 25 : *Il n'y a bien assurément aucun fidèle qui ne doive croire avec une ferme foi que Dieu le veut sauver, et que Jésus-Christ a versé tout son sang pour son salut : c'est la foi expressément déterminée par la Constitution d'Innocent X.*

Cæterùm voluntas illa salutis omnium fidelium Baptismo semel justificatorum, sterilis non est et otiosa juxta Bossuetium, sed mediis verè sufficientibus fecunda. Sic enim loquitur, § 15 ejusdem operis : *Pour ôter jusqu'à l'ombre des difficultés sur la possibilité des commandemens dans tous les justes, il faut encore leur dire qu'elle est fondée immuablement sur ce principe de la foi reconnu dans le Concile de Trente, que Dieu n'abandonne que ceux qui l'abandonnent les premiers par une désertion absolument libre.* Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit nisi ab eis priùs deseratur. Ex Conc. Trid. Sess. 6, cap. 11. *Ce Concile n'a pas voulu définir que Dieu n'abandonne personne à lui-même, et à sa propre faiblesse, mais qu'il n'abandonne personne si on ne l'abandonne le premier. Ce sont les propres paroles de S. Augustin. C'est aussi ce qui lui fait dire ce qu'on a déjà rapporté de tous ceux qui perdent la*

grâce : ils délaissent premièrement, et puis ils sont délaissés, deserunt et deseruntur. *Adam a été jugé selon cette règle : il a délaissé, et il a été délaissé*, deseruit et desertus est; ..... *c'est pourquoi, sur ce fondement que Dieu est fidèle dans ses promesses, les justes sont assurés qu'il ne permettra jamais qu'ils soient tentés par-dessus leurs forces.* Epist. I. ad Corinth. cap. 1. *Ils ont donc toujours le pouvoir de garder les commandemens à la manière que l'a défini le Concile de Trente. Il est aussi déterminé dans le 2.e Concile d'Orange, que selon la foi catholique*, secundùm fidem catholicam, *après la grâce du Baptême, tous les baptisés, avec le secours de Jésus-Christ, qui les aide et coopère avec eux, peuvent et doivent accomplir les commandemens de Dieu, s'ils veulent fidèlement travailler : ils le peuvent donc; il ne tient qu'à eux avec la grâce qu'ils ont; la grâce ne leur manque pas, il ne leur manque que la volonté, qui ne leur manque que par leur faute.*

Circa voluntatem Dei salvandi homines errârunt Pelagiani et Semipelagiani, Prædestinatiani, Calvinus et Jansenius. 1.° Pelagiani et Semipelagiani, juxta quos Deus omnes vult salvare, modò ipsi salutis negotium ex naturæ viribus exsequi, aut saltem inchoare velint; quam conditionem etiam in parvulis ante rationis usum exstinctis, locum habere putabant Semipelagiani; sed quia nullam in eis actualem detegere poterant voluntatem, ad futuram sub istâ conditione, *si diutiùs vixissent*, recurrebant. 2.° Prædestinatiani, nomen suum adepti ab impio dogmate juxta quod asserebant Deum

quosdam ad vitam, cæteros ad mortem prædestinando compellere. Lucidus Presbyter, V.° exeunte seculo, et Gotescalcus circa medium IX seculi, in hunc errorem cum paucis descendisse perhibentur. Vide Cardin. Norisium, lib. 2 Historiæ Pelagianæ, cap. 15.

3.° Calvinus, qui Prædestinatianismum redivivum fecit.

4.° Jansenius, Iprensis Episcopus, juxta quem præsupposito semel originali peccato, Deus ita solos vult salvare prædestinatos, ut nulli reprobo det vel offerat gratias ad salutem relativè sufficientes, eas scilicet quæ salutem homini relativè possibilem efficiunt. Etiam docet Christum non eâ intentione suum fudisse sanguinem ut aliis quàm prædestinatis mereretur ejusmodi gratias; sic habet, lib. 3, de Grat. Christi, cap. 21: *Nullo modo principiis ejus* (S. Aug.) *consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute, mortuus esse, sanguinem fudisse, ... Patrem orâsse sentiatur;* ex quo factum est ut non magis patrem pro æternâ liberatione ipsorum quàm pro diaboli deprecatus fuerit; fatetur quidem Jansenius Christum reverà mortuum fuisse pro impetrando quibusdam reprobis justitiæ temporalis effectu, sed non eâ intentione ut mereretur eis gratiam cum quâ usquè ad finem in bono perseverare possent.

Circa præsentem de voluntate salutis hominum quæstionem, etiam variæ circumferuntur Theologorum opiniones. Alii præfatam voluntatem ad omnes homines, sed non eodem modo extendunt; alii verò paululùm eam restringunt:

sic Vasquesius putat Deum nolle salutem infantium quibus remedium peccati originalis ante mortem applicari non potuit; alii divinam omnes salvandi voluntatem intelligunt de voluntate signi, quæ non formaliter sed virtualiter tantùm aut eminenter in Deo reperiatur; alii de voluntate beneplaciti, sive, ut quibusdam placet, voluntas illa beneplaciti nonnisi antecedentia salutis, hoc est, possibilitatem ejus attingat, sive, ut placet aliis, circa salutem ipsam reproborum versetur. Cæterùm in variis ejusmodi circa præsentem controversiam theologicis opinionibus, quod magis præcipuum est et necessariò ab omnibus tenendum, servatur, istud nempè, quòd Deus ita velit prædestinatos efficaciter salvare, ut etiam erga salutem omnium semel justificatorum, inter quos multi profectò sunt reprobi, tam benè sit affectus ut iis conferat, vel offerat omnia quæ ut salutem consequi valeant necessaria sunt media.

CONCLUSIO.

Etiam præsupposito originali peccato, Deus voluntate antecedente seu conditionatâ vult salutem omnium justificatorum, imò salutem omnium, nullo excepto, ita ut omnibus et singulis conferat, præparet, vel offerat gratias relativè sufficientes, quibus vitam æternam consequi possunt.

Prob. 1.ª *pars*, quam de *fide catholicâ* tenendam esse monet Bossuetius, verbis suprà exscriptis; *probatur*, inquam, 1.° *ex Script.* Joan. cap. 3, ℣. 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat*

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE

vitam æternam; et cap. 6, ℣. 40 : *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me*, inquit Christus, *ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam.* Hæc clara sunt; nobis enim exhibent voluntatem Patris erga salutem omnium credentium, inter quos sanè aliqui sunt reprobi. Joan. cap. 6, ℣. 39 : *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die;* et cap. 17, ℣. 12 : *Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*, Judas scilicet. Undè sic argumentor : ex priori textu Deus vult salutem omnium hominum quos dedit Filio : atqui ex posteriori textu, inter eos quos Pater dedit Filio, nonnulli sunt qui pereunt, Judas scilicet, perditionis filius; ergo Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum.

Nec dicatur ad infringendam vim argumenti hujus, particulam *nisi* quæ legitur in textu laudato, *nemo ex eis periit nisi filius perditionis*, commutandam esse in istam *sed*, quasi dixisset Christus : nemo ex eis quos dedisti periit, sed tantùm filius perditionis, qui ex iis non erat; ista enim inversio rejicienda est, ut contraria expositioni Patrum, inter quos sic habet S. Aug., Tract. 107 in Joan. : *Cùm essem cum eis* (Discipulis), *inquit Christus, ego servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit nisi filius perditionis, Judam significans qui tradidit eum.* Idem sentiunt S. Chrys. Homil. 44, in cap. 6 Joan., et S. Cyrillus Alexand., lib. 3 Commentarii in S. Joan.

Hìc Patrum testimonia, ut potè in secundâ conclusionis hujus parte citanda, omittimus.

2.° *Ex Conc. Arausicano*, totius Ecclesiæ consensu firmato, can 25 : *Hoc secundùm fidem catholicam credimus*, inquiunt Patres hujus Concilii, *quòd, acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quam doctrinam hauserunt Patres Arausicani ex Apostolo, Epist. I. ad Corinth., cap. 10, ℣. 13, ubi ait : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere ;* quibus consonant ista Doctoris Gratiæ verba, libr. de Nat. et Gratiâ, cap. 26 : Deus semel justificatos *non deserit, si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur.* Ex quibus sic argumentor : de fide catholicâ est omnes per Baptismum justificatos posse ac debere cum gratiâ, quæ urgente præcepto ipsis non deest, omnia quæ ad salutem pertinent fideliter adimplere : atqui hoc ipso Deus aliquâ voluntate, saltem antecedente et conditionatâ, salutem eorum vult et intendit ; ergo, etc. Et verò media non assumuntur nisi ex aliquali voluntate finis, et sicut intentio finis, si sincera sit, includit collationem et præparationem mediorum, ita etiam collatio sive præparatio mediorum relativè sufficientium, veram et sinceram importat voluntatem finis.

3.° In confirmationem primæ partis conclusionis nostræ, profertur auctoritas Cleri Gallic. ; ipse enim pastorali Documento quod edidit in Comitiis generalibus anni 1714, cui omnes generatim adhæserunt Gallicani Episcopi, declarat *hæreticum esse asserere Deum*

velle solos electos salvos fieri, et Christum mortuum esse pro salute solorum prædestinatorum.

Jam suprà audivimus Bossuetium docentem certâ fide, ut rem ab Ecclesiâ definitam, tenendum esse Deum velle salvos fieri omnes justificatos : *Il faut reconnaître*, inquiebat, *la volonté de sauver tous les hommes justifiés comme expressément définie... Il n'y a bien assurément aucun des fideles qui ne doive croire avec une ferme foi que Dieu veut le sauver;* accedit Cardinalis Noallius in suo Corpore Doctrinali anni 1720 : *Cette parole de l'Apôtre*, inquit, *il est le sauveur de tous, et principalement de tous les fidèles :* Qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium, *nous marque que Dieu veut plus particulièrement le salut et la rédemption éternelle des fidèles, et qu'il leur donne des moyens plus immédiats, et des secours plus abondans pour pouvoir se sauver... Il n'y a aucun des fidèles qui ne doive croire avec une ferme foi que Dieu veut le sauver,... par conséquent qu'il lui a donné les grâces nécessaires pour pouvoir se sauver.*

Prob. 2.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Epist. I. ad Timoth. cap. 2, ℣. 1 et seq. : *Obsecro*, inquit Apostolus, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus :* atqui voluntas illa salutis omnium, 1.° est consequens ad peccatum originale, ipsumque supponit, cùm sit ratio pre-

cum quæ in præsenti statu naturæ per originale peccatum lapsæ fieri debent pro cunctis hominibus. Quod aliundè probatur efficaciter ab Apostolo, ex eo quòd Christus sit omnium mediator et redemptor; quæ quidem mediatio et redemptio lapsum hominis in Adamo supponit. *In hoc Apostoli textu*, inquit Gonetus, celebris Thomista, tom. 1, disput. 4, de Voluntate Dei, art. 2, *imprimis sermonem esse de hominibus, ut sunt in statu naturæ lapsæ patet, tum quia Paulus loquitur de hominibus prout nunc sunt; vult enim fieri pro eis orationes et obsecrationes ad Deum: nunc autem omnes homines sunt in statu naturæ lapsæ; tum etiam quia, si Apostolus loqueretur tantùm de voluntate nos salvandi in obedientiâ Adæ innocentis, non dixisset in præsenti, Deus vult omnes homines salvos fieri, sed voluit salvos fieri; ita enim in præterito exprimitur Dei voluntas cùm præteriit tempus impletionis illius; sicut non dicimus nunc de Angelis malis, seu Dæmonibus, Deus vult, sed tantùm, voluit illos salvos facere. Addo quòd Paulus ibidem ait Christum ad hanc voluntatem Dei* erga salutem hominum *implendam* seipsum *obtulisse redemptionem pro omnibus: atqui redemptio supponit lapsum;... ergo loquitur de* voluntate salutis *hominum, ut sunt in statu naturæ lapsæ, et originali peccato vitiatæ. Non obstat*, inquit Berti Augustinianus, tom. 1, lib. 5, cap. 1, *antecedenti salutis hominum divinæ voluntati, quòd in hoc statu superinductæ sint circumstantiæ originalis peccati,... quoniam passione Christi prioris damnationis chirographum deletum est, ac propterea subsistit adhuc generalis illa voluntas intuitu meritorum*

Christi per quam regenerati sumus in spem vivam, *quemadmodùm testatur Apostolus.*

2.° Voluntas illa salutis hominum ad omnes homines extenditur; Apostolus enim dicendo *omnes*, nullum excludit, imò magis quemlibet includi satis ostendit in ratione subjectâ : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum... Discursus* Apostoli, inquit idem Gonetus, loco mox citato, *exigit ut illa propositio :* Deus vult omnes homines salvos fieri, *generaliter et de omnibus ac singulis hominibus intelligatur; nam immediatè anteà obsecrat ut oretur pro omnibus, hoc enim bonum est, inquit, et acceptum coram Deo, etc.; in quibus verbis particula universalis* omnis, *sine dubio eodem sensu in utroque propositionis membro accipienda est, ne Paulus loquatur æquivocè in tam brevi contextu, neve ipsius ratio minimè idonea sit : ita ut, sicut orandum est pro omnibus hominibus generaliter, et sine exceptione, ut nemo negat esse de mente Apostoli, et ex charitate deberi, ita Deus velit omnes homines generaliter et sine exceptione salvos fieri, idque magis confirmat duplex ratio immediatè post subjuncta ab Apostolo, quâ probat Deum velle omnes homines salvos fieri :* Unus enim Deus, *inquit,* unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.

3.° Voluntas illa salutis omnium sterilis non est et otiosa, sed mediis ad salutem relativè sufficientibus fecunda, ita ut Deus omnibus et singulis conferat, vel præparet, et offerat gratias quarum ope salus omnium verè possibilis est. Talis enim mediorum præparatio fluere concipitur

ex voluntate salutis omnium ; hanc consequentiam elicientem jamjam audivimus Cardinal. Noallium : *Il n'y a aucun des Fidèles qui ne doive croire, avec une ferme foi, que Dieu veut le sauver, par conséquent qu'il lui donne les grâces nécessaires pour pouvoir le faire ;* fluit etiam ex omnium per Christum redemptione ; aliundè voluntas illa salutis omnium tanquam maximum erga homines divinæ charitatis exhibetur signum ; quod tamen non foret, si ex eâ omnibus non suppeterent media salutis relativè sufficientia. In gratiam conclusionis nostræ *secundæ* partis, proferri solent à Theologis ista Script. testimonia, Ezech., cap. 33 : *Tu ergo, Fili hominis, dic ad domum Israel, sic locuti estis dicentes : iniquitates nostræ... super nos sunt... quomodò ergo vivere poterimus ? Dic ad eos : vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à viâ suâ, et vivat ;* Epist II. Petri, cap. 3, ℣. 9 : *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* S. Cyprian., Epist. ad Antonianum 52 : *Cùm scriptum sit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, utiquè qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere.* S. Ambros., lib. de Parad., cap. 8 : *Quod in Deo fuit, ostendit omnibus quòd omnes voluit liberare.* S. Chrysost., tom. 3, Homil. 3 : *Cur igitur non omnes salvi fiunt, si vult omnes salvos esse, quoniam non omnium voluntas voluntatem illius sequitur.* S. Hieron., Comment. in cap. 1 Epist. ad Ephes. : Deus *vult salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire ; sed quia nullus absque propriâ voluntate*

salvatur..., vult nos bonum velle, ut cùm voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium. S. Aug., lib. de Spir. et Litterâ, cap. 33 : *Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes justissimè judicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno et summo bono, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit.* Hæc adeò clara sunt, ut Jansenius, lib. 2 de Gratiâ Salvatoris, cap. 30, dixerit S. Augustinum in mox allato textu *non tradere doctrinam suam, sed adversariam..., adeòque mirabili hallucinatione recentiores nostros objectionem pro solutione, pelagianam responsionem pro Augustini doctrinâ, errorem pro veritate accepisse.* Verùm nunquid iste solus in legendo S. Doctore fuit oculatus? Hunc textum tanquam referentem Augustini mentem proferunt Doctores catholici; eum appellat ipse Bossuetius in textu suprà exscripto : omnibus istis sanè credendum est. Et verò nullum exstat vestigium quo pateat S. Doctorem non ex propriâ, sed ex sententiâ Pelagianorum in præfato textu fuisse locutum. Duas scilicet ibi proponit quæstiones : 1.ª est an voluntas credendi sit à Deo, vel à libero arbitrio; 2.ª cur omnes homines Fidem non habeant, si donum Dei sit, qui vult omnes

homines salvos fieri. De priori constanter asserit voluntatem credendi à Deo esse; ad 2.am verò quæst. respondet Deum velle omnes homines salvos fieri, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium; nullatenùs verò pronuntiat Deum non ita velle omnes salvos fieri homines, quod tamen necessarium fuisset si, ut contendit Jansenius, textus propositus mera fuisset Pelagianorum objectio.

S. Prosper, in responsione ad capitula Gallorum ita loquitur : *Qui dicit quòd non Deus velit omnes homines salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, duriùs loquitur quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui et omnes homines vult salvos fieri atque in agnitionem veritatis venire.* S. Ansel., in cap. 6 S. Matth. : *Duæ sunt voluntates in Deo, una misericordiæ, quæ nihil libero aufert arbitrio, quâ omnes homines vult salvos fieri. Est et alia quæ est de effectibus rerum, de quâ dicitur, omnia quæcunque voluit fecit in terrâ; multi contradicunt voluntati Dei quæ est misericordiæ; cùm enim vellet etiam pravos salvare, si vellent, tamen ipsi contradicunt operibus suis huic voluntati.* Idem in hæc Apostoli verba, *qui vult omnes homines salvos fieri*, sic habet : *Ideò qui non salvantur non est quòd de Deo vel de mediatore possint conqueri, sed de seipsis qui nec redemptionem quam mediator dedit, nec salutem quam Deus obtulit, voluerunt accipere.*

Ecclesia Lugdunensis, lib. de tribus Epist. sic suam mentem aperit : *Quod autem simpliciter intelligitur Deum omnes homines velle salvos fieri, bonitate scilicet Creatoris (ita ut puta-*

mus) *fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur, humanâ obsistente voluntate, implere non posse, sed obsistente humanâ iniquitate implere nolle.*

Accedit auctoritas Theologorum quorum testimonia juxta ordinem suum scripta legere est apud *d'Argentré*, ad calcem Commentarii historici de Prædestinatione et Reprobatione. Unum hìc appellare sufficiat D. Thomam, Scholasticorum facilè principem : *Non immeritò*, inquit, lib. 3, contra Gentes, cap. 159, *non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni; Deus enim, quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; sed illi soli gratiâ privantur qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licèt videre non possit nisi lumine solis præveniatur.* Idem in cap. 12, Epist. ad Hebr. : Deus *vult omnes homines salvos fieri, et ideò gratia Dei nulli deest, sed omnibus, quantùm in se est, se communicat.*

COROLLARIUM.

Igitur 1.° fide catholicâ credendum est Christum pro salute aliquorum aliorum quàm prædestinatorum, id est, pro salute omnium justificatorum, inter quos multi sunt reprobi, mortuum fuisse, non modò sufficientiâ pretii oblati, sed etiam voluntate offerentis, ita ut in eo animo, eâ intentione, sanguinis sui pretium

Deo Patri obtulerit, ut salutem ipsis per gratiam suam verè ac relativè faceret possibilem.

2.° Etiam, sed non eâdem certitudine, constat Christum pro salute omnium et singulorum sanguinem fudisse : hæc utraque pars corollarii manifestè sequitur ex conclusione mox stabilitâ; cùm enim voluntas Christi semper fuerit conformis voluntati Patris ejus, juxta istud : *Quæ placita sunt ei facio semper*, non potuit non mori pro salute eorum quos Deus vult salvos fieri : atqui ex conclusione præcedenti, Deus vult salutem omnium justificatorum, imò salutem omnium, nullo excepto, etc.; ergo, etc.

I. *Pars* corollarii directè *probatur* 1.° *ex Scripturâ*. I. ad Timoth., cap. 4, ℣. 10 : *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium.*

2.° *Ex Traditione*. S. Augustinus in Ps. 68 : *Judas projecit argenti pretium quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse à Domino redemptus erat.*

3.° *Ex Ecclesiâ Lugdunensi*, lib. de tribus Epistolis, cap. 16 : *Pro illis tribus ordinibus ad Christi gratiam et societatem fidelium pertinentibus, Dominum Jesum Christum et venisse ut eos salvaret, et crucifixum esse ut eos redimeret..., et fideliter credendum tenemus, et hoc non solùm ex divinis Scripturis, sed etiam ex sanctorum Patrum fide et doctrinâ evidente agnoscimus :* porrò Ecclesia Lugdunensis inter ordines præfatos collocat omnes fideles qui post gratiam Baptismi defecerunt et in malo ad finem usque perseverant.

4.° *Ex Symbolo Nicæno*, cujus hæc fidei formula singulis fidelibus proponitur : *Credo...*

et in unum Dominum Jesum Christum..... qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis... crucifixus etiam pro nobis, etc.

5.° *Ex damnatione* quintæ propositionis Jansenii : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse.* Nimirùm ab Innocentio X, anno 1653, declarata est, accedente corporis Episcoporum consensu, falsa, temeraria, scandalosa : et intellecta hoc sensu quòd Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, damnata est ut impia, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica.

6.° *Ex Clero Gallicano,* cujus Episcopi in Comitiis anni 1714 congregati, sic loquuntur in documento suo pastorali : *Dire que Jésus-Christ n'est mort que pour le salut des seuls prédestinés, c'est précisément le sens hérétique condamné dans la 5.e proposition de Jansénius.*

7.° Deniquè *ex firmitate* spei christianæ.

II. *Pars* ejusdem corollarii etiam directè *probatur* 1.° *ex Scripturâ.* II. ad Corinth., cap. 5, ℣. 14 et 15 : *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* I. ad Timoth., cap. 2, ℣. 5 et 6 : *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

2.° *Ex Patribus.* S. Basilius in Homiliâ in Ps. 48 : *Unum inventum est pro omnibus simul hominibus sufficientissimum pretium, sanguis D. N. J. C., quem pro..... omnibus effudit.*

S. Epiph., Hæres. 69 : *Ipse Christus sacerdos, ipse hostia, semetipsum obtulit pro omni creaturâ.* S. Hieron. in Epist. ad Oceanum : *Mentitur Joannes Baptista, et digito Christum et voce demonstrans : Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in seculo quorum Christus peccata non tulerit.* S. Aug. in Psal. 95 : *Christus judicabit orbem terrarum in æquitate; non partem, quia non partem redemit; totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Et lib. 20 de Civitate Dei, cap. 6 : *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsùs excepto..., et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, id est, nullum habens omninò peccatum.* Et lib. 6 contra Julianum, cap. 4 : *Ex hoc probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse quia pro omnibus mortuus est unus; impingo, inculco, infercio recusanti : accipe, salubre est, nolo moriaris, unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit ut intelligantur omnes mortui si pro omnibus mortuus est.* S. Leo Magnus, Sermone 1 de Nativitate Domini : *Dominus noster..... sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro omnibus liberandis venit.* S. Bernardus, Sermone 2 in Psal. 90 : *Possunt omnia dicere, creator meus es tu; possunt et animalia dicere, pastor meus es tu; possunt omnes homines dicere, redemptor meus es tu.*

Prob. 3.° *Auctoritate Theologorum*, instar quorum sufficiat appellare illustrissimum Bossuetium, in opere citato : *L'explication qui ne donne aucune borne à la volonté de Dieu et de Jésus-Christ, prise dans une entière universalité, paraît plus digne de la bonté de Dieu,*

plus conforme aux expressions de l'Ecriture, et plus propre à la consolation des fidèles.

Nicolium ipsum appellare juvat, in opere cui titulus, *Traité de la Grâce*, tom. 1.er pag. 258 et suiv : *Toutes les explications de S. Augustin qui restreignent ces termes, Jesus-Christ est mort pour tous, Dieu veut que tous les hommes soient sauvés, aux élus, sont vraies étant entendues d'une volonté absolue et efficace de sauver les hommes ; mais cette volonté absolue subsiste avec une vraie et sincère volonté qui est en Dieu et en Jésus-Christ de sauver tous les hommes s'ils veulent,* modò ipsi velint ; *et cette volonté conditionelle n'a rien que d'orthodoxe, pourvu qu'on l'entende d'une volonté toujours frustrée de son effet par la malice des hommes. Le nombre des auteurs qui ont soutenu le sens général sans parler du sens restreint, est plus du quadruple du nombre de ceux qui ont marqué expressément le sens restreint..... Comme il y aurait de la témérité, sous prétexte des explications générales que les autres Pères ont données aux passages de l'Ecriture, de rejeter le sens que S. Augustin y donne; de même l'église du IX siècle a aussi jugé qu'il ne serait pas juste, sous prétexte des sens de S. Augustin, de rejeter les explications des autres Pères, qui les ont prises en un sens général ; cela serait d'autant moins raisonnable, que ce sens général est non-seulement des Pères Grecs qui ont précédé S. Augustin, mais qu'il l'est de la plupart de ceux qui l'ont suivi, de l'auteur de la Vocation des Gentils, de S. Prosper et de S. Augustin même ; de sorte qu'on peut avancer qu'il*

qu'il y a dix fois plus d'auteurs pour le sens général qne pour le sens restreint.

Obj. 1.° Lib. Esther cap. 13, ℣. 9 : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati*, inquit Mardochæus ; Psal. 113 : *Omnia quæcunque voluit, fecit ;* Isai. 46, ℣. 10 : *Omnis voluntas mea fiet ;* ad Rom.c. 9, ℣. 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* atqui soli prædestinati salvantur ; ergo nullum reprobum salvum fieri vult Deus.

Resp. Dist. maj. Voluntas Dei consequens et absoluta semper impletur, *conc.* ; voluntas antecedens et conditionata, *nego.* Itaque inter varios Scripturæ textus nulla potest esse contradictio vera et realis, cùm sint verbum Dei qui pugnantia loqui non potest. Cùm igitur aliquos textus reperire est inter quos primâ fronte et specie tenùs apparet oppositio, tunc minùs clari ex clarioribus, vel ex traditione Patrum et Ecclesiæ judicio interpretandi sunt et conciliandi : porrò circa præsentem quæstionem sunt varii Scripturæ textus contradictionis speciem retinentes ; nimirùm adversarii ex unâ parte citant textus in quibus voluntas Dei ut semper impleta exhibetur ; ex alterâ parte nec minori numero appellamus testimonia juxta quæ voluntas divina identidem non impletur : Ezech. cap. 24, ℣. 13 : *Mundare te volui, et non es mundata à sordibus tuis ;* Isai. cap. 66, ℣. 4 : *Fecerunt malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt ;* Actuum Apost. cap. 7, ℣. 51 : *Vos semper Spiritui Sancto resistitis ;* I. ad Timoth. cap. 2, ℣. 4 : Deus *omnes homines vult salvos fieri*, quamvis multi non salventur ; ergo solvenda est hæc apparens contradictio, sive ex locis Scripturæ clarioribus, sive ex Patrum

interpretatione, sive ex definitionibus Ecclesiæ: porrò huic insistendo regulæ dicimus voluntatem Dei, quam ut semper efficacem nobis repræsentant sacri Codices, esse voluntatem absolutam et consequentem, cui nemo unquàm resistet nec resistere supponi potest; illam verò quæ suo defraudatur effectu, esse conditionatam et antecedentem. Et verò inter fideles multi damnantur: atqui tamen fide catholicâ credimus Deum velle salvos fieri omnes fideles; ita Bossuetius, catholici dogmatis non ignarus, et post ipsum Card. Noallius, quorum testimonia protulimus; ita etiam Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1714: *Dire que Dieu n'a voulu sauver que les seuls élus, et que Jésus-Christ n'a formé des souhaits et qu'il n'est mort que pour le salut des seuls prédestinés, c'est précisément le sens hérétique condamné dans la cinquième proposition de Jansénius. Vous la condamnez tous les jours, mes chers Frères, par la profession de foi qu'un chacun de vous fait dans le Symbole, quand vous dites que Jésus-Christ est descendu du ciel en terre pour vous et votre salut. Le juste, le pécheur, le parfait, le moins parfait, tout fidèle est obligé de faire cette profession de foi et de se l'appliquer personnellement;* ergo admittatur in Deo necesse est voluntas vera et sincera quæ non impletur.

Obj. 2.° S. Augustinus hunc Apostoli textum, *Deus omnes homines vult salvos fieri*, de solis prædestinatis intelligit; ergo, etc.

Resp. 1.° veram Scripturæ interpretationem ex unanimi Patrum sensu accipiendam esse, juxta istud Concilii Tridentini, Sessione 4.ª;

Sacrosancta Synodus.... decernit ut nemo prudentiæ suæ innixus, in rebus fidei et morum... sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, ... aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat : atqui, ipso teste Nicolio, *on peut avancer qu'il y a dix fois plus d'auteurs pour le sens général de ces paroles, Dieu veut que tous les hommes soient sauvés, Jésus-Christ est mort pour tous, que pour le sens restreint;* et ex Bossuetio : *Il n'y a assurément aucun des fidèles qui ne doive croire avec une ferme foi que Dieu veut le sauver et que Jésus-Christ a versé tout son sang pour lui.... C'est la foi de l'église;* ergo, etc. Quæ quidem dicimus non quasi auctoritatem Doctoris Gratiæ in præsenti rejiciamus, cùm ex textibus illustrissimi Bossuetii et Nicolii jam appellatis, constet ipsum voluntatem generalem salutis hominum in Deo admisisse : sed significare tantùm voluimus quòd si per impossibile S. Augustinus contrarium asseruisset, auctoritate ipsius quoad punctum istud non detineremur.

Resp. 2.° S. Augustinum potuisse asserere Deum non velle salutem aliorum quàm prædestinatorum, absque eo quòd nostræ conclusioni, saltem in quantùm ad dogma catholicum pertinet, contrarius inveniatur : namque ad fidem catholicam sufficit credere Deum, etiam consequenter ad peccatum originale, velle salutem aliorum à prædestinatis, nempè fidelium justificatorum, inter quos multi sunt reprobi ; velle, inquam, voluntate signi, quæ

adjunctam habeat voluntatem beneplaciti de *possibilitate* salutis eorum ; et reverà non desunt Catholici qui hanc sententiam propugnant, ita Alexander Alensis, S. Bonaventura, Scotus, Sylvius, Estius, etc. ; intactam ergo thesim nostram relinquunt adversarii, nisi demonstrent S. Augustinum ita restrinxisse voluntatem Dei ad salutem prædestinatorum, ut etiam negaverit Deum sincerè velle et procurare *possibilitatem* salutis aliorum quàm prædestinatorum : atqui certè istud nunquàm demonstrabunt ; ergo, etc.

Resp. 3.° S. Augustinum textum Apostoli, *Deus vult*, etc., ad solos prædestinatos restrinxisse quotiescunquè voluntatem absoluto sensu intellexit ; nec mirum : omnis enim Catholicus ultrò fatetur consequentem sive absolutam Dei voluntatem semper impleri ; at verò idem S. Doctor præfatum Apostoli textum generaliter interpretatus est, agendo de voluntate Dei antecedente et conditionatâ. Sic enim loquitur, libro de Catechizandis Rudibus, cap. 26 : *A pœnis æternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici et non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum filium suum.* Hinc Bossuetius et Nicolius suprà fatentur divinam salutis omnium voluntatem à S. Augustino fuisse traditam.

Inst. 1.° S. Augustinus, Epist. 217, dicit eos qui Apostoli verba generaliter exponunt, *non intelligere omninò quâ locutione sit dictum quòd omnes homines vult Deus salvos fieri* ; ergo generalem salutis hominum voluntatem negavit.

Resp. Dist. cons. Negavit generalem salutis hominum voluntatem, intellectam sensu Pelagianorum et Semipelagianorum, *conc.*; sensu nostro, *nego.* S. Augustinus ibi refellit Pelagianos et Semipelagianos, qui generalem salutis hominum voluntatem sensu erroneo ex triplici capite intelligebant: 1.° quòd Deus venit salvare omnes qui salutis negotium ex naturæ viribus perficere aut saltem inchoare velint; 2.° quòd Deus omnes homines indiscretè seu indifferenter, absque prædilectione ullâ salvare velit; 3.° quòd voluntas divina humanæ voluntatis ita sit pedissequa, ut salvare non possit eos qui ex solis naturæ viribus non inquirunt: porrò fateor S. Augustinum rejecisse voluntatem salutis hominum hoc triplici sensu erroneo generalem; non autem intellectam generaliter sensu nostro, ut jam probatum est.

Inst. 2.° Ex S. Augustino, Enchiridii cap. 95 et 96, voluntas Dei semper impletur; omnipotens non esset si quæ vult non faceret; ergo, etc.

Resp. 1.° Retorqueo contra Jansenium: *Habuit Deus,* inquit ille, libro 10 de Gratiâ Christi, cap. 1, *generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes* (Angelos), *ex quâ, quantùm in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterèa beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est...; omnibus* (Angelis) *æternam vitam simplici affectu voluit, ex quo omnibus gratiam et adjutorium sufficientissimum dedit:* atqui tamen non omnes Angeli salutem adepti sunt; ergo Jansenius contradicit Augustino dicenti volun-

tatem divinam semper impleri, Deumque non fore omnipotentem si voluntas ejus non semper impleatur : quam huic objectioni solutionem dabit, et nos objectioni propositæ afferemus.

Resp. 2.° ex propositâ objectione ad magis confici Deum non velle voluntate simpliciter dictâ existentiam salutis reproborum, quod quidem intactâ thesi nostrâ aliquo sensu dici potest, modò dicatur Deum erga salutem omnium ita benè affectum esse, ut omnibus possibilem eam efficiat, conferendo vel præparando ipsis media ad id verè sufficientia : istud verò expressè confessus est S. Doctor, libro 1 Retractat., cap. 10 : *Quod dixi*, inquit, *illud* (lumen) *non irrationabilium avium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt et... ad ejus præcepta implenda se convertunt, quod omnes homines possunt si velint, non existiment... Pelagiani secundùm eos esse dictum ; verum est enim omninò omnes homines hoc posse si velint ; sed præparatur voluntas à Domino, et tantùm augetur munere charitatis ut possint.*

Resp. 3.° *Dist. ant.* Ex S. Augustino voluntas Dei consequens et absoluta semper impletur, *conc.* ; et conditionata, *nego.* Solutio patet ex jam dictis ; hìc tamen proferre juvat textum S. Augustini, quo magis compertum fiet ipsum aliquam in Deo admisisse voluntatem inefficacem, quamvis generaliori sensu verum sit ipsam semper impleri. *Infideles quidem*, inquit libro de Spiritu et Litterâ, cap. 33, *contra voluntatem Dei faciunt cùm ejus Evangelio non credunt ; nec ideò tamen*

eam vincunt... experturi in suppliciis potestatem ejus cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.

Obj. 3.° Plurimi tum ex veteribus, tum ex recentioribus Theologis, voluntatem Dei propriè dictam ad salutem duntaxat prædestinatorum extendunt, ita ut erga salutem reproborum, vel nullam præter signi voluntatem admittant, vel solam antecedentem, quæ non circa ipsam salutem, sed tantùm antecedentia salutis versetur, vel eminentem seu virtualem, vel etiam simplicem amorem complacentiæ; ergo, etc.

Resp. Theologos in objectione à nostrâ sententiâ non recedere quantùm ad illud quod in præsenti controversiâ præcipuum et fundamentale est: fatentur enim omnes, aut saltem ferè omnes, Deum etiam consequenter ad peccatum originale, cunctis hominibus conferre vel offerre ac præparare media ad salutem verè sufficientia. Testis est Cardinalis *d'Aguirre*, tom. 3 in Theologiâ S. Anselmi: *Certa*, inquit, *Theologorum penè omnium sententia est Deum omnibus omninò hominibus præparâsse atque offerre, quantùm in ipso est, media necessaria ad salutem.* Testis est etiam Pater *de Graveson*, celebris Thomista: *Cùm Deus*, inquit, Epist. 8, *per voluntatem antecedentem* (*sicut fatentur omnes ad unum Thomistæ*) *præparet omnibus hominibus eisque conferat vel offerat auxilia sufficientia ad salutem, indè colligitur Deum verè ac sincerè velle omnes salvos fieri.* Itaque cùm Theologi prædicti nobiscum consentiant de voluntate propriè dictâ seu bene-

placiti, quæ versetur circa antecedentia salutis omnium hominum, quæ superest agitanda quæstio tanti non est momenti ut in illâ solvendâ multum temporis insumendum sit. Cæterùm, ut nobis videtur, solutu facilis est; siquidem non assumuntur media nisi ex intentione seu voluntate finis, saltem antecedente et conditionatâ.

Obj. 4.° Voluntas inefficax pugnat cum ideâ entis summè potentis : atqui voluntas salvandi omnes homines inefficax esset; ergo, etc.

Resp. 1.° Jansenium eâdem difficultate premi, cùm ex dictis admittat Deum voluisse salutem omnium Angelorum, quamvis non omnes salvati fuerint.

Resp. 2.° aliquo sensu dici posse voluntatem Dei circa salutem omnium hominum impleri. Impletur enim quatenùs versatur circa salutem prædestinatorum; etiam quoque impleta dici potest prout versatur circa salutem reproborum; nam voluntas ista antecedens et conditionata est : sed, ut loquitur auctor Defensionis Arnaldinæ, ut hoc voluntatis genus dicatur efficax, opus non est ut id fiat quod cum certâ conditione volumus fieri, sive ponatur sive non ponatur conditio; requiritur tantùm ut positâ conditione, semper fiat id quod volumus, et sublatâ non fiat : porrò in reprobis, conditio sub quâ Deus eorum salutem vult, non ponitur; ergo voluntas Dei manet invicta, etsi non salvantur.

Resp. 3.° *Dist. maj.* Voluntas inefficax pugnat cum ideâ entis summè potentis, si inefficacia ejus ex impotentiâ voluntatis oriatur, *conc.*; si ex malitiâ creaturæ, quam quidem

potest Deus impedire sed non vult, *nego*. Porrò voluntas divina circa salutem reproborum posteriori tantùm sensu inefficax est; ergo, etc. Vero sensu dici potest voluntatem divinam semper impleri, ut post S. Augustinum explicat D. Thomas, 1.ª part., quæst. 19, art. 6., his verbis : *Cùm voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quòd divina voluntas suum effectum non consequatur; undè quod recedere videtur à divinâ voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium, sicut peccator qui, quantùm est in se, recedit à divinâ voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dùm per ejus justitiam punitur.*

Obj. 5.° Deus non vult salutem omnium voluntate consequenti, ut omnes fatentur; ergo antecedenter velit superest : porrò repugnat in Deo ejusmodi voluntas antecedens, siquidem fundatur in præcisione mentis quæ summæ perfectioni adversatur.

Resp. Nego min. Ad cujus probationem, *dist.* Voluntas antecedens fundatur in præcisione mentis objectivâ, *conc.*; formali, *nego*. Præcisio formalis est attentio ad unum objecti respectum, alio non considerato; hæc autem in Deo repugnat, quia omnia semper unico intuitu contemplatur. Objectiva præcisio supponit varios objecti respectus, quibus licèt omnibus mens intenta, diversimodè tamen relativè ad illos se habet. Ejusmodi præcisio non nocet summæ perfectioni, et in illâ solâ fundatur voluntas Dei antecedens. Deus nempè videt omnes salutis reproborum respectus, et sub iis sub quibus amabilis est illam reverà

diligit, ejusque existentiam vult et intendit; aversatur autem sub ulteriori respectu, sub quo ampliùs non est amabilis ; illeque respectus est reproborum in peccato perseverantia, quâ quidem existente, non est ampliùs bonum ut salventur.

Obj. 6.° Saltem Deus non ita vult omnium salutem ut omnibus conferat, præparet vel offerat gratias ad salutem relativè sufficientes ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Nam ex S. Thomâ, in c. 12 Epist. ad Hebræos, lect. 3 : *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ideò gratia nulli deest, sed omnibus, quantùm est in se, se communicat ;* et lib. 3 contra Gentiles, cap. 159 : *Deus quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare ; vult enim omnes homines salvos fieri..., sed illi soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.* An autem voluntas illa salutis omnium antecedens et conditionata Deum moveat, non solùm ad gratias offerendas vel procurandas relativè sufficientes omnibus et singulis, sed etiam actualiter conferendas, quæstio est inter Theologos agitata, cujus solutio pertinet ad *Tractatum de Gratiâ*, ubi de *distributione* ipsius ; affirmant Salmanticenses, Card. *d'Aguirre*, et alii ; negant verò Bannesius, Gonetus, etc.

Inst. Sunt infideles negativi, qui scilicet de Evangelio nihil audierunt : atqui certè Deus non vult eorum salutem, cùm fides ad salutem necessaria, ipsis verè sit impossibilis.

Resp. Nego min. et prob. ejus. Nam, ut loquitur Bossuetius, opere jam citato, § 17 : *Néanmoins cette conclusion n'empêcherait pas*

qu'en ôtant aux infidèles, qui n'ont jamais ouï parler de l'Evangile, la grâce immédiatement nécessaire à croire, on ne leur accordât celle qui mettrait dans leur cœur des préparations plus éloignées, dont s'ils usaient comme ils doivent, Dieu leur trouverait, dans les trésors de sa science et de sa bonté, des moyens capables de les amener de proche en proche à la connaissance de la vérité : ce sont ces moyens qui ont été si bien expliqués dans le livre de la Vocation des Gentils, où sont comprises les merveilles visibles de la création capables d'amener les hommes aux invisibles perfections de Dieu, jusqu'à les rendre inexcusables, selon S. Paul, s'ils ne les connaissent et ne les adorent. Et non-seulement on y trouve cette bonté générale, mais encore, par une secrète dispensation de sa grâce, de plus occultes et de plus particulières insinuations de la vérité, que Dieu répand dans toutes les nations par les moyens dont il s'est réservé la connaissance. « Si quis » nutritus in silvis, inquit D. Thomas, quæst. » 14 de Fide, art. 11, ductum naturalis ra- » tionis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali, » certissimè est tenendum quòd ei Deus vel per » internam inspirationem revelaret ea quæ sunt » ad credendum necessaria, vel aliquem fidei » prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit » Petrum ad Cornelium. » *Nous soutenons*, inquit Sacra Facultas Parisiensis, in censurâ libri cui titulus *Emile, que par les opérations intimes de Dieu, qui nous sont cachées, ces infidèles peuvent connaître et observer la loi naturelle; de sorte que s'ils faisaient, comme ils le peuvent, usage des grâces intrinsèquement surnaturelles*

qui leur sont accordées pour cela, Dieu se servirait d'autres moyens qui lui sont connus et qu'il a en son pouvoir, pour leur manifester la révélation chrétienne.

Obj. 7.° *et ultimò.* Deus non vult salutem infantium qui moriuntur antequàm remedium peccati originalis ipsis applicari possit; ergo, etc.

Resp. Ex probatis, Deus vult omnes homines salvare : sed infantes illi homines sunt; ergo, etc. Undè egregiè S. Aug., contra Julianum, cap. 8, de istis parvulis ait : *Nunquid homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est:* omnes homines vult salvos fieri, etc.?

At quomodò velle possit salutem eorum quibus applicatio Baptismi est impossibilis : vult, inquiunt plures, in quantùm pro eis instituit media salutis, quorum applicationem sincerè intendit, nisi obstet mors præmatura ; vult etiam, juxta alios, quatenùs non sineret eos ante Baptismum decedere, si parentes eorum peccando non posuissent obicem ; prior explicandi modus anteponendus videtur.

Dices : S. Augustinus, in lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 12 : *Festinantibus,* inquit, *parentibus, et paratis ministris ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur;* ergo, etc.

Resp. 2.° *Dist. ant.* Deo nolente voluntate consequente, *conc.;* antecedente, *nego.* Nimirùm voluntas Dei vera et sincera omnes salvandi reprobos, conditionata est, et aliquid in creaturis ponendum supponit, nimirùm pro adultis liberam gratiæ cooperationem, et pro infantibus certam causarum naturalium dispositionem,

quæ mortem priùs non afferat quàm ipsis per Baptismum subveniri possit.

Cæterùm non desunt quibus hæc non arridet responsio ; nec placet jam expositus uterque modus explicandi quomodò Deus parvulorum saluti providerit, dùm, quâcunque factâ hypothesi, ipsis tamen salutis medium, Baptismus nempè, conferri non possit ; undè censent nihil sapientius hâc de re, nihilque verius dici posse, quàm nos penitùs latere medium quo eorum infantium saluti providere Deus voluerit. Hinc illustrissim. Bossuetius anteà dicebat : *Dieu s'est réservé la connaissance de ces moyens.*

ARTICULUS III.

De Proprietatibus Voluntatis divinæ et Perfectionibus ipsi annexis.

Proprietates voluntatis divinæ sunt *efficacia* et *libertas*. De libertate Dei suprà egimus ; quid autem de ipsius efficaciâ voluntatis sentiendum, ex dictis articulo præcedenti satis colligitur.

Perfectiones divinæ voluntati annexæ sunt *omnipotentia, justitia* et *misericordia*.

Omnipotentia seu vis ad omnia possibilia se extendens, Deo convenit ex Scripturâ : *Ego Deus omnipotens*, inquit, Gen. cap. 17, ℣. 1 ; ex ratione : Deus enim, ex probatis, vim creatricem habet, quâ major concipi nequit. Præterea hunc mundum aspectabilem fecit ; ergo cætera quæque non magìs difficilia operari potest. Deniquè non est potior ratio cur potentia Dei ad unum quàm ad aliud possibile se extendat ; ergo ad omnia extenditur. Observandum

est autem Deum solo voluntatis suæ imperio et pro nutu omnia efficere : *Dixit et facta sunt.*

Justitia et *misericordia* etiam Deo conveniunt, ut passim testantur Codices sacri, probat evidens ratio, et confirmat experientia. Notandum verò, etsi misericordia inclinat ad parcendum, et justitia ad puniendum, non ideò secum pugnare hæc duo attributa. In Deo enim concipiuntur cum istâ modificatione, quantùm ipse supremus arbiter decere seu expedire judicat.

CAPUT XI.

De Providentiâ Dei.

Providentia definiri solet, *ordinatio rerum ad debitum finem per media idonea.* Duobus articulis nobis agendum est de Providentiâ in genere et de Providentiâ in specie, ubi de Prædestinatione ad gloriam et reprobationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De Providentiâ Dei in genere.

Providentiam Dei undequaquè fulgentem speculativè tenent ferè omnes : practicè autem plurimi negare videntur, vitam degentes quasi res humanas non conservaret Deus.

CONCLUSIO.

Est in Deo providentia generalis quæ ad omnia omninò etiam viliora extenditur.

Prob. 1.° *Ex Script.* Sap. cap. 8, ℣. 1 :

Deus *attingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter;* et cap. 12, ℣. 13 : *Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus.* I. Petri, cap. 5, ℣. 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Matth., cap. 6, ℣. 28 : *Considerate lilia agri quomodò crescunt; non laborant neque nent;* et ℣. 30 : *Si autem fœnum agri, quod hodiè est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei!*

Ipsa etiam peccata ad ordinem Providentiæ suo modo pertinent, non quidem ut fiant, sed ut per media vitentur, et ut commissa puniantur, deniquè ut in bona convertantur : Prov. cap. 1, ℣. 24; et cap. 16, ℣. 4. Gen. cap. 50, ℣. 20.

Prob. 2.° *Ex SS. Patribus.* S. Clemens Alex., lib. 6 Stromatum : *Constat supplicium magis quàm confutationem mereri illum omnem qui Providentiam esse non putat.* S. Ambr., lib. 1 de Officiis, cap. 13 : *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse, cùm aliquid non fecisse nulla injustia sit, non curare quod feceris, summa inclementia?* S. Aug., in lib. de Utilitate credendi, cap. 16 : *Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil de religione satagendum.* S. Joannes Damasc., lib. 2, de Fide, cap. 29 : *Solus Deus naturâ bonus est et sapiens : igitur quatenùs est bonus, providet.....; quatenùs autem sapiens est, optimè rebus prospicit.*

Prob. 3.° *Ratione.* 1. Deus est infinitè sa-

piens, summè bonus et omnipotens; ergo et providus; nam prout est summè sapiens, cognoscit omnium rerum fines debitos, et media his procurandis idonea; quatenùs summè bonus, non potest non velle uniuscujusque finem debitum per media apta; et prout est omnipotens, secundùm voluntatem suam infallibiliter operatur.

2. Deus non potest sibi contradicere : atqui sublatâ providentiâ, sibi contradiceret; ille enim sibi contradicit qui vult et non vult: atqui sublatâ providentiâ, Deus idem vellet et non vellet; nempè vellet creaturas suas debitum finem assequi, cùm ipsas liberè creando, ipsis hanc versùs finem suum tendentiam ultrò concesserit; simul nollet, ipsis nempè negando media quæ ad finem obtinendum verè sufficientia sunt.

3. Divina relucet providentia in ordine mundi physico, ut constat ex dictis, ubi de physicis existentiæ Dei argumentis; ergo à fortiori non deest in ordine morali.

Obj. 1.° I. ad Corinth. cap. 9, ℣. 9: *Nunquid de bobus cura est Deo;* ergo providentia ad viliora non extenditur.

Resp. Nego consequent. In prædicto textu sermonem facit Apostolus de lege quâ Deus prohibet, Deut. cap. 25, ne alligetur os bovi trituranti : dicit autem in illâ ferendâ lege Deum de bobus non curâsse, sed aliud significare voluisse, nimirùm altaris ministros mercede suâ non esse defraudandos, ita ut qui deserviunt altari, ex altari vivant; hæc est legitima textus Apostoli interpretatio, quæ divinæ providentiæ universalitatem intactam relinquit.

Obj. 2.° S. Hieron., in cap. 1 Habacuc, versùs finem : *Absurdum est, ait, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices quotve moriantur;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. S. Hieronymi verba non absolutè sed relativè intelligenda sunt, ita ut, juxta ipsum, Deus non tam vilioribus animantibus prospiciat quàm hominibus, etsi utriusque speciei pro diversâ ejus conditione disparem curam gerit; solutionis hujus veritatem adstruunt quæ apud S. Doctorem sequuntur : *Non simus*, inquit, *tam fatui adulatores Dei, ut dùm potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quàm irrationabilium providentiam esse dicentes.*

Obj. 3.° Justi sæpiùs affliguntur, dùm è contrà impii bonis omnibus quandoquè affluunt; ergo, etc.

Resp. argumentum illud, sublatâ alterâ vitâ, vim habere ineluctabilem; ipsâ verò supposità, ut reverà supponi debet, nullius esse roboris. Hinc Psaltes regius, Ps. 36, ℣. 1 : *Noli*, inquit, *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Namque *ducunt in bonis dies suos, sed in puncto ad inferna descendunt;* Job c. 21, ℣. 13.

Obj. 4.° Si providentia Dei ad viliora etiam extendatur, jam curis et sollicitudinibus innumeris distrahitur; ergo, etc.

Resp. Nego ant. De Deo enim qui unico actu omnia videt et operatur, verificari non potest illud Poetæ cujusdam : *Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.* Homo cujus facultates

angustis stringuntur limitibus, pluribus intentus impar quidem invenitur; non ita de Deo sentiendum, cujus scientiæ sicut potentiæ non est numerus.

Obj. 5.° Providentia Dei rebus imponit necessitatem; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Deus enim omnia in fines debitos ordinat, sed diversâ ratione, ita ut necessariis providendo necessitatem imponat, liberis verò, intactâ libertate, prospiciat.

ARTICULUS II.

De Providentiâ Dei in specie.

Deus ut potè omnium creator et conservator, omnibus ex consequenti providet rebus, nimirùm corporeis et spiritualibus. In præsenti autem agitur tantùm de providentiâ Dei, prout ipsa per prædestinationem vel reprobationem circa finem hominis ultimum versatur.

§ I.

De Prædestinatione.

Prædestinatio, juxta vim nominis, est definitio rei antequàm fiat; juxta rem nomine significatam definitur à S. Augustino, lib. de Dono Persev., cap. 14 : *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.*

Prædestinatio duplex, una *ad gratiam*, altera *ad gloriam;* utraque simul et adæquatè sumpta, est decretum Dei absolutum quibusdam dandi gratiam in præsenti vitâ, et gloriam in alterâ.

Certum est 1.° dari prædestinationem ad gratiam et gloriam, 1. *ex Scripturâ*. Ephes.

cap. 1, ℣. 5 : *Prædestinavit nos Deus in adoptionem filiorum ;* et Rom. cap. 8, ℣. 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit..., justificavit, et glorificavit.*

2. *Ex Patribus.* S. Prosper in 1.ª Respons. ad objectiones Gallorum : *Prædestinationem Dei,* inquit, *nullus Catholicus negat.*

3.° *Ratione theologicâ.* Deus ab æterno decernit quidquid facturus est in tempore : atqui gratiam et gloriam in tempore quibusdam daturus est ; ergo gratiam et gloriam quibusdam largiri ab æterno decrevit.

Verùm quàm clara est divinæ prædestinationis existentia, tam occulta est ipsius ratio seu causa, non physica seu finalis, quæ certò Deus est, sed moralis : scilicet quæritur an prædestinatio fiat ex prævisis hominum meritis.

2.° Fide catholicâ certum est prædestinationem ad primam gratiam non fieri ex prævisis meritis, sed ipsam omninò gratuitam esse ; 1. *Ex Scripturâ,* Rom. c. 11, ℣. 6 : *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.*

2. *Ex SS. PP.*, qui Pelagianos impugnârunt quòd dicerent gratiam meritis naturalibus dari. Dixi *prædestinationem ad primam gratiam omninò gratuitam esse,* siquidem homo gratiâ prævenlus aliam mereri potest : *Si enim,* inquit S. Augustinus, libro de Gratiâ et Libero Arbit., cap. 6, loquens de Pelagianis, *si* cùm dicunt gratiam meritis dari, *merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia : quoniam verò merita humana sic prædicant ut ea ex semetipso habere hominem dicant,*

prorsùs rectissimè respondet Apostolus : Quis te discernit ? quid habes, quod non accepisti ?

Hinc sequitur prædestinationem adæquatè sumptam, prout scilicet *gratiam* et *gloriam* includit, esse gratuitam.

3.° Fide catholicâ certum est prædestinationem *ad gloriam* non fieri ex prævisis meritis naturalibus. 1. *Ex Scripturâ;* Rom. c. 6, ℣. 23: *Gratia autem Dei vita æterna.* 2. *Ex traditione Patrum*, quorum testimonia in tractatu de Gratiâ Christi appellari solent. 3. *Ratione theologicâ;* nimirùm vita æterna est finis supernaturalis, sed inter finem supernaturalem et merita naturalia nulla est proportio; ergo, etc.

4.° Fide catholicâ certum est gloriam ut mercedem justorum meritis esse tribuendam in tempore : *Ero merces tua magna nimis*, inquit Deus, Abraham alloquens; et Matth., cap. 25: *Venite benedicti patris mei, possidete regnum; esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Sed quia, ut jam dictum est, quidquid Deus facturus est in tempore, illud decrevit ab æterno, hinc manifestè sequitur Deum ab æterno posuisse decretum dandi gloriam justorum meritis ex gratiâ oriundis.

Itaque prædestinatio *ad gloriam* spectata in ordine exsecutionis, gratuita non est, sed merita supponit. Ergo status quæstionis est an prædestinatio ad gloriam, in ordine intentionis sive juxta decretum intentionis spectata, omninò gratuita sit, id est, quæritur an Deus intendendo gloriam electis dare, ad eorum merita per gratiam absolutè futura respexerit; an Deus ita statuerit absolutè : Volo dare gratiam efficacem talibus, et propter merita eorum indè pro-

venientia, ipsos ad gloriam eligo ; vel è contrà sic definierit : Absolutè intendo dare gloriam talibus à me electis ex beneplacito, et absolutè volo istud exsequi, dando eis gratiam efficacem ad actus gloriæ meritorios.

Quæstio sic proposita non pertinet ad fidem catholicam, et à Theologis variè solvitur.

1.ª Sententia duplicem distinguit salvandorum ordinem ; primum nempè insigniorum, quales fuêre Beata Virgo, Prophetæ, Apostoli, et alii numero pauci, quorum prædestinatio fuit gratuita, non ex prævisis eorum meritis facta ; alterum verò cæteris omnibus constantem electis, quorum prædestinatio gratuita non est, sed ex eorum prævisis mediante gratiâ meritis. Ita Catharinus è familiâ Prædicatorum cum paucissimis, quorum singularis opinio rejicienda est, ut potè nullis ex Scripturâ vel Traditione desumptis probationibus innixa.

2.ª Sententia eorum est qui volunt prædestinationem non esse gratuitam, sed fieri ob prævisionem meritorum ex gratiâ futurorum. Ita plures variarum Scholarum Theologi.

3.ª Longè communior, gratuitatem prædestinationis defendit, ita ut Deus quosdam efficaciter ad gloriam destinet antecedenter ad prævisa eorum merita per gratiam absolutè futura. Prioritas autem illa non est temporis, ut patet, sed naturæ seu rationis. Huic sententiæ adhærent non solùm Thomistæ, sed etiam Augustiniani, Scotistæ plurimi, nec non insigniores Molinistæ, cum quibus sit

CONCLUSIO.

Prædestinatio ad gloriam gratuita est, seu prævisa antecedit merita.

Prob. 1.° *Ex Script.* Certè prædestinatio ad gloriam gratuita est, et meritorum prævisionem antecedit, modò ipsa verè sit causa omnium beneficiorum, gratiarum et meritorum quæ Deus electis in tempore confert : atqui ex Scripturâ, prædestinatio ad gloriam est causa omnium beneficiorum, etc. Joan. c. 10, ℣. 26 : *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis; oves meæ vocem meam audiunt... et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis;* ergo sicut alii non credunt quia non sunt ex ovibus, ita dicuntur alii credere quia sunt oves, id est, prædestinati; igitur prævisio fidei et aliorum proindè meritorum, non est causa prædestinationis, sed è contrà meritum fidei ex prædestinatione sequitur. Et cap. 15, ℣. 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat;* igitur electio seu prædestinatio est causa fructuum, id est, meritorum. Act. c. 13, ℣. 48: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ibi redditur ratio cur aliqui crediderint, ista scilicet, quòd præordinati essent ad vitam æternam; itaque prædestinatio est causa fidei. Rom. c. 8, ℣. 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit;* adeòque certè vocantur, justificantur et glorificantur, quia sunt prædestinati, ita ut illa non sint causa prædestinationis, sed

potiùs prædestinatio sit causa illorum.. Eph. c. 1, ℣. 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti;* ergo non ex sanctitate seu meritis prædestinatio nostra, sed potiùs ex prædestinatione sanctitas. Matth. c. 24, ℣. 22 : *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur;* igitur electio seu prædestinatio est gratia sine causâ beneficiorum ac gratiarum, et proindè meritorum; ergo non fit ex prævisis meritis, sed gratuita est. Et verò quod in Dei beneplacitum refunditur, non fit ex prævisis meritis : atqui prædestinatio ad gloriam in beneplacitum Dei refunditur : Luc. c. 12, ℣. 32 : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum;* Eph., c. 1, ℣. 3 : Deus *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ;* et ℣. 11 ejusdem : *Prædestinati secundùm propositum ejus qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Præcipuus Scripturæ textus quo nituntur prædestinationis gratuitæ defensores habetur c. 9 Ep. ad Rom., ℣. 11 : *Cùm nondùm nati fuissent* Jacob et Esau, etc., usque ad ℣. 24. Quòd Apostolus, in præfato textu, prædestinationem ad gloriam, non in prævisa merita sed in solam Dei miserentis voluntatem refundat, plura demonstrant : 1.° quidem comparatio ex duobus fratribus Jacob et Esau desumpta, ita ut minor majori, non ex operibus sed ex proposito Dei prælatus fuerit; 2.° modus quo diluit objectionem quam sibimet proposuerat his verbis ℣. 14 : *Quid ergo dicemus*, etc.; respondet enim non esse apud Deum iniquitatem, ex eo quòd elec-

tio fiat ex misericordiâ et gratiâ, quæ nulli debetur, et ex miserantis voluntate omninò pendet; 3.° comparatio figuli, qui pro arbitrio ex eâdem massâ facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; 4.° ipsamet confessio adversariorum, qui textum Apostoli interpretantur de prædestinatione gratuitâ, et à nobis non dissentiunt nisi in quantùm docent prædestinationem de quâ ibi Apostolus, non esse ad gloriam sed ad gratiam; at refelli potest ista evasio. Nempè fatemur primarium Apostoli objectum esse ut de vocatione seu prædestinatione ad gratiam fidei disserat; verùm contendimus ipsum ulteriùs, datâ occasione, progressum fuisse, ut patet ex ℣. 25, in quo sermonem instituit de vasis misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam.

Prob. 2.° *Ex SS. PP.* Ex S. Augustino, cujus auctoritas in materiâ præsenti tanta est, ut omnes eum ad se trahere velint. Quisquis autem S. Doctoris mentem de prædestinatione assequi certò voluerit, diligenter evolvat imprimìs librum ejus de Corrept. et Gratiâ, à cap. 7 usque ad finem; librum de Prædestinatione Sanctorum, de Dono Perseverantiæ, de Naturâ et Gratiâ, cap. 5, de Gratiâ Christi, cap. 3; ad Bonif., cap. 7; hìc unum S. Doctoris textum exscribere sufficiat. Libro de Corrept. et Gratiâ, cap. 7: *Quicunque ab illâ originali damnatione istâ divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quòd et procuratur eis audiendum Evangelium, et cùm audiunt credunt, et in fide quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant;* ergo prædestinatio gratuita est, cùm ipsa potiùs causa sit et fidei, et dilectionis, et perseverantiæ.

Prob.

Prob. 3.° *Rationibus theologicis.* Primam nobis suppeditat D. Thomas, quæst. 24, art. 2 : Qui vult ordinatè, vult priùs finem quàm media cum eo infallibiliter connexa : atqui Deus vult gratias efficaces et merita quæ sunt media cum fine, id est, cum glorià infallibiliter connexa; ergo priùs gloriam electis dare vult Deus quàm gratiam et merita.

Alteram sic proponunt aliqui : prædestinatio ad gloriam est mysterium, ex Scripturâ, ad Rom. c. 11, ℣. 23 : *O altitudo !* ex S. Aug. libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 8 : *Cur* Deus *istum potiùs quàm illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus :* atqui omne prædestinationis mysterium evanescit in sententiâ oppositâ; ibi enim nullum est mysterium ubi facilis et prompta suppetit ratio : atqui si prædestinatio non sit gratuita, jam facilis et prompta suppetit ratio : sic, v. g., interroganti cur Paulus fuerit electus, non verò Judas, facilis occurret responsio, ista scilicet, quòd Deus præviderit Pauli merita, Judæ autem in malo perseverantiam ; ergo, etc.

Obj. 1.° Matth. c. 25, ℣. 34 : *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi ;* et ℣. 35 : *Esurivi enim et dedistis mihi manducare ;* ergo misericordiæ opera sunt causa præparationis regni cœlorum, hoc est, prædestinationis ad gloriam.

Resp. Nego consequent. Siquidem particula causalis *enim* referri debet ad verbum *possidete*, non autem ad nomen *paratum*, ita ut sensus iste sit : possidete tanquam mercedem vestris misericordiæ operibus debitam, regnum cœlorum vobis ab æterno et gratuitò paratum.

Inst. 1.° Rom. c. 8, ℣. 29 : *Quos præscivit, et prædestinavit*, etc.; ergo præscientia meritorum prædestinationem antecedit.

Resp. Nego consequent. Nam licèt verbum *præscivit* in constructione phrasis præcedat, non sequitur quòd in rei veritate præscientia antecedat. Deindè dici potest præscientiam illam quæ ab Apostolo electioni præmittitur, non esse speculativam cognitionem sed practicam, ita ut idem significet ac dilectio, complacentia, beneplacitum, juxta phrasim in Scripturis usitatam, Matth. c. 2, ℣. 23; Joann. c. 10, ℣. 27; ergo sic reddi potest textus Apostoli : quos Deus singulari affectu dilexit, et prædestinavit; ergo, etc.

Inst. 2.° In Script. gloria sæpiùs exhibetur ut merces tribuenda meritis, Matth. c. 5; II. ad Timoth. c. 4; I. ad Corinth. c. 9; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Exhibetur ut merces tribuenda in ordine exsecutionis seu juxta decretum exsecutionis, *conc.*; in ordine seu juxta decretum intentionis, *nego*. Solutio ex dictis sequitur; nimirùm, Deus ex mero beneplacito, nullis hominum meritis impulsus, absolutè intendendo voluit certis hominibus dare gloriam; quem finem absolutè intentum certo assequi voluit modo, electis nempè conferendo gratias actuum gloriæ meritoriorum effectrices. Res illustratur exemplo divitis qui absolutè intendat pauperibus ingentem pecuniæ summam erogare, simulque pauperibus istis onera imponat pro quorum ratione pecuniam largiatur; certè intentio quam de pecuniis erogandis habuit dives ille gratuita est, quamvis in exsecutione pecunia rependatur operibus.

Inst. 3.° II. Petri c. 1, ℣. 10 : *Quapropter, fratres, satagite ut per bona opera certam vestram... electionem faciatis ;* igitur electio præsupponit opera seu merita.

Resp. Nego consequent. Vult tantùm Apostolus ut fideles per bona opera et perseverantiam in illis, aliqualem fiduciam et certitudinem moralem acquirant se esse de numero prædestinatorum.

Obj. 2.° Sic habet S. Prosper in Epist. ad S. Aug. : *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum hâc de re opinionibus, penè omnium par invenitur et una sententia, quâ prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævidit;* ergo sententia prædestinationis gratuitæ antiquis Patribus adversatur.

Resp. Nego consequent. Antiqui Patres adduci possunt ad sensum gratuitæ prædestinationis, modò dicatur ipsos cùm prædestinationem ex præscientiâ admittant, loqui de prædestinatione juxta decretum exsecutionis, vel de prædestinatione ex præscientiâ practicâ, id est, speciali dilectione.

Vix tamen diffiteri possumus quin aliqui Patres prædestinationem ex prævisis meritis fieri docuerint. Ita Origenes in cap. 1 Epist. ad Rom. : *Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores ac virtutes habituri sunt, et ita prædestinatio sequitur.* S. Amb., lib. 5 de Fide, cap. 6 : *Non antè prædestinavit* (Deus) *quàm præsciret, sed quorum merita*

præscivit, eorum præmia prædestinavit. S. Chrys. Hom. 79 aliàs 80, in cap. 25 S. Matth.: *Antequàm essetis, hæc vobis parata erant, quia sciebam vos tales esse futuros.*

Quæ ex rationibus theologicis objici solent facilè solventur, retorquendo argumentum contra efficaces gratias ad quas Deus certissimè gratuitò prædestinat.

Hìc vulgò quæritur quinam sint effectus, quænam signa, et quænam certitudo prædestinationis ad gloriam.

Ad 1.um *Resp.* Tres sunt præcipui gratuitæ prædestinationis effectus, vocatio, justificatio, et glorificatio. Constat ex Apostolo, ad Rom. c. 8: *Quos autem prædestinavit* (Deus), *hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

Ad 2.um Plura sunt prædestinationis signa, quæ ut fiduciam generent simul jungantur necesse est; hæc sunt præcipua: 1.° timorata conscientia, quæ *tanquam à facie colubri fugit peccatum*, non mortale tantùm sed etiam veniale; 2.° observatio consiliorum; 3.° patientia in adversis; *si enim compatimur*, inquit Apostolus, et *conglorificabimur*; 4.° assidua carnis mortificatio: *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis*, inquit idem Apostolus; 5.° lubens verbi divini auditio et de spiritualibus collocutio: *Oves meæ*, inquit Christus, *vocem meam audiunt; qui ex Deo est, verba Dei audit;* 6.° humilitas quæ vocatur à S. Greg., *character divinæ electionis;* 7.° singularis in Virginem Matrem pietas; 8.° pro ministris Ecclesiæ, ardens divinæ gloriæ, et quod consequens est,

animarum salutis zelus, et in Ecclesiam Christi ejusque Sacramentum effusa propensio.

Ad 3.um Nemini citra specialem revelationem certò constare potest se esse de numero prædestinatorum : Eccle. c. 9 : *Nescit homo utrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.*

Quoad numerum prædestinatorum certissimè constat ipsum exiguum esse comparatè ad numerum reproborum : *Multi sunt vocati*, inquit Christus, *pauci verò electi*, Matth. 22, ℣. 14; itaque contendamus *intrare per angustam portam*, Luc. c. 13, ℣. 24; cæterùm ne judiciorum Dei abyssos penetrando animis deficiamus, hæc verba Christi in mentem revocemus : *Regnum Dei intra vos est*, Luc. c. 17; *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret*, Joan. c. 3, ℣. 16.

Jam diximus præsentem de gratuitâ prædestinatione ad gloriam quæstionem, scholarum libertati permissam esse. Hinc non paucos reperire est catholicarum partium Theologos, qui contrariam amplectuntur sententiam, inter quos unum referre sufficiat doctrinâ et pietate insignem, S. Franciscum Salesium in Epist. ad Lessium, cujus autographum Antwerpiæ hodiedùm exstat : *Cognovi paternitatem vestram, sententiam de prædestinatione ad gloriam post prævisa merita amplecti ac tueri, quod mihi gratissimum fuit, qui nimirùm eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magìs consentaneam, veriorem et amabiliorem existimavi.*

Reverà S. Aug., lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 19, docet *neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas* gratui-

tam definiebat, *nisi errando disputare potuisse;* at loquitur ibi S. Doctor de prædestinatione adæquatè sumptâ ad gratiam scilicet et ad gloriam ; hoc verò intellecta sensu gratuitas prædestinationis ad fidem catholicam pertinet, ut jam notavimus.

§. II.

De Reprobatione.

Reprobatio definiri solet : Actus æternus quo Deus, cognitis futuris sive hominum sive Angelorum peccatis, et eorum impœnitentiâ finali, decernit eos à vitâ æternâ arcere, et æternis addicere suppliciis.

Reprobatio duplex, *negativa* et *positiva* ; *negativa* est negatio prædestinationis seu voluntatis absolutæ et efficacis dandi gloriam ; reprobatio *positiva* ipsa est exclusio à gloriâ, et deputatio suppliciis æternis.

Circa reprobationem tria solent inquiri ; 1.um, an existat; 2.um, quæ sit illius causa ; 3.um quos effectus habeat.

1. Quoad reprobationis *existentiam*, vel agitur de reprobatione *positivâ*, vel de *negativâ* : de priori constat apud omnes ipsam existere ; namque Deus ab æterno vult et statuit quidquid facit in tempore : atqui Deus in tempore omnes in peccato mortali decedentes excludit à gloriâ, et sempiternis addicit suppliciis ; ergo istud ab æterno voluit ac decrevit ; quæ quidem voluntas quosdam excludendi à gloriâ, et sempiternis addicendi suppliciis, ipsa est reprobatio *positiva*.

De *negativâ* reprobatione major difficultas

an existat; negant enim plures Theologi, ii scilicet juxta quos prædestinatio ad gloriam non fit nisi ex prævisis meritis; si enim, inquiunt, nemo absolutè eligitur ad gloriam nisi post prævisum ejus bonum gratiæ usum, nullus quoque ab eâ rejicitur nisi post prævisum gratiæ abusum, quæ rejectio tunc positiva reprobatio est; nos verò qui diximus prædestinationem esse gratuitam, consequenter fateri cogimur *negativam* existere reprobationem; Deus enim certos quosdam ad gloriam gratis prædestinando, hoc ipso quòd alios prætermittit negativè reprobat; porrò evidens est, ex dictis, duplicem illam reprobationem compati cum voluntate antecedente et conditionatâ salvandi omnes homines.

II. Quod spectat ad causas reprobationis, veteres Hæretici qui Prædestinatiani vocantur, docebant Deum prædestinare ad malum sicut ad bonum, idque antecedenter ac necessariò, ita ut perire non possint qui prædestinantur ad vitam, nec etiam possint salvari qui prædestinantur ad mortem. Errorem hunc renovavit Calvinus, lib. 3 Institut. c. 21, eumque extendit ad statum naturæ innocentis, atque ad ipsos Angelos. Sectatores hujus rigidioris sententiæ dicti sunt *Antelapsarii*; qui verò eam emollierunt asserentes reprobationem non fieri nisi consequenter ad prævisionem peccati originalis, dicti sunt *Postlapsarii*. Ad hanc Postlapsariorum doctrinam accessit Jansenius lib. 10 de Gratiâ Salvatoris.

Jam verò certum est, 1.° *Fide catholicâ*, reprobationem positivam non in solam Dei voluntatem refundi posse, sed ex præviso mor-

tali peccato fieri : id constat 1.° *ex Script.* Oseæ c. 13, ℣. 9 : *Perditio tua, Israel, tantummodò in me auxilium tuum.* Sapient. 11, ℣. 25 : *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* 2.° *Ex SS. PP.* S. Aug. lib. 3 contra Julianum, cap. 18 : *Deus potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est ; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est;* S. Prosp. Resp. ad 3 object. Vincentii : *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideò creatus est ut periret, quia alia est causa nascendi, et alia est pereundi ; ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum.* 3.° *Ex Concil. definitione.* Conc. Valentinum in quo damnatus est error Gotescalci, qui IX seculo Prædestinatianismum renovavit, sic habet, can. 3 : *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam et prædestinationem impiorum ad mortem : in electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum, in damnatione autem perditorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium.* 4.° *Ratione theologicâ.* Certè Deus summè justus nonnisi peccatorem in tempore potest mittere in gehennam ; ergo nec ab æterno nisi peccatori præviso gehennam decernere potest, quia, ut jam dictum est, Deus ab æterno statuit quidquid facturus est in tempore, et modum quo facturus est.

Nec repugnant ista Epist. ad Rom., c. 9, ℣. 11, 12 et 13, *Cùm nondùm nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus sed ex vocante dictum est ei : Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; ista, inquam, non obstant, nec positivam reprobationem in solum

Dei beneplacitum refundi posse demonstrant, 1.° quia istud, *odio habui*, intelligi potest de reprobatione tantùm negativâ ; 2.° quia per istud, *aliquid mali*, non originale, sed actuale peccatum tantummodò excluditur.

2.° Certum videtur reprobationem *negativam*, absolutè spectatam, ex præviso originali peccato fieri ; est contra Thomistas, qui docent reprobationem negativam non ex peccato originali, sed ex merâ Dei voluntate peccatum quodlibet antecedenti pendere. Hæc assertio nostra nititur auctoritate S. Aug., juxta quem prædestinatio ad gloriam omninò gratuita est, et misericordiæ plena, ut potè quòd originale peccatum supponat, ex quo sequitur reprobationem *negativam*, quæ est mera negatio gratuitæ hujus prædestinationis, etiam peccatum originale supponere, et ex ipsius prævisione fieri. Dixi *reprobationem negativam absolutè spectatam* ; nam constat ipsam comparatè spectatam, in solam Dei voluntatem refundi posse, scilicet ratio propter quam Deus hos negativè reprobat, illos verò eodem peccato originali infectos prædestinat, nulla alia dari potest præter ipsius voluntatem.

3.° Constat solum originale peccatum ante mortem non deletum, causam esse cur infantes sine Baptismo decedentes à glorià positivè excludantur.

4.° Reprobatio positiva infidelium in infidelitate suâ morientium fit ex prævisione peccati originalis, et peccatorum actualium ante mortem non deletorum.

5.° Reprobatio fidelium fit ex prævisâ eorum in peccato mortali et actuali perseverantiâ.

III. Quoad effectus reprobationis, constare videtur solam inflictionem pœnarum æternarum ex ipsâ propriè loquendo fluere, quamvis adjunctam habeat perseverantiam in malo.

Et hæc de Deo sufficiant, quem utinam ut jam novimus sic et amemus, et quidem multò magis : finis enim notitiæ Dei est Charitas.

TRACTATUS
DE RELIGIONE.

PRÆSENTIS de Religione Tractatûs quanta sit dignitas, necessitas quanta, nemo attentus qui non videat. Circa cultum Deo rependendum totus occupatur : quid sublimius ? in ipso retunduntur quæ contra Religionem impii tela contorquent : quid necessarium magìs, hocce præsertìm luctuoso tempore quo impietas in dies audacior adversùs Religionem furit ac debacchatur ? Pudeat ecclesiasticos viros minùs afferre studii ad Dei cultum stabiliendum et propugnandum, quàm conferre solent ad impietatis propagationem rerum divinarum contemptores. Discant igitur Theologiæ Alumni undè et ignaros edocere et impios redarguere possint, invictaque momenta quibus fulcitur divina Religio omni quâ valent diligentiâ perpendant ; id enim et sibi debent propriæque famæ quam negligere crimen ; et Ecclesiæ, cujus sunt ministri ; et ipsi Deo, qui suî præcones elegit illos et in suam hæreditatem assumpsit.

RELIGIONIS nomen triplici sensu accipi potest, 1.° pro virtute morali quâ ad cultum Deo exhibendum inclinamur ; 2.° pro quâdam hominum societate quæ cultum Deo exhibet ; 3.° pro complexione dogmatum et officiorum quæ ad cultum Dei legitimum pertinent. De Religione hoc posteriori sensu acceptâ hìc disseremus.

Verùm priusquàm disputationem cum incredulis aggrediamur, obiter revocanda sunt prima quibus omnis Religio nititur principia, quæque alibi probata supponimus, scilicet:

1.° Nemini fas est de omnibus dubitare; datur enim aliquid certum, existuntque regulæ quibus verum à falso, certum ab incerto, absque ullâ errandi formidine, secernatur.

2.° Existit Deus, omnium rerum creator et providus, qui non solùm ordinem physicum, sed ordinem moralem, creaturas nempè rationales, regit ac moderatur.

3.° Homo à Creatore donatus est animâ spirituali, liberâ, immortali, quæ proindè capax est quibusdam legibus obtemperandi.

4.° Bonum inter et malum morale existit essentiale discrimen, certaque datur regula bonum præscribens et malum prohibens: hæc est lex naturalis quæ in præmiis pœnisque alterius vitæ suam habet sanctionem.

His præsuppositis, hunc Tractatum in quatuor partes dividimus, quarum prima erit de Religione naturali; secunda de Religione revelatâ in genere; tertia de Religione Judaicâ; quarta tandem de Religione Christianâ.

PARS PRIMA.

DE RELIGIONE NATURALI.

Quid nomine Religionis naturalis intelligendum sit non satis accuratè fuit à quibusdam auctoribus definitum; *sunt enim qui dicunt* Religionem naturalem eam esse cujus principia solius rationis

TRACTATUS

DE RELIGIONE.

PRÆSENTIS de Religione Tractatûs quanta sit dignitas, necessitas quanta, nemo attentus qui non videat. Circa cultum Deo rependendum totus occupatur : quid sublimius ? in ipso retunduntur quæ contra Religionem impii tela contorquent : quid necessarium magìs, hocce præsertìm luctuoso tempore quo impietas in dies audacior adversùs Religionem furit ac debacchatur ? Pudeat ecclesiasticos viros minùs afferre studii ad Dei cultum stabiliendum et propugnandum, quàm conferre solent ad impietatis propagationem rerum divinarum contemptores. Discant igitur Theologiæ Alumni undè et ignaros edocere et impios redarguere possint, invictaque momenta quibus fulcitur divina Religio omni quâ valent diligentiâ perpendant; id enim et sibi debent propriæque famæ, quam negligere crimen ; et Ecclesiæ, cujus sunt ministri ; et ipsi Deo, qui suî præcones elegit illos et in suam hæreditatem assumpsit.

RELIGIONIS nomen triplici sensu accipi potest, 1.° pro virtute morali quâ ad cultum Deo exhibendum inclinamur; 2.° pro quâdam hominum societate quæ cultum Deo exhibet; 3.° pro ipsomet cultu Deo ab hominibus rependendo. Religio hoc posteriori sensu accepta, de quâ solâ hìc disseremus, aptiùs definitur, *Complexio dog-*

matum et officiorum quæ ad cultum Dei legitimum pertinent; ex quo sequitur Religionem duo hæc necessariò complecti, dogmata nempè, seu quæ sunt credenda; et officia, seu quæ agenda sunt.

Pervulgata est apud Theologos Religionis divisio in *naturalem* et *revelatam* : hæc distinctio à pluribus magni nominis Philosophis hodiè repudiatur, eo quòd opinantur hominem suæ rationi permissum, id est, revelatione destitutum, nullam veritatem, nec ipsum quidem sermonem (*le langage*) invenire potuisse : undè inferunt solam existere posse revelatam Religionem.

Verùm, quamvis admitteretur opinio ista, non ideò Religionis naturalis nomen absolutè rejiciendum censemus, modò rectè exponatur quid per illud sit intelligendum. Itaque per Religionem naturalem intelligimus *complexionem dogmatum et officiorum quæ, licèt solâ revelatione innotescere possent, ipsa ratio agnoscit in rerum naturâ fundari, liberaque à præjudiciis et cupiditatibus approbat.* Hoc sensu intellecta, Religio naturalis admittenda est. Etenim negari nequit, inter varia dogmata et officia, nonnulla esse quæ ratio ipsa percipit in naturâ et constitutione hominis originem habere, v. g., Deum colendum esse, parentes honore prosequendos, discrimen inesse inter bonum et malum, etc. ; alia verò, quæ vel ex liberâ et positivâ Dei voluntate oriuntur, vel pertinent ad ordinem superiorem, et rationis captum superant, ut mysteria. Porrò quid vetat quominùs complexio dogmatum et officiorum prioris ordinis Religio *naturalis* appelletur; com-

plexio verò officiorum positivorum vel dogmatum quæ rationi sunt impervia, dicatur Religio positiva aut *supernaturalis?* Cæterùm fatemur, quod res est, nunquàm de facto exstitisse Religionem merè naturalem, ut in decursu exponemus. Hujus ope explicationis, amicè conciliantur Theologi cum recentioribus Philosophis: Existit Religio naturalis, ratione *objecti*, quatenùs scilicet existit essentialiter Deum inter et hominem relatio immediatè fluens ex naturâ hominis; eadem Religio naturalis revelata dici potest, ratione *medii* quo primitùs homini innotuit.

His prælibatis, supponentes in præsenti, tanquam alibi probata, quæ spectant Dei existentiam, animæ libertatem et immortalitatem, discrimen essentiale bonum inter et malum morale, quibus principiis omnis innititur Religio, hunc Tractatum in duas partes dividimus, quarum prima erit de Revelatione in genere, secunda de Revelatione in specie: priùs tamen speciatim dicturi de necessitate Religionis.

CAPUT PROOEMIALE.

De Necessitate Religionis.

Religionis necessitas triplici sub respectu considerari potest, scilicet relativè ad Deum, relativè ad societatem, et relativè ad hominem privatum: hinc triplex erit hujusce capitis articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Religionis necessitate relativè ad Deum, seu *De Necessitate Cultûs divini.*

Varia officia quæ ab hominibus Deo persolvenda sunt, communi nomine appellari solent *Cultus Dei religiosus*. Deistæ quidam nullam esse Deum inter et homines relationem contendentes, nullum ei deberi cultum asserunt. Alii solum cultum internum reddendum existimant, eum scilicet qui in animæ cogitationibus et affectibus consistit, non verò externum, multò minùs publicum et solemnem. Errores illi duplici conclusione refellentur.

CONCLUSIO PRIMA.

Deo debetur Cultus internus.

Prob. 1.° Ille cultus Deo debetur, quem ipsi vindicant attributorum divinorum excellentia, et hominis natura : atqui cultum internum Deo vindicant attributorum divinorum, etc.

1.° Quidem attributorum divinorum excellentia : Deus enim est Ens supremum et omnium creator, omnipotens, bonorum omnium auctor, et summè perfectum : atqui dictat ratio naturalis, eum pronis animi sensibus adorandum, qui supremum in nos habet dominium ; ipsi obsequendum, qui omnipotenti voluntate cuncta regit et moderatur ; eum præ omnibus diligendum, qui omnes perfectiones in se com-

plectitur ; eum orandum, à quo omnia quibus indigemus bona profluunt ; ei deniquè grates rependendas, cujus beneficentia existentiam bonaque innumera in nos contulit : jam verò in his animi sensibus præcipuè situs est cultus internus ; ergo, 1.°, etc.

2.° Deo cultum internum vindicat hominis natura : Deus namque condendo hominem, mentem quibusdam facultatibus, intellectu nempè, voluntate et libertate donavit, ut eas in suum auctorem velut in suum ultimum finem refunderet ; ipse enim, ut potè sapientissimus, nullum sui operis finem seipso nobiliorem sibi proponere potuit : porrò non aliter potest homo quas accepit à Deo facultates ad ipsum tanquam ad suum finem ultimum referre, quàm eum interiùs colendo, intellectu scilicet, Deum ut summam veritatem agnoscendo et contemplando ; voluntate, ipsum ut summum bonum diligendo ; libertate, ipsi obsequendo et tanquam suæ felicitati adhærendo ; ergo 2.°, etc. ; aliundè, etc. ; ergo, etc.

Argumentum istud sic proponit *Fénélon : Dieu se doit tout, il se rend tout ; tout vient de lui, il faut que tout retourne à lui, autrement l'ordre serait violé..... S'il agissait sans aucune fin, il agirait d'une façon aveugle, insensée, où sa sagesse n'aurait aucune part. S'il agissait pour une fin moins haute que lui, il rabaisserait son action au-dessous de celle de tout homme vertueux qui agit pour l'Etre suprême : ce serait le comble de l'absurdité. Concluons donc, sans crainte de nous tromper, que Dieu fait tout pour lui-même. Cet Être suprême, que nous nommons Dieu, ne peut avoir créé les êtres*

intelligens, qu'en voulant que ces êtres emploient leur intelligence à le connaître et à l'admirer, et leur volonté à l'aimer et à lui obéir... Il faut qu'en les créant il se propose pour fin de se faire connaître comme vérité infinie, et de se faire aimer comme bonté universelle. Lettre 2, sur le Culte de Dieu, pag. 332, tom. 1, edit. Versal. Vide etiam Lett. 3, sur le Culte intérieur, pag. 368.

Prob. 2.° *Ex consensu omnium populorum.* Nulla enim unquàm exstitit gens adeò rudis et fera, quæ Deum quem agnoscebat, non coleret : *Sua*, inquit Cicero, *cuique civitati Religio est; Deum quippe natura venerari novit, nec quisquam est homo, qui lege quæ hoc præcipiat, careat* (Orat. pro Flacco). Atqui unanimis ille populorum consensus circa cultûs divini necessitatem, naturæ vox est concordissima ; neque enim à præjudiciis aut cupiditatibus originem habuit. Non quidem à præjudiciis : ea quippe nec universalia, nec perpetua esse possunt ; neque etiam à cupiditatibus : nedùm enim cupiditatibus faveat, ipsis è contrà multùm adversatur. Idcircò quotquot exstitêre Legislatores sapientissimi, nihil magis curârunt, quàm ut innati Religionis sensus in civium animis nutrirentur, rati scilicet nullum efficacius esse frenum ad homines suis in officiis continendos ; ergo, etc.

Obj. 1.° Ille cultus Deo non debetur, quem Deus non exigit : atqui Deus cultum internum non exigit. Si enim Deus illum exigeret, vel propter suam gloriam essentialem, vel propter suam gloriam accidentalem : atqui neutrum dici potest : non 1.^{um}, gloria enim Dei essen-

tialis, quæ in summâ ejus perfectione sibi cognitâ sita est, nec augeri nec minui potest; non 2.um, de gloriâ quippe accidentali, quæ ex manifestatione suarum perfectionum oritur, minimè curat Deus; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego min.* Ille enim ab homine cultum internum exigit, qui eo fine facultates illi concessit, ut ad suum cultum eas referret: atqui, ex probatis, Deus eo fine homini facultates concessit, ut, etc.

Resp. 2.° Ad probationem, *Nego min. quoad utramque partem.* Itaque vox illa, *propter*, est æquivoca; modò enim motivum et rationem alicujus actionis indicat, modò finem obtinendum significat: porrò Deus ab homine cultum exigit primò propter gloriam suam essentialem, non quidem eo sensu quòd summa ipsius perfectio sit *finis* quem ex humano cultu sibi procurare intendit, cùm summa Dei perfectio sit ipsi essentialis; sed eo duntaxat sensu quòd illa summa Dei perfectio sit *ratio* et *motivum* cur Deus velit ab homine sibi cultum exhiberi; ideò enim Deus exigit adorationem, quia supremus est omnium Dominus; amorem, quia est summè bonus et perfectus, etc., ut in probationibus dictum est. Secundò Deus etiam cultum ab homine exigit propter gloriam suam accidentalem; nam etsi gloriâ illâ accidentali, quæ consistit in manifestatione suarum perfectionum, Deus minimè indigeat, cùm ad ipsius felicitatem et perfectionem intrinsecam nihil conferat, illam tamen ab homine exigit, imò et non potest non exigere; Deus enim, ut potè sapientissimus et suî amantissimus, eo fine hominem facultatibus donavit, ut ad se suamque gloriam referret, ut jam diximus.

Inst. Deus certè non exigit cultum seipso indignum : atqui cultus humanus est Deo indignus, cùm sit finitus et ex omni parte limitatus ; ergo, etc.

Resp. Nego min. Illud enim Deo indignum non est, quod est conforme ordini essentiali, quem Deus necessariò diligit, cùm sit ipse suprema ratio ordoque substantialis : atqui cultus hominis erga Deum conformis est, etc. ; ordo enim postulat ut creatura intellectu et voluntate donata, Deum summam veritatem cognoscat, et summum bonum diligat, ut modò dictum est.

Ad probationem min. resp. Deus bonum quodlibet, quantumvis finitum, necessariò diligere tenetur, cùm ab ipso, tanquam à suo fonte, bona omnia procedant ; ergo Deus diligere debet cultum hominis, etsi bonitatem finitam habeat : porrò Deo indignum non est id ab homine exigere, quod necessariò diligere tenetur.

Prætereà, suppositâ veritate Christianæ Religionis in decursu demonstrandâ, cultus quem Deo exhibemus, dici potest aliquo sensu infinitus ; quippe nomine ipsius personæ Christi, Dei et hominis, cultum nostrum, orationes scilicet, adorationem, gratiarum actiones, etc., Deo rependimus.

Obj. 2.° cum Pseudophilosopho Genevensi : Saltem Deum orare non debemus ; quod enim à Deo postularemus, pertinet vel ad ordinem physicum, vel moralem : atqui neutrius generis bona precari debemus. 1.° Quidem, non bona physica, cùm sine miraculo concedi nequeant, et temerarium sit à Deo miraculum

in nostrî gratiam postulare. 2.° Neque etiam bona moralia à Deo petere debemus, nempè emendationem voluntatis, et benè agendi potestatem; namque ea sunt bona quæ à nobis Deus exigit, nedùm ab ipso illa petere debeamus; ergo, etc.

Resp. 1.° Hæc objectio refellitur omnium populorum consensu, cùm nulla unquàm gens fuerit, quæ Deum precibus moveri non crediderit. Repugnat sensui innato, etiam Deistarum; nemo enim est qui in ærumnis, in periculis, hæc verba vel similia in ore non habeat, *Mi Deus! Bone Deus!* quod energicè Tertullianus appellat, *testimonium animæ naturaliter Christianæ.*

Resp. 2.° *Nego min. quoad utramque partem.* 1. *Quoad primam.* Hæc Genevensis Philosophi assertio, ut notant Doctores Parisienses, in Emilii Censurâ, est *indigna viro philosopho, cui turpe est nescire à Deo, in rerum universitate, morale et physicum ita esse composita et connexa, ut, citra omne miraculum, possit summus provisor exaudire preces convenienter ad se directas.* Ad hoc sufficit ut Deus summè intelligens, et rerum omnium provisor, bonum physicum quod ab ipso petimus, v. g., pluviâ segetes irrigari, pendere voluerit à precibus hominum, quas certè prævidit: quo posito, quandò precamur, ponimus causam ob quam Deus voluit tale bonum nobis concedi.

Prætereà, quamvis Deus legibus generalibus mundum administret, non ideò sibi ademit facultatem aliquid in quibusdam circumstantiis speciali voluntate decernendi, quin perturbentur

leges generales : sic, ut convalescat ægrotus qui sanitatem à Deo precatur, satis est ut Deus medico suggerat remedium aptius ad morbum naturaliter depellendum.

Nec temerarius foret, ut additur in objectione, qui debitâ cum submissione miraculum humiliter postularet ; quàm plurima enim exempla demonstrant, Deum non semel hujusmodi precibus annuisse.

2. *Quoad secundam partem ;* quamvis homo aliquam habeat facultatem bonum morale peragendi, tamen cùm de facto constet illum magnâ infirmitate in bono operando laborare, cur fragilitatis suæ conscius, ad Deum omnis boni fontem non recurreret, ut peccandi pericula à se removeat, tenebras sui intellectûs depellat, et pravas suæ voluntatis propensiones emendet, eamque in melius convertat ? licèt enim conversio illa opus nostrum sit, est etiam opus Dei, seu gratiæ divinæ. Cæterùm, rem ita se habere docet christiana revelatio, quam divinam esse deinceps conficiemus.

CONCLUSIO II.

Præter Cultum internum, necessarius est Cultus exterior et solemnis.

Duæ sunt conclusionis partes.

1.ª *Pars de cultu externo, prob.* 1.° Ex modò dictis, Deo debetur cultus internus ; ergo etiam et externus. Nam ita à naturâ comparati sumus, ut sensus quibus vividè commovemur, exteriùs prodeant necesse est, atque in ore, oculis, vultu, totiusque corporis habitu, exprimantur ; igitur fieri nequit ut Deum sincerè et toto corde

colamus, quin sensus reverentiæ, amoris, gratitudinis quibus erga eum afficimur, signis exterioribus manifestemus : atqui in hoc situs est cultus externus ; ergo, etc.

2.° Si tenemur interiùs Deum colere, tenemur etiam adhibere medium necessarium ad perseverandum in cultu interno : atqui cultus externus est medium, etc. ; experientiâ enim constat eam esse hominis naturam, ut externis quibusdam signis et adminiculis, veluti totidem incitamentis indigeat, quæ pios erga Deum affectus suscitent et foveant, alioqui sensim languescerent et extinguerentur.

3.° Cultus publicus necessarius est, ut mox probabimus, ergo et cultus externus.

2.ª *Pars de cultu publico, probatur.* 1.° Ille cultus necessarius est, quem exigit natura et bonum societatis : atqui et natura et bonum societatis cultum publicum postulant.

1.° Natura societatis. Etenim omnis civitas aut societas politica, quamdam personam moralem constituit, quæ propriis erga Deum obligatur officiis ; Deus quippe multa confert bona hominibus in societatem coadunatis, quæ extra societatem locum non haberent, ut victoriæ reportatio, belli cessatio, Principis incolumitas, vitæ securitas, etc. ; pariter et multa mala sunt societati propria, quæque avertere potest Deus optimus et maximus ; ergo sicut, ex dictis, quisque privatus tenetur pro bonis à Deo acceptis ipsi grates referre, eumque diligere, et pro malis avertendis deprecari ; eodem officio tenetur et ipsa societas.

2.° Cultum publicum etiam exigit bonum societatis. Namque 1. nullum est Religione

aptius et firmius vinculum ad homines secum conjungendos ; testantur enim omnium populorum annales, cultu religioso homines ad societatem ineundam adductos fuisse, cùm ipsa Religio fuerit primorum conventuum occasio. 2. Cultus publicus est quasi philosophia sensibilis, omnium captui accommodata, quæ Religionis dogmata et officia in mentem revocat, maximèque ad mores publicos in populorum animis fovendos inservit ; quippe docet experientia longè maximam hominum partem nulla Religionis documenta, nulla morum præcepta habere, nisi in publicis erudiantur cœtibus, et solemnibus ritibus in eorum mente religiosi sensus excitentur ; ubi enim ii ritus abrogantur aut diù intermittuntur, citò necesse est indoctam plebem, rusticos, artifices, in maximam tum naturæ, tum societatis officiorum ignorantiam incidere.

N'est-il pas évident, inquit *Fénélon*, *que les hommes attachés aux sens, et dont la raison est faible, ont encore plus de besoin d'un spectacle pour imprimer en eux le respect d'une majesté invisible et contraire à toutes leurs passions, que pour leur faire respecter une majesté visible qui éblouit leurs faibles yeux, et qui flatte leurs passions grossières ? On sent la nécessité du spectacle d'une cour pour un Roi, et on ne veut pas reconnaître la nécessité infiniment plus grande d'une pompe pour le culte divin. C'est ne connaître pas les besoins des hommes.*

Prob. 2.° *Ex unanimi omnium populorum consensu*, quem testantur omnia historiæ monumenta : *Peregrinantibus*, ait Plutarchus, *multas contingit occurrere urbes sine auri et argenti usu*,

quibus ignota sunt theatra et gymnasticæ exercitationes; quin etiam nullæ sint domus aut tuguria. Nusquàm autem stat urbs aut oppidum, quibus nullus sit Deus, qui scilicet publicè colatur, cùm id peregrinantibus sit obvium.

Obj. 1.° *contra* 1.am *conclusionis partem.* Cultus externus est expressio cultûs interni : atqui necessaria non est ejusmodi expressio, *Deus* enim *cor intuetur;* ergo, etc.

Résp. Nego min. Necessaria enim est cultûs interni manifestatio, non quidem ut cordis intima Deo pateant, sed propter rationes in probationibus allatas, scilicet, tum quia cultus exterior ab interno, si verus et sincerus sit, non potest non prodire; tum quia sine cultu externo, cultus internus sensìm languesceret et extingueretur.

Obj. 2.° Ex cultu externo multæ ortæ sunt superstitiones, quæ cultum internum deformârunt; ergo cultus externus, nedùm necessarius sit, est è contrà rejiciendus.

Resp. 1.° Si omnis, quantumvìs utilis, rejicienda sit institutio, ex eo quòd eâ homines abusi fuerint, nulla erit retinenda, quod absurdum est. 2.° Omnes quidem religiosi cultus, si Judaicum, quandiù integer servatus est, excipias, variis superstitionibus polluti fuêre; at in causâ sunt, non præcisè cultus externus, sed solæ hominum cupiditates, quæ, etsi nullus fuisset cultus externus, non minùs grassatæ fuissent.

Obj. 3.° Homo ex solâ ratione non potest cognoscere quisnam cultus Deo placere possit; ergo ex solâ ratione probari nequit cultûs externi necessitas.

Resp. Dist. ant. Homo ex solâ ratione non potest cognoscere in particulari quisnam cultus exterior præ aliis magìs Deo placere possit, *conc.*; cognoscere non potest in genere cultum aliquem Deo deberi, *nego*. Itaque homo, solâ ratione duce, cognoscere non valet quibus præcisè ritibus et cæremoniis coli velit Deus ab hominibus, cùm id dignosci nequeat nisi per revelationem. Sed sola ratio naturalis nos edocet, ut probavimus, aliquem generatìm cultum externum Deo exhibendum esse, per signa nempè quæ nihil indecorum, nihil Deo indignum habeant. Cæterùm, quisque ita debet esse mente dispositus, ut statìm atque noverit aliquem specialem cultum Deo placere, illum docilis amplectatur.

SCHOLIUM.

Inter varios ritus quibus Deus colendus est, præcipuum locum obtinet Sacrificium, quo recognoscimus supremum illius in nos et in omnes creaturas dominium, per destructionem vel immutationem rei oblatæ. Porrò, etsi sacrificium olim fuerit et etiamnùm sit necessarium, propter institutionem divinitùs factam, quam ex revelatione didicimus, ex solâ tamen ratione probari non posse videtur illius *absoluta* necessitas. Deo quidem omni tempore à creaturis rependi debuit adoratio, seu testificatio ìpsius supremi dominii; sed sacrificium non est unicum medium Deum exteriùs adorandi, cùm per verba, aliaque signa externa, illud officium Deo ab homine præstari sufficienter possit, saltem quantùm exigit naturalis rationis dictamen. Quòd si in sacrificiis supremo Numini offerendis consenserint populi omnes, id ortum ha-

buit, non à naturâ, sed potiùs à communi et primævâ traditione, quæ apud omnes, licèt cupiditatibus corrupta, constanter perseveravit. Hinc non satis efficacia videntur argumenta quæ ex altaribus, sacrificiis, etc., apud gentes institutis adducuntur, ad probandam, ex *solâ ratione*, cultûs externi et publici necessitatem.

COROLLARIUM.

Ergo immeritò contendunt Increduli Religionem fuisse Legislatorum inventum.

Siquidem, ex dictis, Religio in naturâ Dei, hominis et societatis fundatur; ergo nonnisi absurdè hominum inventioni adscriberetur.

Et verò, hæc incredulorum assertio evidenter repugnat, tum auctoritati, tum rationi. 1.° Quidem repugnat auctoritati, seu monumentis historicis : dicant enim increduli quinam fuerint legislatores qui cultum religiosum excogitârunt, quisnam sit populus in quo deprehendatur Religionis initium. Id certè nunquàm præstare poterunt; in omnium quippe populorum historiis, et jam ab ipso initio, cultum aliquem religiosum constitutum reperies. Hinc *Warburton : Si l'on jette seulement les yeux sur l'antiquité grecque, romaine ou barbare, il est évidemment démontré que jamais aucun législateur n'a entrepris de policer une nation, quelque barbare et féroce qu'elle fût, qu'il n'y ait trouvé une Religion. L'imperfection de ces Religions est une preuve qu'ils les trouvèrent déjà établies, et qu'ils n'en furent pas les inventeurs.* Dissertations sur l'union de la Religion, de la Morale et de la Politique, *Dissert.* 13. 2.° Repugnat

rationi: namque 1. si Religio merum sit legislatorum inventum, quomodò potuit fieri ut apud omnes populos obtinuerit? error enim, præsertìm cùm cupiditatibus adversatur, non apud omnes invenitur et perseverat; *quippe*, inquit Tullius, *opinionum commenta delet dies, naturæ verò judicia confirmat.* Et verò, apud varios populos, variæ leges, diversæ legislationis formæ deprehenduntur, dùm ubique occurrunt iidem præcipui ritus religiosi, eademque præcipua Religionis dogmata: porrò hæc præcipuorum rituum et dogmatum uniformitas, inter tot populorum institutiones adeò diversas, excludit certè humanum figmentum; error enim arbitrarius est: hinc variæ Religiones sibi opponuntur in erroribus quos veris dogmatibus admiscuerunt; ergo fieri nequit ut eadem dogmata constanti et universali consensu admiserint, nisi vera sint, et ab ipsâ naturâ, vel à communi et primævâ traditione recepta. 2. Religionis sensus adeò sunt homini insiti et innati, ut, teste experientiâ, nemo, nisi invitus et reluctans, possit eos penitùs à mente excludere: at quâ arte, quæso, legislatores humani sensum hunc Religionis universalem et invincibilem omnium hominum animis inserere potuerunt? ergo, etc. Vide D. *de La Mennais*, in eximio opere cui titulus, *Essai sur l'Indifférence en matière de Religion*, cap. 3.

ARTICULUS II.

De necessitate Religionis relativè ad hominem privatum.

Non defuêre Deistæ qui Deum ut sævum nu-

men sibi fingentes, affirmare non dubitaverint Religionem esse hominis felicitati adversam : inter alios, auctor libri cui titulus, *Le bon Sens;* contra quos sit

CONCLUSIO.

Religio homini privatim spectato necessaria est.

Prob. Illud homini necessarium dici debet, quod solum veram ipsi præstare potest felicitatem : atqui Religio, et quidem sola, veram homini, etc. *Major* est evidens : homo enim, ut quisque experitur, naturali et ineluctabili propensione felicitatem appetit : porrò repugnat illusoriam et deceptricem propensionem à Deo, naturæ auctore, menti humanæ insitam fuisse, ut evidens est.

Prob. itaque *minor*, quæ duplici parte constat. Verùm de primâ parte, nempè quòd Religio veram præstare possit homini felicitatem, nulla est difficultas; in eo quippe sita est hominis felicitas, ut expleantur et rectè inter se ordinentur ipsius facultates : atqui Religio id omne præstat quod necessarium est ut expleantur, etc.; Deum enim hominis intellectui exhibet tanquam summam veritatem, voluntati tanquam summum bonum, libertati tanquam malorum suppliciis æternis vindicem, et bonorum perpetuâ felicitate remuneratorem; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars min.* scilicet quòd *sola Religio veram homini præstare*, etc. Etenim vel sola Religio veram homini præstare potest felicitatem, vel philosophia, ad sensum Deistarum intellecta : atqui posterius dici nequit. Felicitas enim hominis, ut jam notavimus, duo exigit,

1.° ut ipsius facultates expleantur, 2.° ut rectè ordinentur : atqui neutrum præstare potest philosophia. Non primum quidem : 1. philosophia explere nequit hominis intellectum ; siquidem, ex ipsâ Deistarum confessione, nihil menti proponunt Pseudophilosophi, nisi principia vana, obscura, dubia, incerta et erronea, ita ut tam verè quàm lepidè dixerit *Rousseau*, Emilii tom. 3 : *Si vous pesez leurs raisons, ils n'en ont que pour détruire ; si vous comptez leurs voix, chacun est réduit à la sienne ; ils ne s'accordent que pour disputer.* Hinc scepticismus, hinc effrenata quodlibet sentiendi et dicendi licentia. 2. Nequit Philosophia explere hominis voluntatem ; tolle enim Religionem, homo in seipso velut in objecto excellentiori suam quærit felicitatem : porrò quid boni in se deprehendet ? an suî propriam excellentiam ? sed homo paulisper suî studiosus nihil in se perspicit, nisi permultas imperfectiones et miserias quasi numero infinitas, quibus invitus cogitur suam indigentiam confiteri, et seipsum contemnere ; et quantumvis dignitate, honoribus, scientiâ, opibus, cæteris præcellat, suæ semper indigentiæ conscius, exclamabit cum Romano Imperatore : *Omnia fui, et nihil expedit.* An voluptates ? sed hominem infra brutum animal deprimunt, mentem obcæcant, omnes animæ facultates inficiunt et depravant, ut nemo probus diffitebitur ; ergo philosophia voluntatem explere nequit ; aliundè nec intellectum ; ergo 1.° philosophia insufficiens est ad explendas hominis facultates.

2.° Nec potest philosophia hominis facultates inter se ordinare. Duo enim ad hoc require-

rentur, 1. ut certas præscriberet morum regulas, quarum ope homo inordinatas cupiditates posset moderari ; 2. ut illæ morum regulæ sufficienti sanctione munirentur : atqui neutrum efficere potest philosophia. Non primum : nullam enim aliam morum regulam tradit, nisi *propriæ utilitati consulendum esse :* sed quanta hinc sceleribus et flagitiis panditur via. Nec secundum : unica enim morum sanctio quam proferre valet philosophia, est nihilum : at quale solatium, qualis merces homini justo qui ad coercendas cupiditates et virtutem excolendam, in ærumnis, inopiâ et dolore vitam consumpserit.

Prætereà, quantumvis Philosophi sibi persuadere conentur, nihil post mortem præter nihilum exspectandum fore, non *ita certa est* tristis hæc annihilationis spes, ut omne penitùs excludat de futurâ vitâ dubium, quo non semel, instante morte, valdè torqueri Philosophos indubia facta testantur. Hinc Philosophos sic compellat semper sibi parùm constans Civis ipse Genevensis, Emilii tom. 3 : *Philosophe, tes lois morales sont fort belles, mais montre-m'en de grâce la sanction : cesse un peu de battre la campagne, et dis-moi nettement ce que tu mets à la place du Poul-serrho,* quod est ultimum Judicium in Religione Persarum. Ergo nullam sanctionem præbet philosophia ; aliundè nec certam morum regulam ; ergo, etc. Lege c. 9 operis D. *de La Mennais*, jam citati.

Obj. Gloriæ et honoris cupido, proprium commodum, præclaræ cognitiones, quæ, maximè hocce seculo, undequaque elucent, motiva præbent sufficientia quibus homines ad im-

plenda præcepta moralia impellantur ; ergo ad id minimè necessaria est Religio.

Resp. 1.° generatìm : *Nego ant.* Etenim hæc motiva homines impellere non valent ad actus internos virtutis, in quibus tamen sita est sincera morum probitas.

Resp. 2.° ad singula. *Quoad* 1.^um^ Multos reperias, quos non tangit gloriæ et honoris cupido; maxima enim hominum pars de sui nominis immortalitate parùm curat, ubi præsertìm de explendis cupiditatibus, et de commodo hìc et nunc percipiendo agitur. Prætereà, innumera sunt officia quotidiana et communia secretò peragenda, ad quæ proindè impellere nequit gloriæ et honoris cupido.

Ad 2.^um^ Falsum est, ut supponit objectio, proprium commodum sufficiens esse virtutis incitamentum. Sæpè sæpiùs evenit ut hominum justorum opera probro afficiantur, dùm è contrà improborum facinora laude et honoribus extolluntur. Deindè, si agatur, quod non rarò accidit, de opibus comparandis, vel de maximo damno avertendo facili injustitiâ quæ nunquàm in notitiam hominum deventura existimetur, nonne evidens est quòd, in illâ hypothesi, spes temporalis commodi potiùs vitii quàm virtutis erit incitamentum ?

Ad 3.^um^ Nullum fortè unquàm fuit tempus quo morales cognitiones minùs excultæ fuerint : profecerunt quidem, et quotidiè proficiunt scientiæ physicæ et mechanicæ artes ; sed quid absque Religione ad rectam morum institutionem conferre possunt cognitiones hujusmodi ? nempè nova subministrant media ut mores publici faciliùs corrumpantur, ut expe-

rientiâ constat. Ergo motiva allata, ad moralia præcepta implenda, non sufficiunt : et hinc notum illud *Montesquieu* effatum : *Une Religion, même fausse, est le plus sûr garant de la vertu des hommes.*

ARTICULUS III.

De necessitate Religionis relativè ad societatem.

Contendit Hobbius, quem sequuntur auctor Systematis Naturæ, Raynaldus, etc., Religionem, nedùm sit societati necessaria, ipsi è contrà valdè nocere ; imò eò usque progressus est Baylius, ut asserere non dubitaverit societatem ex veris Christianis conflatam, subsistere non posse. Contra quos omnes, sit

CONCLUSIO.

Religio societati necessaria est.

Prob. Etenim Religionem necessariam esse societati, probat auctoritas, confirmat experientia, ratio demonstrat.

1.° Probat *auctoritas.* Id enim agnoverunt omnium gentium Legislatores, Philosophi omnes, tum veteres, tum recentiores, et Sapientes omnium seculorum : Solo apud Athenienses, apud Spartiatas Lycurgus, Zaleucus apud Locrenses, Numa apud Romanos, Plato, Cicero, etc. Plutarchum audire juvat : *Facilius urbem condi sine solo posse puto, quàm, opinione de diis penitùs sublatâ, civitatem coire aut constare,* contra Colotem, pag. 1125.

2.° Illud confirmat *experientia.* Quotidiana

enim et luctuosa experientia comprobat, eò frequentiora esse in societate facinora, quò debiliores fiunt in civium mentibus sensus Religionis : quid ergo, si apud omnes omninò extinguerentur ? Argumentum plus æquo convincens subministrat recentiorum temporum experientia.

3.° Illud etiam *ratio* demonstrat. Id enim societati necessarium est, quo sublato, ruunt mores, leges, Principum auctoritas, jus gentium, quæ totidem sunt societatis fundamenta: atqui, sublatâ Religione, etc. 1. Ruunt mores, cùm præter Religionem nulla certa morum regula, nullaque sanctio assignari possit, ut jam probavimus. 2. Ruunt leges ; notum est enim Poetæ et omnium Sapientûm effatum : *Quid sine moribus leges proficiunt ?* Et verò, sepositâ Religione, leges vim obligandi mutuarentur, vel à vi physicâ, vel à totius *populi voluntate generali*, cujus sunt *expressio*, ut volunt Philosophi : si prius, tunc ab iis solis leges constituentur, qui faciliùs alios opprimere poterunt ; et hinc leges injustæ, tyrannicæ, moribus etiam sæpiùs adversæ : porrò quot et quanta mala ex iis legibus in societatem emergerent ! Posterius verò merum est figmentum ; in hâc enim hypothesi, nec ulla erit lex, nec esse poterit, cùm nulla fingi possit quæ multorum commodis et utilitati non adversetur, quæ proindè censeri debeat illorum voluntatis expressio. 3.° Ruit Principum auctoritas. Etenim si à Principe detrahas potestatem quam à Deo accepisse sola Religio nos edocet, jam subditi in Principe *nisi merum* agnoscunt hominem, cæteris omninò æqualem;

tota ergo ipsius auctoritas pendet à vi physicâ : atqui, hoc posito, nulla erit illius auctoritas, vel erit necessariò oppressiva. Namque si penes solam vim physicam resideat imperandi potestas, nulla ratio est cur unus potiùs quàm alter gerat imperium ; quisque igitur, si valet, dominationem affectabit ; atque hinc discordiæ et pugnæ Principem inter et subditos : si viribus præstet populus, nulla erit Principis auctoritas ; vel erit necessariò oppressiva, si populo prævaleat Princeps, rebellioni in posterum precavendæ invigilans. Et in his certè non vana conjicimus ; tales enim esse doctrinæ Pseudophilosophorum effectus, satis superque demonstrat historia populorum apud quos obtinuit incredulitas. 4.° Ruit jus gentium. Nam semotâ Religione, jam nullus supremus omnium gentium dominator agnoscendus est qui omnibus gentibus leges præscribat, et cujus supremâ auctoritate jura et fœdera populorum firmentur ; ergo nullum superest societatis universalis vinculum ; ergo unaquæque societas nihil nisi propriam quæret utilitatem : hinc jus belli nihil erit aliud quàm jus infirmiores gentes per fas et nefas opprimendi ; hinc fœdera violata et perpetua gentium odia et conflictationes. Porrò hæc principia totius societatis esse subversiva, nemo est qui non videat ; et hìc etiam experientia rationi suffragatur. Vide opus D. *de La Mennais*, jam citatum, cap. 10.

Meritò igitur Pseudophilosophos sic deridet Civis Genevensis : *Fuyez ceux qui, sous prétexte d'expliquer la nature, sèment dans le cœur des hommes de désolantes doctrines..... Jamais, disent-ils, la vérité n'est nuisible aux hommes ;*

je le crois comme eux, et c'est, à mon avis, une grande preuve que ce qu'ils enseignent n'est pas la vérité, Emilii tom. 3.

COROLLARIUM.

Ergo falsum est quorumdam Philosophorum effatum, nempè Religionem nonnisi plebi necessariam esse.

Prob. Ex dictis, Religio est societati necessaria : atqui societas non solùm ex plebe constat, sed præcipuè ex iis qui vel opibus, vel dignitate, vel ingenio in societate præcellunt, quibus eò magis necessaria est Religio, quò magis freno indigent ut suis in officiis se contineant. Et verò, hoc effato maximi sceleris convincuntur Pseudophilosophi quos hìc impugnamus ; agnoscunt enim Religionem esse plebi necessariam, et tamen nihil intentatum, verba, scripta, exempla, relinquunt, ut è mentibus hominum Religionis sensus evellant. Præterea, hoc effatum manifestè tendit ad totius Religionis et societatis subversionem ; si enim illud valeat, nonnisi plebi Religionem necessariam esse, quis velit plebi accenseri ? *Le peuple aussi,* inquit illustrissimus Religionis Defensor, D. D. Episcopus Hermopolitanus, *le peuple aussi a son orgueil et sa dignité à sa manière ; s'il s'aperçoit qu'on lui renvoie la Religion comme une chose méprisable, il la méprisera. La Religion n'est rien pour celui qui n'y croit pas ; elle n'a d'empire sur le cœur que par la croyance de l'esprit : qu'importent en effet ses promesses ou ses menaces, à ceux qui n'y voient que les chimères d'une imagination abusée ?*

abusée ? Et comment voulez-vous que le peuple ne cesse pas d'y croire, s'il remarque qu'elle est un objet de dérision pour ceux que leur naissance, leurs lumières, leurs emplois élèvent au-dessus de lui ? Le peuple est naturellement imitateur : l'impiété descendra du riche au pauvre, du savant à l'ignorant, du magistrat au villageois ; elle deviendra populaire : et un peuple sans Religion, sera un peuple toujours, tenté de briser le joug des lois, de renverser toutes les institutions sociales, de s'égaler à ceux qui seront placés sur sa tête ; et toujours, au premier signal des factieux, on le verra se porter à tous les excès, abuser de sa force pour tout détruire, dévorer les puissances avec leurs titres, les riches avec leurs domaines, jusqu'à ce qu'enfin il se dévore lui-même dans ses propres fureurs ; car voilà tôt ou tard l'inévitable effet du mépris des premières classes de la société pour la Religion. Et puis, qu'elles viennent nous dire qu'il faut laisser la Religion au peuple. Défense du Christianisme, tom. 2, in 12, pag. 68, 2.me édit.

PARS PRIMA.

DE RELIGIONE REVELATA IN GENERE.

REVELATIO, prout hìc sumitur, rectè definiri potest, *Externa manifestatio à Deo facta dogmatum quæ homo credere tenetur, et officiorum quæ implere debet.* Undè complexio dogmatum ac præceptorum quæ hâc viâ innotescunt, *Religio revelata* appellatur.

Quæ spectant revelationem generatim consideratam, quatuor capitibus complectemur : agemus in 1.° de revelationis possibilitate, in 2.° de ipsius necessitate ; in 3.° de revelationis inquisitione ; in 4.° tandem, de notis seu characteribus quibus revelatio certò innotescere potest.

CAPUT PRIMUM.

De Possibilitate Revelationis.

Revelationis possibilitatem triplici ex capite impugnant Deistæ : 1.° *in se ;* negant enim nonnulli Deum homines alloqui posse. 2.° *Quoad modum*, multi docent, duce Cive Genevensi, lib. cui titulus, *Emile*, revelationem, si fiat, unicuique homini immediatè et æqualiter fieri debere, ita ut non possit Deus aliorum hominum ministerio, Religionem homines edocere. 3.° *Quoad objectum ;* ferè quippe omnes Deistæ, cum eodem *Rousseau*, contendunt Deum non posse veritates supra rationis captum positas, seu mysteria hominibus revelare ; nec nova præcepta legi naturali superaddere : ita *Tindall* Anglus, in libro, *Le Christianisme aussi ancien que le monde ;* Abbas *de Prades*, Baccalaureus Parisiensis, in famosâ Thesi, anno 1751. Contra quos omnes statuemus sequentes conclusiones.

CONCLUSIO PRIMA.

Deus homines alloqui potest.

Prob. 1.° *Ratione.* Etenim duplici modo id

fieri supponitur, *interiùs* nempè et *exteriùs:* atqui utrumque Deo est possibile. Et 1.um quidem : namque per locutionem internam nihil aliud intelligimus, quàm cogitationis significationem seu manifestationem : atqui potest Deus interiùs, et sine verborum strepitu, suas cogitationes hominibus manifestare, ita nempè eorum mentem illustrando, ut certo certiùs credant Deum talem vel talem cogitationem eis significare voluisse. 2.um Etiam non minùs possibile est : quis enim Deo denegare ausit potestatem per sonum verborum homines alloquendi, cùm ad hoc illi sufficiat aeris particulas ita movere, ut claras voces efficiat, sicut in rubo ardenti cum Moyse, et in monte Sinâ cum Judæis actum esse credimus.

Prob. 2.° *Ex consensu omnium populorum.* Philosophis enim et Legislatoribus, imò et populis qui hucusque exstiterunt, persuasum fuit Deum posse hominibus aliquid revelare, cùm alicujus revelationis existentiam semper admiserint : atqui hæc universalis persuasio argumentum est Deum homines alloqui posse, et ipsis aliquid revelare ; ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Deus, ex hypothesi quòd velit aliquid revelare, non tenetur æqualiter *et* immediatè *singulis hominibus revelationem manifestare ; sed potest eam Religionis formam instituere, in quâ homines ab aliis hominibus edoceantur.*

Tres sunt conclusionis partes.

Prob. 1.ª *pars.* Si enim æqualiter omnibus hominibus fieri deberet revelatio, maximè quia

Deus, quibusdam revelationem denegando, ipsis inferret injuriam : atqui Deus quibusdam, etc., ipsis non inferret injuriam. Si enim Deus eos injuriâ afficeret, vel quia illud eis denegaret ad quod jus strictum habent, vel quia eos puniret præcisè ob ignorantiam non concessæ revelationis : atqui neutrum dici potest. Non 1.um : revelatio enim est bonum supernaturale et planè gratuitum, ad quod proindè nemo jus habet; ergo nemini injuriam facit, dùm ex suo mero beneplacito istis revelationem largitur, quam illis denegat. Et verò, in ordine naturali, ingenii facultates, animi dotes, valetudinem, corporis habilitates, etc., hominibus inæqualiter Deus distribuit; quantùm enim Tartarus à Gallo, rusticus à Newtone, homo sano corpore valens ab infirmo aut membris distorto discrepat, etc. : atqui, nec diffitentibus Deistis, hæc donorum naturalium inæqualitas Deum injustitiæ non arguit ; ergo nec supernaturalium, qualis est revelatio. 2.um Etiam dici nequit : etenim mera est in Religionem Christianam calumnia, asserere cum Cive Genevensi, *secundùm fidem dignum esse æternis suppliciis, qui de revelatione divinâ nihil omninò audivit : hoc* enim *falsum est,* inquiunt Doctores Parisienses; *quisquis in invincibili veritatum fidei ignorantiâ versatur, nunquàm idcircò est nocens aut punietur à Deo, quòd eas veritates non crediderit. Hæc est doctrina christiana et catholica... Deus* enim *impossibilia non jubet, sed summè justus et æquissimus, usuram solummodò talenti commissi exacturus est.* Certè felicitate æternâ, quæ in visione intuitivâ consistit, privabitur infidelis : sed felicitas hæc *beneficium est gratuitum, supernaturale, et creaturæ rationali*

prorsùs indebitum, in quo nec umbram quidem injustitiæ unquàm excogitabit vel depravata Deistarum ratio : Censurâ Emilii in 26 propositionem.

Prob. 2.ª *pars.* Ideò enim, ut supponit Genevensis Philosophus, singulis hominibus fieri deberet hæc *immediata* revelatio, quia nullum aliud est medium quo certi esse possint homines de revelatione sibi à Deo factâ : atqui hæc ratio nulla est; siquidem tam certi esse possumus hanc vel illam veritatem à Deo revelari, cùm factum hujusmodi ii testantur, quos *immediatè* Deus allocutus est, quàm si nobis ipsis singulatìm facta fuisset revelatio ; ad hoc enim sufficit ut dentur signa certissima, quibus constet eos qui revelationem nobis transmittendam à Deo *immediatè* acceperunt, nec deceptos fuisse, nec deceptores : atqui reipsâ dantur signa hujusmodi, miracula scilicet, ut infrà ostendemus. Ineptè igitur exclamat Sophista Genevensis, Emil. tom. 3 : *Que d'hommes entre Dieu et moi ! J'aimerais mieux avoir entendu Dieu lui-même..... J'aurais été à l'abri de la séduction.* Simili argumentatione dubia efficerentur facta notissima, quorum testes immediatè non fuerimus : Quot homines enim inter me et Alexandrum ! Mallem ipsum propriis oculis vidisse, propriis auribus audiisse. Ab hominum seductione, circa hujusce Principis existentiam, immunis certè fuissem.

Prob. 3.ª *pars.* Namque potuit certè Deus eam Religionis formam instituere, quæ hominum genio et indoli maximè est accommodata, fanatismi viam præcludit, Religionis societatem aptiori modo conservat : atqui talis est Religio

in quâ homines ab aliis hominibus edocentur. 1.° Hominum indoli est accommodata : enimverò ita sumus à naturâ comparati, ut ad alios homines naturali propensione confugiamus, ad veritatem ediscendam; ergo via hæc hominum ingenio maximè est accommodata. Illud autem magis ac magis patebit, si attendamus ad maximam hominum partem, quæ constat ex imperitis et illiteratis, quique tamen non minùs quàm docti Religionem addiscere debent. 2.° Fanatismo viam præcludit : si enim unicuique facta fuisset revelatio, quàm lata fanatismo via aperta fuisset! in hâc enim hypothesi, inquiunt Doctores Parisienses, Censurâ Emilii in propos. 27, *futurum fuisset ut, nisi singulis fuisset ablata peccandi libertas, plures* impostores *procul dubio contendissent se sibi placita dogmata et præcepta à Deo revelante accepisse, quæ tamen iis non revelasset Deus :* porrò impostores illi nullo modo redargui potuissent : non revelatione; nulla enim in hâc hypothesi foret communis revelatio : neque miraculis; cùm enim sæpè sæpiùs ad miracula recurrendum esset, ut impostorum fraus innotesceret, tot patranda essent miracula, tantusque foret eorum numerus, ut neminem ampliùs commoverent. Jam verò his fanatismi incommodis occurrit Religionis forma in quâ homines ministerio aliorum edocentur. 3.° Hinc etiam facillimè et convenientissimè conservatur Religionis societas; discipuli enim cum magistris mutuâ necessitudine connectuntur, ob necessarias inter se relationes, nec aliter in Religione homines quàm in scientiis naturalibus et vitæ civilis officiis eruditiuntur.

CONCLUSIO III.

Deus potest veritates supra rationis captum positas seu mysteria hominibus revelare.

Prob. Namque si mysteria Deus revelare non posset, vel quia nullæ forent veritates supra rationis captum positæ, vel quia nullum Deo suppeteret medium eas manifestandi, vel demùm quia Deus non posset ab hominibus exigere assensum veritatibus hujusmodi : atqui tria hæc dici nequeunt.

1.° Quidem dici nequit nullas esse veritates quæ supra rationis captum positæ sint. Etenim 1. certum et evidens est, multa esse intelligentiæ infinitæ comperta, quæ mentis humanæ, ut potè finitæ et angustis limitibus circumscriptæ, captum excedant. Enimverò si inter homines naturâ æquales, non pauca eruditus evidenter cognoscit, quæ rustico sunt incomprehensibilia, quantò plura Deus intuetur, quæ aciem ingenii cujuslibet creati superant. 2. Quot in ipso naturæ ordine deprehenduntur, de quorum existentiâ minimè dubitamus, quæ tamen ratîoni humanæ sunt impervia : quis enim Philosophus adeò subtilis sit, ut claram habeat ideam motûs, spatii, temporis, æternitatis, etc. ? Quis explicet naturam mentis humanæ, illiusque cum corpore unionem, idearum causam, sensationum originem, etc. ? Si ergo in ordine naturali tot inveniuntur mysteria, à fortiori et in ordine supernaturali existere debent. 3. Ipsi Deistæ plura admittunt Religionis naturalis dogmata, ipsorum rationi inaccessa ; agnoscunt enim Deum esse æternum, immensum, liberum

simul et immutabilem, licèt tum æternitatis et immensitatis natura, tum libertatis et immutabilitatis concordia, humani ingenii sagacitatem fugiat. 4. Imò et ipsi impii, Athei nempè, Materialistæ, Fatalistæ, Sceptici, quàm multa in suis systematibus admittere coguntur, quæ non solùm supra rationem posita sunt, sed ipsi rationi evidenter adversantur, et, ut ait Bossuetius, *pour rejeter d'incompréhensibles vérités, ils se précipitent dans d'incompréhensibles erreurs.* De hoc argumento vide *Défense du Christianisme*, tom. 3, p. 241 et seqq.

2.° Nec Deo desunt media hujusmodi veritates hominibus revelandi. Nunquid enim omnipotenti Deo et summè intelligenti, deesse possunt media quibus suas cogitationes suamque voluntatem hominibus manifestet? Prætereà, jam probavimus Deum posse, tum interiùs, tum exteriùs, homines alloqui, et, ex dicendis, manifestum erit dari signa certissima quibus constet Deum esse locutum; ergo, etc.

3.° Potest etiam Deus illis veritatibus assensum ab hominibus exigere. Siquidem talem assensum Deus à nobis potest exigere, quem homines aliis hominibus præstare tenentur: *atqui sæpè sæpiùs* homines aliis hominibus assensum præbere tenentur circa res quas ratione assequi non valent. Nonne enim à doctioribus derideretur rusticus qui assentire renueret assertionibus Astronomorum et Physicorum circa motum telluris, v. g., eclipses, etc., eo quòd ratione eas minimè percipit? Nonne etiam ridiculus haberetur cæcus à nativitate qui ideò fidem adhibere recusaret testimonio hominum asserentium colores existere, eo quòd nullam

colorum haberet ideam ? Nunquid tandem veri Philosophi nomen mereretur, qui inaudita et ipsi incomprehensibilia facta nollet admittere, quantumvis certis rationibus vel experimentis forent comprobata ? ergo, etc.

CONCLUSIO IV.

Deus potest hominibus præcepta revelare quæ in lege naturali non contineantur.

Prob. 1.° *Ex populorum consensu.* Namque historiis notum est, nullum ferè fuisse legislatorem qui, ut suis legibus reverentiam et auctoritatem magis conciliaret, non finxerit se divinitùs eas accepisse. Sic Minos à Jove, Lycurgus ab Apolline, Numa à Nymphâ Ægeriâ, etc., inspiratos fuisse gloriabantur; idque populi ferè omnes persuasum habuêre : atqui profectò neque legislatores tentassent in hanc persuasionem populos inducere, neque populi ipsi fictam illam revelationem tam facilè excepissent, si aperta foret illius impossibilitas ; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ratione.* Etenim si repugnaret Deum posse revelare præcepta quæ in lege naturali non continentur, illa repugnantia se teneret vel ex parte Dei, vel ex parte hominis : atqui neutrum dici potest. Non 1.^{um} : sicut enim legislatores humani multa certè præcipere possunt quæ lege naturali non jubentur, à fortiori idem poterit Deus omnis potestatis fons et origo. Et verò, cùm sit omnium Dominus, potest determinare cultum aliquem sibi ab hominibus exhibendum, et ritus speciales in eo observandos : atqui licèt Religio naturalis demonstret cultum aliquem

necessarium esse, nihil tamen definit circa illius modum et formam. Deindè, Deus, cujus bonitas est infinita, potest hominibus indebita et planè gratuita beneficia polliceri; ac proindè ab ipsis pro iisdem beneficiis quædam officia, scilicet fidei, spei, amoris, gratitudinis sensus exigere: atqui hæc officia forent aliquid superadditum legi naturali. Demùm, quis neget Deum posse hominibus manifestare causam hujus propensionis quâ ad malum vehementer inclinamur, ipsisque varia præscribere remedia sive ut emendentur pravæ cordis propensiones, sive ut peccata jam commissa expientur: atqui de his tacet lex ipsa naturalis, et in æternum tacebit; ergo 1.°, etc. Neque etiam 2.um dici potest, nempè talem revelationem ex parte hominis repugnare, tum quia non desunt media quibus ad eorum notitiam perveniat, quæ Deus ipse revelaverit, ut jam probavimus; tum quia Deus, qui impossibilia non jubet, ipsi suppeditabit auxilium necessarium, ut officia per revelationem injuncta implere valeat; tum quia homo se totum debet Deo, et suum bonum suamque felicitatem aliter invenire et assequi non potest, quàm sese divinæ voluntati fideliter submittendo; ergo, etc.

Solvuntur Objectiones contra mysteriorum revelationem.

Obj. 1.° cum Cive Genevensi: Deus non potest sibi contradicere: atqui sibi contradiceret, si dogmata supra rationem posita revelaret, illorumque fidem exigeret; ergo Deus non potest, etc.

Resp. Nego min. Nedùm sibi contradicat Deus, mysteria revelando quorum fidem exigat, suam è contrà sapientiam demonstrat. Duobus enim potissimùm vitiis laborat genus humanum, superbiâ vanâque curiositate : indè manârunt tot errores in quos impegerunt ipsimet Philosophi. His autem vitiis efficaciùs mederi, ingenitamque homini superbiam reprimere non potuit Deus, quàm mysteria rationi inaccessa revelando, et ab hominibus illorum fidem exigendo. Si in Religione nihil esset quod non intelligeremus, defuisset occasio intellectum nostrum fidei jugo subjiciendi, superbamque rationem auctoritati divinæ submittendi, quod præstamus, cùm Deo mysteria revelanti obsequiosè fidem adhibemus.

Inst. cum eodem : Ille sibi contradicit, qui rationem homini concedit, et illius usum interdicit : atqui sic ageret Deus mysteria revelando, illorumque fidem ab hominibus exigendo ; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Ille sibi contradicit, etc., et illius usum interdicit in iis quæ ipsius captum non superant, *conc.* ; in iis quæ ipsius captum superant, *nego*. Itaque Deus mysteria revelans, silentium rationi imponit in iis quæ supra ipsam posita sunt, id est, ubi agitur de intimâ mysteriorum substantiâ ; sed nedùm rationem otiari jubeat in iis quæ ipsius intelligentiæ sunt accommodata, è contrà vult ut ipsa expendat argumenta externa quibus nititur revelatio, facta scilicet, testimonia, miracula, quæ revelationem certam faciunt. Ubi autem, iis diligenter excussis, compertum erit Deum aliquod revelasse, tunc illud religiosè amplecti

debet ratio, non verò intimam mysteriorum naturam sibi imperviam curiosiùs scrutari.

Philosophos igitur sic compellare licet cum Oratore (P. *Guénard*), qui anno 1755 eloquentiæ præmium obtinuit in Academiâ Parisiensi : *Ne vous agitez point contre ces mystères que la raison ne saurait percer. Attachez-vous à l'examen de ces vérités qui se laissent en quelque sorte toucher et manier, et qui vous répondent de toutes les autres. Ces vérités sont des faits éclatans et sensibles, dont la Religion s'est comme enveloppée tout entière, afin de frapper également les esprits grossiers et subtils. On livre ces faits à votre curiosité. Voilà les fondemens de la Religion : creusez donc autour de ces fondemens, essayez de les ébranler, descendez avec le flambeau de la Philosophie, jusqu'à cette pierre antique, tant de fois rejetée par les incrédules, et qui les a tous écrasés : mais lorsqu'arrivés à une certaine profondeur, vous aurez trouvé la main du Tout-puissant, qui soutient, depuis l'origine du monde, ce grand et majestueux édifice, toujours affermi par les orages mêmes et le torrent des années, arrêtez-vous, et ne creusez pas jusqu'aux enfers.* Discours sur l'Esprit philosophique.

Obj. 2.° Mysteria sunt supra rationem, ergo et contra rationem ; proindèque ea Deus revelare non potest, neque ipsorum fidem exigere.

Resp. Nego consequent. Illud enim supra rationem positum dicitur, quòd ratione cognosci non potest ; id verò est contra rationem, quod rationi repugnat : porrò ex eo quòd aliquid ratione cognosci nequeat, non sequitur illud rationi repugnare : quot enim sunt, ut diximus,

in orbe phænomena supra rationis captum posita, quæ tamen rationi minimè repugnant, cùm ea negare insanum foret : sua sunt non modò Religioni sed et naturæ mysteria. Et verò, illud solum rationi contrarium dici potest, quod contradictionem involvit : porrò dici non potest mysteria involvere contradictionem. Etenim, inquit Archiepiscopus Lugdunensis, in suo de Religione Pastorali Documento : *Pour assurer qu'il y a contradiction dans nos mystères, il faudrait voir clairement l'incompatibilité des termes qui les constituent, avoir de ces termes des idées distinctes et complètes ; pour en avoir ces idées, il faudrait que l'esprit abaissât les objets jusqu'à son niveau, ou qu'il s'élevât jusqu'à la région où ils sont placés : or, qui osera prétendre avoir sur chaque mystère des notions assez claires, assez parfaites pour en connaître le fond et le rapport? Ceux qui jugent que les idées renfermées dans nos mystères, sont insociables et incompatibles, jugent donc de ce qu'ils ne voient pas, de ce qu'ils ne connaissent pas ; ils abusent donc de leur raison, sous le vain prétexte d'en conserver l'usage.*

Inst. 1.° cum Baylio : Mysteria non videntur conformia rationi ; ergo videntur rationi non conformia, proindèque ipsi contraria.

Resp. 1.° quæstionem non esse an mysteria videantur rationi contraria : porrò, licèt concederemus mysteria videri contraria rationi, non ideò sequeretur ipsa reverà esse contra rationem ; nemo enim nescit dari apparentias falsas sicut veras.

Resp. 2.° *Nego consequent.* Etenim hæc duo,

non videri conforme rationi, et, *videri non conforme rationi*, maximè inter se differunt : de eo omni quod est supra rationem, dici legitimè potest quòd rationi non videtur conforme ; si enim ipsi conforme videretur, hoc ipso non esset supra rationem, ut patet. At illud solum dici potest videri non esse conforme rationi, in quo realis cum ratione deprehenditur oppositio : jam verò quamvis mysteria non videantur conformia rationi, minimè sequitur, ut vult Baylius, ea videri non esse rationi conformia, seu in ipsis claram cum ratione deprehendi oppositionem ; alioquin omnes veritates, tum naturales, tum supernaturales, quas ratione non capimus, jure ac meritò dicerentur nobis falsa videri, quod absurdum est. Vide hâc de re Leibnitzii dissertationem, de Conformitate fidei cum ratione, tom. 1 oper., edit. Genev., p. 60.

Inst. 2.° Turris quadrâta quæ è longè conspicitur, non tantùm videtur non esse quadrata, sed videtur esse rotunda, seu habere figuram quadratæ contrariam ; ergo et à pari, quod est supra captum rationis positum, dici potest non modò supra rationem, id est, non conforme rationi, sed et rationi contrarium ; quidni enim affirmari potest quod videtur ?

Resp. adductam comparationem, nedùm adversario faveat, ipsius è contrà imperitiam vel malam fidem demonstrare ; sicut enim turris prædicta, quantumvis videatur non esse quadrata, sed rotunda, non ideò rotunda est, aut desinit esse quadrata ; ita profectò, licèt mysterium non rationi conforme videatur, imò licèt videretur rationi contrarium, indè nunquàm inferre liceret illud non esse rationi con-

forme, quin potiùs sequeretur ipsum nihilominùs rationi posse esse conforme : quemadmodùm apparentia rotunditatis in turri quadratâ, nihil officit quadraturæ ejus, sed totam illi relinquit.

Inst. 3.° Ea sunt rationi contraria, quæ repugnant cum notionibus communibus et veritatibus naturalibus, ab omnibus receptis : atqui mysteria repugnant notionibus, etc. ; ergo iterùm mysteria sunt contraria rationi.

Resp. Dist. maj. Ea sunt, etc., quæ repugnant veritatibus metaphysicis seu essentialibus, *conc.* ; physicis seu contingentibus, *nego.* Itaque duplicis generis cum Leibnitzio distinguendæ sunt veritates, aliæ nempè *metaphysicæ* seu *necessariæ*, quæ in ipsâ rerum essentiâ immutabili fundantur ; aliæ *physicæ* seu *contingentes*, quæ innituntur naturæ ordine à Deo liberè constituto : porrò libenter fatemur mysteria cum omnibus veritatibus physicis et contingentibus non semper convenire ; sed non ideò illa repugnare concludere fas est. Cùm enim veritates hujusmodi fundentur in ordine liberè à Deo constituto, possunt, ex potentiâ Dei absolutâ, aliquam pati exceptionem, si nempè velit Deus huic ordini per miraculum derogare. Restat ergo adversariis demonstrandum mysteria veritatibus metaphysicis et essentialibus repugnare : atqui illud prorsùs est impossibile. Undè enim repeteretur prætensa hæc repugnantia? Non quidem ex naturâ mysterii, quæ rationi impervia est. Neque etiam ex terminis quibus mysteria enuntiantur ; si enim aliqua foret evidens contradictio inter veritates necessarias, et terminos quibus mysteria exprimuntur, proferri certè posset mysterium cujus

termini præcisè affirmarent quod negat aliqua veritas necessaria, aut negarent quod ipsa affirmat : atqui nunquàm proferri poterit mysterium cujus termini, etc. ; siquidem ipsa contradictio foret evidens, ex hypothesi, ita ut manifesta esset omnibus qui affirmationem à negatione secernere nôrunt : atqui nemo unquàm in cujusvis mysterii enuntiatione deprehendit evidentem cum veritate necessariâ contradictionem ; ergo reverà nulla adesse potest inter utrumque contradictio ; à facto enim ad jus hìc certè valet consecutio. Et certè, mirum foret hanc repugnantiam à nemine nisi à Deistis hactenùs deprehensam fuisse, atque ingenia præcellentissima et omnes populos qui Religioni Christianæ nomen dedêre, evidentem admisisse contradictionem.

Inst. 4.° cum Baylio : Mysteria insolubilibus objectionibus impugnantur ; ergo mysteria rationi repugnant.

Resp. Nego ant. Namque impossibile est contra mysteriorum possibilitatem, ullam objectionem proponi verè insolubilem ; siquidem objectio verè insolubilis, est vera demonstratio, id est, ratiocinium cujus duæ præmissæ sunt evidenter veræ, et conclusio legitimè deducta : atqui repugnat talem objectionem fieri contra mysteriorum possibilitatem. Enimverò omnes Deistarum objectiones ad tres classes revocari possunt : aliæ impetunt ipsam mysteriorum substantiam, aliæ desumuntur ex contradictione quæ adesse supponitur inter veritates naturales et terminos quibus mysteria enuntiantur ; cæteræ verò spectant Theologorum systemata de ratione mysteriorum formali, seu de modo

quo se habent mysteria : atqui objectiones, ad quamcunque classem pertineant, insolubiles fieri possunt nullæ. 1.° De objectionibus primæ et secundæ classis non est difficultas, ex jam dictis. 2.° A fortiori vanæ sunt objectiones quibus impetuntur varia de modo mysteriorum explicando Theologorum systemata ; illæ enim Theologorum opiniones substantiam mysteriorum non spectant, et adversariis, salvâ mysteriorum revelatione, dimitti possent. Undè objectiones quæ ex illis systematibus eruuntur, solam Theologorum scientiam, minimè verò substantiam vel possibilitatem mysteriorum impugnant.

Inst. 5.° Ratio demonstrare nequit falsitatem objectionum quibus impugnantur mysteria ; ergo mysteria insolubilibus objectionibus impugnantur, ac proindè sunt rationi contraria.

Resp. Dist. ant. Falsitatem objectionum quibus impetuntur mysteria, ratio nequit demonstrare positivè, *conc.* ; negativè *nego*. Itaque falsitas alicujus objectionis demonstratur *positivè*, cùm rei in objectione impugnatæ veritas ostenditur ex rationibus intrinsecis, id est, per claram et distinctam ideam suæ intimæ naturæ : porrò evidens est, hoc sensu, ratione demonstrari non posse falsitatem objectionum quæ à Deistis contra mysteria proponuntur; sunt enim, ut sæpiùs diximus, rationi inaccessa. Nec indè tamen sequitur mysteria impossibilia esse, ut fert objectio, sed rectiùs concluderetur nihil de iis, solâ ratione duce, posse pronuntiari, sive in gratiam possibilitatis illorum, sive contra eorum possibilitatem. Sufficit igitur ad solvendas objectiones incredulorum, ut earum falsi-

tatem *negativè* demonstremus, id est, ut ostendamus eas non esse veras demonstrationes. Cùm autem omnis demonstratio in duobus sita sit, nempè in præmissarum evidentiâ, et in legitimâ regularum Dialectices observatione, ut ostendatur aliquam objectionem non esse veram demonstrationem, satis est quòd, eâ in syllogismum redactâ, compertum sit vel alterutram præmissarum non esse evidentem aut sufficienter probatam, vel conclusionem non certò deduci ex præmissis : atqui saltem hoc vel illud facilè ostenditur in singulis objectionibus quibus nostra mysteria impugnant Deistæ.

Inst. 6.° Mysteria saltem apparent rationi repugnare : atqui apparens illa repugnantia eamdem vim habet in mentem nostram ac repugnantia realis ; ergo ea credere nec possumus nec debemus.

Resp. Dist. maj. Mysteria apparent rationi repugnare ex defectu attentionis, *esto ;* ex objecti consideratione, *nego*. Itaque potest quidem primo intuitu apparere aliqua repugnantia in mysteriis, quandò mens non sufficienter attendit ad motiva credibilitatis, quibus certò constat de existentiâ mysteriorum ; cùm enim mysteria sint rationi impervia, debent aliquid obscuri menti offerre. Sed post adhibitum sufficiens examen motivorum credibilitatis, quæ certissimam efficiunt mysteriorum revelationem, ipsa dictat ratio contemni debere hanc apparentem repugnantiam, et securè præstandum esse assensum mysteriis à Deo revelatis. Res illustratur exemplo : *Prenez un aveugle de naissance,* inquit D. D. Episc. Hermopol., *faites-lui parcourir de la main la surface plane d'un tableau, qui*

pourtant, d'après les lois de l'optique, vous présente à vous, des élévations et des profondeurs; dites à cet aveugle que, dans cette surface unie, vous voyez des enfoncemens; comment voulez-vous qu'il puisse concevoir qu'une surface plane au tact de sa main, soit profonde à vos yeux? Plane et profonde tout ensemble, pourrait dire l'aveugle, quelle absurdité! Il y a là pour l'aveugle je ne sais quoi de révoltant et de contradictoire; et tamen, ex aliorum hominum testimonio, cæcus ille tenetur judicare illam repugnantiam vanam esse, et firmum assensum præstare iis quæ de prædictâ tabellâ referuntur. Jam verò revelatio mysteriorum ipso Dei testimonio fundatur, ut in decursu probabitur; ergo fidem omnimodam illis adhibere debemus, licèt aliqua in iis appareat repugnantia.

Obj. 3.° Mysteria sunt prorsùs inutilia, et sufficiunt dogmata quæ ad mores informandos pertinent: atqui Deus non potest inutilia revelare; ergo neque mysteria.

Resp. 1.° hoc argumentum, si rectè instituatur, contra Deistas militare; sic enim ratiocinari possumus: Deus non potest inutilia hominibus revelare: atqui Deus mysteria revelavit, ut ex dicendis manifestum erit; ergo mysteria sunt hominibus utilia.

Resp. 2.° *Nego ant.* Etenim 1. mysteria, *in genere* spectata, sunt hominibus utilia; in iis enim elucet tum supremum Dei dominium in mentem nostram, quam redigit in obsequium fidei; tum Dei sapientia, quæ medetur curiositati et superbiæ humanæ, ut jam dictum est. 2. Maximè utilia sunt mysteria, præsertìm *in*

specie considerata ; multùm enim conferunt tum ad gloriam Dei, tum ad hominis utilitatem. 1. Multùm conferunt ad gloriam Dei, cùm ex iis divina attributa mirum in modum commendentur : sic, positâ christianâ revelatione, ex SS. Trinitatis mysterio, Dei incomprehensibilis majestas ; ex mysterio incarnationis, summa erga homines misericordia ; atque ipsius ineffabilis bonitas, ex Eucharistiæ mysterio commendatur ; et sic de cæteris. 2. Multùm etiam conferunt ad hominis utilitatem : veram hominis felicitatem et media ad illam conducentia ostendunt ; multa quippe nos edocent de primævâ conditione hominis, ipsiusque futurâ destinatione ; miseriarum quibus perpetuò affligitur causam et remedium aperiunt. Ex mysterio Redemptionis, dignoscitur tum peccati malitia et gravitas, cùm nonnisi victimâ infinitâ potuerit expiari ; tum dignitas animarum nostrarum, quæ tanto pretio sunt redemptæ ; exemplis, vitâ et morte Hominis-Dei, ad Dei amorem efficaciùs accendimur, et non parùm excitamur ad mala hujus vitæ æquo animo toleranda, difficiliorumque virtutum actus exercendos, ut quotidiana testatur experientia. Plura de mysteriorum utilitate eloquenter perorat illust. Episcopus Hermopol., *Défense du Christianisme*, tom. 3, pag. 245 et seq.

Inst. cum Cive Genevensi : Mysteria verbis exprimuntur sensu vacuis, et quibus nullæ subjiciuntur ideæ ; ergo mysteria sunt inutilia.

Resp. Nego ant. Si enim verba quibus mysteria exprimuntur, forent omni sensu vacua, eodem modo intùs afficeremur, nec major ad pronuntiationem illarum vocum lux menti af-

fulgeret, quàm cùm, v. g., homines audimus linguâ peregrinâ loquentes : atqui illud nimis absurdum est, ut cuilibet ex propriâ constat experientiâ. Prætereà, si vocibus quæ mysteria enuntiant nullæ subjicerentur ideæ, jam mysteria nec tantis impugnarentur argumentis, nec à sophismatibus vindicarentur ; prius enim est scire quid sit res, quàm de eâ in alterutram partem disputare ; ergo dicendum nobis aliquam inesse mysteriorum ideam, 1.° *generalem* et *confusam*, quales sunt ideæ rerum quarum perspicuam notionem non habemus, quales sunt *vis motrix*, *gravitas*, *electricitas* ; 2.° *analogicam*, quæ sumitur ex aliquâ similitudine mysteriorum cum iis quæ in creaturis deprehendimus : sic habetur idea mysterii incarnationis, ex similitudine unionis mentis humanæ cum corpore, ratione cujus ex duplici substantiâ unica exsurgit persona ; sive demùm 3.° *secundariam*, seu quæ ex consectariis mysteriorum repetitur : sic pariter in mysterio incarnationis, talis est unio Verbum inter et naturam humanam, ut, virtute illius, omnes omninò passiones humanitatis Christi valorem infinitum acquisierint. Vide Censuram Emilii, in 42 propos.

CAPUT II.

De Necessitate Revelationis.

Observandum 1.° quæstionem non esse an revelatio sit homini necessaria positâ illius destinatione ad finem supernaturalem ; evidens

est enim, in eâ hypothesi, omninò necessariam fuisse revelationem, cùm solâ ratione ea quæ supra naturam posita sint homo cognoscere non possit, qualia sunt finis sui dignitas, illiusque assequendi media. Quæstio versatur tantùm circa necessitatem revelationis, præcisè ad cognoscenda legis naturalis principia.

Observandum 2.° duplici sensu necessariam dici posse revelationem, *absolutè*, cùm sine illius lumine aliqua veritas nullo modo detegi potest; et *moraliter*, quandò sine illius subsidio veritas aliqua potest quidem cognosci, sed nonnisi cum tantâ difficultate, ut si hominum indolem spectes et conditionem præsentem, vix unquàm sit superanda. Jam verò quæritur utrùm ad cognoscendam legem naturalem, in statu quo nunc versamur, revelatio sit necessaria et quo sensu.

Observandum 3.° legem naturalem considerari posse, vel quoad *primaria* ipsius principia *collectivè* sumpta, et illorum conclusiones etiam remotissimas; vel quoad *primaria* principia *distributivè* sumpta, cum conclusionibus proximis, quæ principia *secundaria* dicuntur; vel demùm prout est complexio quorumdam principiorum et conclusionum, quæ ad rectam vitæ institutionem sufficiant.

Observandum 4.° hìc controversiam non moveri de *primariis* legis naturalis principiis, quæ à nemine invincibiliter ignorari possunt; neque etiam de conclusionibus *remotissimis* primariorum principiorum, quæ, cùm in infinitum pateant, ratione humanâ, etiam revelatione illustratâ, detegi nequeunt. Nec etiam agitur de principiis secundariis *distributivè* sumptis; con-

cedimus enim ope solius rationis meditatione excultæ ea potuisse cognosci. Verus igitur controversiæ status restringitur ad legis naturalis principia quæ, *collectivè* sumpta, ad rectam vitæ institutionem sufficiant, et quæstio est utrùm, ad ea dignoscenda et promulganda, saltem *moraliter* necessaria fuerit revelatio.

Contendunt Deistæ multi cum Voltario, *la Religion naturelle, Poème*, et Cive Genevensi, *Emile* tom. 3, legem naturalem ita perfectam esse, ipsiusque principia adeò esse clara et omnibus obvia, ut ad Religionem et rectam morum informationem prorsùs sit inutilis revelatio. Contra sit

CONCLUSIO PRIMA.

Revelatio fuit saltem moraliter *necessaria, tum ad cognoscenda, tum ad promulganda legis naturalis principia,* collectivè *sumpta, quæ sufficiunt ad rectam vitæ institutionem.*

Duæ sunt conclusionis partes.

Prob. 1.ª *pars*, de principiorum legis naturalis *cognitione*. Etenim si revelatio ad ejusmodi principia cognoscenda necessaria non fuit, ergo illa cognoscere potuit vel ratio cujusque hominis propria, vel ratio excultissima Philosophorum antiquitatis: atqui neutrum dici potest.

1.° Quidem omnia legis naturalis officia cognoscere non potuit, *saltem moraliter*, ratio cujusque hominis propria. Namque hujus impossibilitatis moralis testem appello experientiam omnium populorum quibus revelatio non illuxit: nôrunt omnes quàm turpiter erraverint circa omnia legis naturalis principia. 1. Circa

Deum : colebant enim Deos innumeros, imbecilles, impuros, omni flagitiorum genere inquinatos : *On adorait*, inquit Bossuetius, *jusqu'aux bêtes et aux reptiles ; tout était Dieu, excepté Dieu même*, Hist. univ. c. 3, 2 part. 2. Circa cultum divinum : referre pudet ritus obscenos, sacrificia humana, prostitutiones quibus hæc Deorum monstra colebantur, de quibus vide Bossuetium, loco jam citato. 3. Circa officia erga alios homines : quid enim legi naturali magis repugnat, quàm jus omninò arbitrarium vitæ et necis in servos, communitas uxorum, potestas parentibus facta ut liberos recens natos vel præfocarent, vel exponerent, gladiatorum prælia, etc. ? 4. Circa officia erga seipsum : spretis namque pudoris et temperantiæ legibus, omni libidini et impudicitiæ indulgebant, non occultè sed palàm, nullâ prohibente auctoritate, imò, ut ait Tullius, *concedentibus ipsis Philosophis*. Neque solùm apud barbaras gentes, sed etiam apud excultissimas, apud Ægyptios, Græcos et Romanos hæc errorum portenta obtinuerunt. Jam verò si per 4000 annos tot tantosque errores humana ratio non depulit, quis credat futurum ut, sequentibus seculis, eos depelleret ? Illud autem magis patebit, si attendatur Religionis et morum principia lapsu temporis magis ac magis depravata fuisse, dùm è contrà scientiæ et artes in dies perficerentur.

Et verò, ut omnia legis naturalis principia potuissent cognosci, adhibenda fuissent, 1.° attentio non mediocris, 2.° judicium sanum et à præjudiciis liberum, 3.° mens tranquilla et magna in investigatione veri constantia, ut

paululùm

paululùm attendenti patet : atqui hæc omnia ab hominum vulgo præstari non possunt ; constat enim multitudinem esse omnis contentionis in spiritualibus incapacem , non sano pollere judicio, præconceptis educatione vel consuetudine opinionibus tenaciter adhærere , nec habere satis otii , cùm rerum temporalium curis et sollicitudinibus perpetuò detineatur ; ergo 1.° ratio cujusque hominis propria, etc.

2.° Nec etiam ratio qualis apud Philosophos antiquitatis excolebatur, omnia principia legis naturalis collectivè sumpta , *moraliter* potuit cognoscere. Etenim omnibus notum est nullam Philosophorum scholam , totam veritatem de facto tenuisse ; Academia, Lycæum, Porticus , in multos et absurdissimos errores abierunt, et quia illos enumerare longum foret, Plato, divinus ipse Plato , uxorum communitatem , infantium expositionem commendat , viros et feminas nudos in publicum prodire jubet , in templis obscenas Deorum imagines , in festis Bacchi ebrietatem non damnat , etc. Socrates, Cicero, Seneca, quibus præstantius nihil novit antiquitas , anxiè dubitaverunt de morum fundamentis , nempè utrùm et quis sit Deus ; quid sit anima, quò tendat, an sit immortalis. Ipse Cicero infernorum supplicia tanquam fabulas irridet in Oratione pro Cluentio. Porrò, etsi concederemus omnia morum officia singulatìm et distributivè sumpta , ab antiquis Philosophis solâ ratione cognita fuisse , nullus tamen exstitisset qui vera hæc morum officia apud singulos sparsa in unum potuisset colligere ; ad hoc enim necesse fuisset ut insignis ille Philosophus cæteros omnes simul sumptos ingenio et sapientiâ supe-

rasset, sive ut illorum errores devitaret, sive ut suos non adjungeret : atqui illud moraliter impossibile reputandum est, spectatâ præsenti rationis humanæ imbecillitate ; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars, de promulgatione principiorum legis naturalis.* Etenim vel ad ea promulganda necessaria fuit revelatio ; vel philosophia, qualis apud veteres excolebatur, par fuisset medium huic promulgationi exsequendæ : atqui posterius dici nequit. Etenim ad id necessarium fuisset, ut veteres Philosophi haberent, 1.° scientiam omnium dogmatum et principiorum legis naturalis, 2.° zelum et sinceram alios edocendi voluntatem, 3.° auctoritatem, 4.° methodum omnibus accommodatam : atqui 1.° ipsis defuit scientia præceptorum et dogmatum, ut jam probatum est. 2.° Ipsis defuit zelus et sincera voluntas alios edocendi ; namque Socrates, Plato, Cicero, palàm colebant Deos, quos privatim irridebant, eosque non pudebat cultum superstitiosum, quem intùs damnabant, exteriùs profiteri : sic, v. g., *mirari se cum Catone*, ait Tullius, *quòd non rideret aruspex, aruspicem cùm videret;* jubet tamen aruspicum instituta in Religione servari. Socrates ipse, morti proximus, amicos suos rogavit ut Æsculapio gallum quem voverat pro se immolarent. Imò apud ipsos receptum erat *expedire falli in Religione civitates.* 3.° Defuit auctoritas ; erant enim perpetuò inter se divisi, suî invicem detractores, et suâ vivendi licentiâ omnem efficaciam præceptis adimebant : hinc nullam fuisse auctoritatem Philosophorum apud plebem ipse testatur Tullius, Tuscul. lib. 1 et 2. 4.° Ipsis tandem defuit methodus ; solebant enim pro-

cedere à principiis fortassè veris, sed obscuris et intellectu difficillimis, ex quibus, per longam et intricatam disputationem, morum præcepta deducebant : porrò ea docendi methodus hominum vulgo non erat accommodata, ut evidens est; ergo, etc.

Hinc Philosophi ipsi sapientiores divinæ alicujus revelationis necessitatem agnoverunt. Plato in Epinomide (seu Philosopho), ait *rectam vitæ institutionem neminem docere posse, nisi Deus quasi dux et magister præiverit.* Socrates in Dialogo cui titulus, *Alcibiades*, lib. 2, discipulum sacra facturum admonet, exspectandum esse donec aliquem Divinitas emittere dignetur, ut nos edoceat. Vide etiam Ciceronem, Tuscul. lib. 3. Hinc etiam nullam gentem humanitate excultam reperies, quæ revelationem veram aut falsam non admiserit : adeò omni ætate, hominibus persuasum fuit se illustratione divinâ, in iis quæ Religionem spectant, summoperè indigere.

CONCLUSIO II.

Admissâ etiam sufficientiâ rationis ad detegenda legis naturalis officia, nihilominùs revelatio utilissima est et aptissima via ad homines legem naturalem edocendos.

Prob. 1.° *Ratione.* Illa enim via utilissima est et aptissima, etc., quæ notionem legis naturalis hominibus præstat certiorem, promptiorem, accuratiorem : atqui revelatio hominibus præstat notionem, etc. 1.° *Certiorem :* ratio enim, cùm infirma sit et errori obnoxia, cùm præsertim tot homines et sapientes contradi-

cerent, non omnem certè removebat errandi formidinem; ubi verò Deus loquitur et aliquid revelat, jam illud fixum, ratum et decretorium est, jam omnis evanescit erroris formido; quis enim negare auderet, aut credendum quod ipse Deus affirmasset, aut faciendum quod præcepisset? 2.° *Promptiorem*: namque, posito quòd sola ratio potuisset omnia officia legis naturalis cognoscere, eò non pervenisset nisi per longum tempus et successivum variarum quæstionum examen, dùm è contrà, in hypothesi revelationis, unica est quæstio expendenda, videlicet an Deus facto indubitato probaverit se fuisse locutum: hâc autem quæstione facti semel exploratâ, nullus examini locus relinquitur. Undè D. Augustinus: *Credere auctoritati magnum compendium est, et nullus labor.* 3.° *Accuratiorem*, ut evidens est; si enim plurimas veritates compertas habet Philosophus, quas homo rudis nullatenùs suspicatur, quantò magis plura, etiam in ordine naturali, cognoscit Deus, quæ ratio, etiam præstantissimi Philosophi, nunquàm detegeret; ergo, etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

Prob. 2.° *Experientiâ.* Hâc de re audire sufficiat D. D. Episcopum Hermopolitanum, toties laudatum: *Autrefois sans lumières certaines, sans dogmes arrêtés, la philosophie païenne flottait à tout vent de doctrine; elle hésitait sur les points fondamentaux: hé bien! aujourd'hui le peuple lui-même est éclairé et ferme, là où les Philosophes ne répondaient qu'en tremblant; ce que ces sages ont ignoré, le peuple le sait maintenant. Prenez dans une nation chrétienne le plus simple villageois, in-*

terrogez-le sur Dieu, sur la vie future, sur les devoirs, sur tous les points de la morale, et vous le trouverez plus instruit que ne l'étaient tous les sages de la Grèce ensemble. Oui, le Pasteur du village, avec ses instructions familières, fait plus de vrais sages, que n'en put faire Platon avec la pompe de ses discours. Défense du Christ. tom. 3, pag. 85. Undè manifestum est quòd revelatio christiana, posito quòd sit vera, via sit utilissima et aptissima ad homines in Religione naturali erudiendos.

De toto hoc argumento consule eximium opus *J. Léland*, cui titulus, *Nouvelle démonstration évangélique, où l'on prouve l'utilité et la nécessité de la révélation chrétienne par l'état de la Religion dans le paganisme, etc.*, et opus Lockii cui titulus, *Le Christianisme raisonnable, tel qu'il est représenté dans l'Ecriture sainte.*

Obj. 1.° *contra primam conclusionem* : Quod à Deo concessum est homini ut legis naturalis præcepta cognosceret, ad ea detegenda non indiget revelatione : atqui ratio à Deo concessa est homini, ut eâ duce cognosceret, etc. ; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Quod à Deo, etc., ut per illud et per *aliud medium*, nempè revelationem, legis naturalis, etc., *nego ;* ut per illud *solum* legis naturalis præcepta cognosceret, *subdist.* Si illud sit integrum et quale à Deo concessum est, *conc. ;* si illud sit vitiatum ex culpâ hominis, *nego. Dist. pariter min.* Itaque ex eo quòd rationem homini Deus concesserit ad cognoscenda legis naturalis præcepta, non sequitur ad hæc præcepta detegenda non indi-

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

gere revelatione; potuit enim Deus rationem hominibus eo tantùm fine impertiri, nempè ut primaria quædam legis naturalis præcepta per se *solam* detegeret, et sic homines præpararet et quasi manu duceret ad suscipiendam revelationem, quo in casu revelatio foret ipsius rationis supplementum in his quæ per se *solam* ratio cognoscere non valeret : jam verò donec probent Deistæ rationem à Deo concessam fuisse ut per se *solam* et independenter à revelatione omnia legis naturalis præcepta cognosceret, nulla erit objectio. Prætereà, etsi daremus rem ita esse, non ideò vincerent adversarii; insuper enim ipsis probandum remaneret, rationem in statu præsenti sanam esse ac integram, talem omninò qualis à Deo homini concessa fuit; si enim ex hominis culpâ, præjudiciis obcæcata sit et cupiditatibus depravata, jam non mirum eam sine revelationis subsidio imparem esse omnibus præceptis naturalibus detegendis, quæ cognoscere potuit facilè, cùm esset integra. Porrò nedùm probare possint Deistæ rationem in suâ permansisse integritate, è contrà non difficilè demonstratur à primævâ conditione dejectam fuisse; sic enim adversùs Deistas licet argumentari : Juxta vos, ratio homini à Deo concessa, sufficere debuit ut omnia sua cognosceret officia : atqui tamen experientiâ omnium populorum et *evidentiâ facti* constat rationem in officiis detegendis nunc imparem esse, ut suprà in probationibus dictum fuit; ergo ratio à primo suo statu in pejorem lapsa est. Vide *Pensées de Pascal*, III.

Inst. 1.° Ignorantia præceptorum quæ per se solam ratio detegere non potuisset, vel fuisset

vincibilis, vel invincibilis : si prius, ergo inutilis revelatio ; si posterius, ergo non peccabant homines ea præcepta violando, ac proindè rursùs inutilis revelatio.

Resp. Nego min., quoad utramque partem. Siquidem in utrâque factâ hypothesi, necessaria erat, saltem *moraliter*, revelatio. In priori quidem, quia illa ignorantia solâ ratione nisi ægrè admodùm et summo labore superari potuisset ; ergo summa foret revelationis utilitas. In posteriori verò, quia etsi ignorantia invincibilis à culpâ excuset, tamen violatio, licèt materialis, præceptorum naturalium, gravis est coram Deo deordinatio, quæ vergit in grave detrimentum tum cultûs divini, tum societatis et privatorum : sic, v. g., Judex qui bonâ fide, falsis deceptus testimoniis, damnaret insontem, non peccaret, et tamen nemo dixerit minimè necessarium et utile esse ut de suo errore admoneretur.

Inst. 2.° Si ratio ad cognoscenda legis naturalis præcepta fuisset insufficiens, Deus ad impossibile obligasset populos qui revelatione caruerunt ; falsum *consequens*, ergo et *antecedens*.

Resp. 1.° *Nego maj.* Si enim homines in suis officiis detegendis omnem quæ penes ipsos erat diligentiam adhibuissent, Deus non eos damnasset propter omissionem præceptorum quæ invincibiliter ignorassent ; imò, quia Deus in necessariis non deest, fidenter asserimus ipsum tunc concessurum fuisse uberiora auxilia, quòrum ope homines alia legis naturalis præcepta cognoscere et adimplere potuissent.

Resp. 2.° hoc argumentum pro nobis militare, siquidem ex eo quòd Deus impossibilia

non jubeat, ut meritò in objectione dicitur, rectiùs hinc concluderetur vel rationem sufficere ad cognoscenda legis naturalis præcepta, vel ad id necessariam esse revelationem : prius autem falsum esse testatur generis humani historia ; ergo verum posterius, nempè necessariam fuisse revelationem.

Obj. 2.° Tam possunt semperque potuerunt homines solius rationis ope omnia legis naturalis præcepta detegere, quàm hodierni Deistæ, qui revelationem rejiciunt : atqui hodierni Deistæ omnia possunt, etc. ; ergo, etc.

Resp. Nego min., quæ sub duplici respectu falsa est. Namque 1.° non ex ratione solâ, sed etiam ex revelatione, legis naturalis præcepta noverunt hodierni Deistæ, quod adeò verum est, ut et ipsi agnoverint revelationis hostes infensissimi : *Je ne sais pourquoi*, inquit *Rousseau*, lettre 3 de la Montagne (note), *on veut attribuer aux progrès de la philosophie la belle morale de nos livres : cette morale, tirée de l'Évangile, était* CHRÉTIENNE *avant d'être philosophique.* Et certè, isti ætatis nostræ Philosophi, neque ingenio Platonem et Ciceronem, neque virtutis amore Socratem et Epictetum vicerunt ; sed felicioribus temporibus nati, beneficio revelationis usi sunt, quam ingrati tam acriter impugnant. Eos dixerim similes his infantibus qui nutrices percutiunt suas, postquàm ex ipsarum lacte vegeti et robusti evaserunt. 2.° Nedùm ea omnia cognoscant Deistæ quæ ad legem naturalem pertinent, ipsi inter se dissentiunt de multis sive dogmatibus, sive officiis. Imò alii cultum externum rejiciunt, alii internum, alii negant virtutis ac vitii discrimen,

alii animæ immortalitatem, alii divinam providentiam. Legatur caput 5 integrum operis toties citati D. *de La Mennais*.

SCHOLIUM.

Etsi contra Deistas *moralem* duntaxat necessitatem revelationis propugnaverimus, ad cognoscenda legis naturalis præcepta, nihilominùs certum est eam *absolutè* necessariam fuisse ad dignoscendum modum quo peccata possunt expiari. Illud enim, cùm à Dei beneplacito et liberâ ipsius voluntate omninò pendeat, nisi eo revelante cognosci potest. Et sanè nullum medium certum peccata expiandi ratio indicat: non quidem gratuitam condonationem, quæ indigna videtur sapientiâ summi Legislatoris, qui imperii sui majestatem et legum vigorem asserere tenetur. Non solam pœnitentiam, cùm dolor commissi criminis, ad illius expiationem non sufficiat, nisi addatur pœna quâ sua servetur legibus auctoritas. Non vitæ emendationem; vitæ enim integritas aliundè Deo debetur, et independenter à peccato commisso præscripta est. Non demùm pœnam ad libitum; siquidem nullâ ratione constabit an Numini læso accepta sit et satisfaciens, præsertìm cùm offensa aliquo sensu sit infinita. Igitur, ex hâc parte saltem, admittenda erit summa et *absoluta* revelationis necessitas.

CAPUT III.

De Inquisitione Revelationis.

Duplex Deistarum error hìc confutandus occurrit, alter Indifferentium, alter Rationalistarum : undè duplex erit hujusce capitis articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

Refellitur Indifferentium systema.

Indifferentes in Religionis negotio ii propriè dicuntur, qui cùm fateantur aliquam necessariam esse Religionem, quænam vera sit inquirere non curant; opinantur enim rem levioris esse momenti quàm ut examen mereatur, vel omnes Religiones esse indifferentes, et pro more patrio sectandas. Error ille, quem hodierni propugnant Deistæ, *indifferentia* seu *tolerantismus* nuncupatur.

Indifferentia seu tolerantismus alius est *theologicus*, alius *civilis*, alius *personalis*. *Theologicus* seu, ut vocant, *doctrinarum*, ille dicitur juxta quem omnes indiscriminatìm Religiones Deo acceptæ haberentur; *civilis* appellatur ille quo Princeps suis subditis permittit ut quam voluerint Religionem sectentur. Porrò hìc non agitur de tolerantismo civili, de quo judicium ferre ad politicos et Principes pertinet; neque de tolerantismo personali; Religio enim præcipit ut eos sincerè diligamus, qui etiam falsam Religionem profitentur. Igitur quæstio est tantùm de indifferentiâ, seu

tolerantismo *theologico* et *doctrinarum*. Quibus prænotatis, sit

CONCLUSIO.

Rejiciendum est Indifferentium systema.

Prob. Illud systema est rejiciendum, quod est Deo injuriosum, homini maximè periculosum, et sibi contradictorium : atquī tale est indifferentium systema. *Major* evidens est; probanda igitur *minor* per partes.

I. Systema indifferentium est Deo injuriosum. Etenim, suppositâ revelatione quâ cultum aliquem determinatum Deus præscripserit; ipse necessariò exigit ut eâ quam revelavit Religionis formâ ab homine colatur : porrò istud Dei præceptum violat et ipsius auctoritatem contemnit indifferens. In illo namque systemate, cuilibet licitum est diversum ab eo quem Deus præcipit cultum amplecti, imò et ipsi prorsùs oppositum; sic, v. g., Christiano homini fas est Christum tanquam Deum Romæ adorare, abjurare Constantinopoli, in Synagogâ ut impostorem detestari : quid autem magis Deo injuriosum? Et verò, impiè de Deo sentit, et summâ injuriâ ipsum afficit, qui putat Deum falsitate et mendacio æquè ac veritate delectari : atqui de Deo ita sentire debent indifferentes; volunt enim nullam esse Religionem quæ Deo grata et accepta non sit : atqui tamen omnes Religiones revelatæ, si unicam excipias, falsæ sint necesse est, cùm in suis dogmatibus sibi invicem opponantur; Christum enim ut Deum venerantur Christiani, ut merum hominem habent Mahumetani, ut impostorem abominantur Judæi; ergo 1.°, etc.

II. Systema indifferentium est homini maximè periculosum. Illud enim systema est homini maximè periculosum, quo semel admisso, homo *scienter* et *temerè* sese exponit periculo omnium maximo : atqui admisso indifferentium systemate, etc. 1.° Sese committit periculo omnium maximo : etenim fieri potest ut Deus quasdam veritates hominibus manifestaverit, præcepta imposuerit, eâ lege ut qui ea credere noluerint, vel adimplere neglexerint, æternis afficiantur pœnis; id sanè non repugnat, aut saltem repugnare nunquàm demonstrabunt indifferentes : porrò si hæc vera sint, quantum ipsis immineat periculum nemo non videt. 2.° Tanto periculo *scienter* sese committit indifferens : ipsi enim occurrit Christiana Religio, quæ docet eos æterna manere supplicia, quia sua dogmata suaque præcepta amplecti recusant : jam verò, etsi daremus Religionem Christianam veram non demonstrari, suâ tamen antiquitate, universalitate, excellentiâ, et in hominum mores mirâ efficaciâ, tot tantosque sibi vindicat verisimilitudinis characteres, ut indifferens omninò sibi persuadere nequeat eam esse evidenter falsam; ergo de suâ æternâ infelicitate dubius saltem remanere debet; idque aliundè satis suo exemplo confirmant increduli, qui hoc dubio, instante morte, se valdè torqueri confessi sunt. 3.° Et tamen tanto discrimini *temerè* sese committunt indifferentes : ideò namque plerique indifferentiam ostentant, ut à plebe secernantur, et famam præcellentis ingenii sibi comparent : atqui hæc agendi ratio illorum stultitiam potiùs demonstrat; dictat enim sana ratio, in dubio tanti momenti, inquirendum esse quâ

parte stet veritas, nimirùm ut graviora devitentur mala, quæ indifferentiam necessariò consequuntur. Vide D. *de La Mennais*, citati operis cap. 8.

III. Systema indifferentium sibi contradicit. Etenim vel unusquisque tenetur amplecti Religionem in quâ natus est, ut volunt nonnulli; vel, ut aliis placet, satis est, omni rejectâ revelatione, soli adhærere Religioni naturali: atqui, in utrâque hypothesi, systema indifferentium sibi contradicit.

1.° Quidem in priori hypothesi. Namque, juxta indifferentes quos hìc impugnamus, quisque debet sincerè profiteri Religionem in quâ natus est: quo posito, sic argumentor: Fieri potest ut Religio in quâ natus sum, falsa sit et absurda; teneor igitur, juxta *indifferentes*, Religionem falsam et absurdam profiteri: atqui illud, in eorum principiis, involvit contradictionem. Namque error, præsertìm in Religionis negotio, homini et societati non est utilis et necessarius, et tamen, juxta ipsos, Religio utilis est et necessaria; ergo illorum systema sibi contradicit. Et verò, qui sincerè aliquam profitetur Religionem, hoc ipso alias repudiat quæ ipsi opponuntur: atqui tamen volunt adversarii ut quisque omnes Religiones habeat indifferentes; ergo iterùm eorum systema sibi contradicit.

2.° Nec minùs sibi contradicit eorum systema, ex hypothesi quòd soli Religioni naturali velint adhærere. Etenim ipsi fatentur aliquam Religionem esse necessariam: atqui tamen eorum systema necessariò tendit ad omnis Religionis subversionem; ergo eorum systema sibi

contradicit. *Prob. min.* Omnis Religio tribus constituitur, dogmatibus nempè, cultu et morum principiis : porrò hæc tria subvertit indifferentium systema. 1. Omnia subvertit dogmata : solemne enim est apud omnes Deistas principium, cuilibet liberum esse suas de Religione opiniones efformare, neminemque teneri admittere dogmata quæ vera esse clarè non percipit ; ergo, si nullius dogmatis veritatem clarè non percipit, omnia rejicere potest, vel ipsam Dei existentiam : atque hinc Bossuetii dictum : *Le déisme n'est qu'un athéisme déguisé.* 2. Subvertit omnem cultum : cultus enim à dogmatibus necessariò derivatur, cùm omninò pendeat ab opinionibus quas de Deo concipimus : sed, ex dictis, systema indifferentium omnia subvertit dogmata ; ergo et omnem cultum. Et reverà, Deistæ hactenùs circa cultum qui Deo exhibendus est, consentire non potuêre. Vide D. *de La Mennais*, cap. 5. 3. Subvertit omnia morum principia : nam, juxta indifferentes, morum principia adeò clara esse debent, ut neminem fugiant : porrò nihil adeò evidens est, nequidem ipsa Dei existentia, quod cupiditatibus et sophismatibus non possit obscurari, ut experientiâ constat : hinc plerique Deistarum eò insaniæ devenêre, ut multa probent quæ rationi benè excultæ et rectis moribus adversantur. Vide D. *de La Mennais*, ibidem ; ergo systema indifferentium omnia morum principia subvertit ; aliundè, etc. ; ergo omnem subvertit Religionem : atqui tamen fatentur indifferentes Religionêm, saltem naturalem, necessariam esse ; ergo iterùm atque iterùm indifferentium systema sibi contradicit.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1.° Illa doctrina non est admittenda, quæ societatem perturbat: atqui doctrina intolerantium, seu eorum qui docent unicam esse veram Religionem, societatem perturbat; ergo, etc.

Resp. Nego min. Illa enim doctrina societatem non perturbat, quæ nullos tumultus, nulla dissidia in societate excitat et fovet, quæque sensibus amoris quibus falsæ Religionis sectatores prosequi debemus, minimè nocet: atqui talis est doctrina quam propugnamus. Etenim 1.° hæc doctrina in eo sita est, ut veræ Religioni exclusivè adhæreamus, et pro virili nostro, non vi nec armis, sed suasione, consilio, adhortatione, oratione et exemplo, alios ad veram Religionem amplectendam incitemus: atqui in hâc agendi ratione nihil deprehendes quod societatis paci vel minimùm nocere possit. 2.° Nec etiam nostra doctrina officit sensibus amoris erga falsarum Religionum sectatores; jubet enim ut errores detestemur, personas verò sincerâ dilectione prosequamur.

Inst. 1.° Intolerantium doctrina tot bellorum civilium causa fuit; ergo doctrina hujusmodi societatem perturbat.

Resp. 1.° præposterè ab incredulis intolerantiæ christianæ tribui rixas, dissensiones et bella quæ societatem turbârunt; nullam enim esse intolerantiam societati magìs nocivam, quàm intolerantia incredulorum, satis superque demonstrant inhumanitatis portenta et furores quibus nostram Galliam depopulati sunt.

Resp. 2.° *Nego ant.* Non diffitemur quidem quandoquè homines abusos fuisse doctrinâ quam

propugnamus, et præcipiti zelo abreptos, sub prætextu Religionis, multa in societatem mala induxisse; sed abusus hujusmodi improbamus; doctrinam verò intolerantiæ theologicæ, qualem exposuimus, solummodò propugnare nostri muneris est. Et verò, si doctrina aliqua rejicienda sit, ex eo præcisè quòd homines eâ abutantur, jam non solùm nulla Religio, sed institutio, quantumvìs utilis, retinenda erit; rebus optimis, libertate, loquendi facultate, etc., quotidiè homines malè utuntur: ideòne sunt hæc reprobanda? *C'est mal raisonner contre la Religion,* inquit *Montesquieu, que de rassembler dans un grand ouvrage, une longue énumération des maux qu'elle a produits, si on ne fait de même celle des biens qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux qu'ont produits dans le monde les lois civiles, la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables:* Esprit des Lois, liv. 1, chap. 2. Prætereà, Religio Christiana, quam impetit proposita objectio, quantumvìs falsarum Religionum intolerans, humanitatem, concordiam, charitatem tota spirat, et suis sectatoribus inculcare aggreditur, quod *Rousseau* ipse agnoscit: *Nos gouvernemens modernes,* inquit, Emilii tom. 3, *doivent incontestablement au Christianisme leur plus solide autorité, et leurs révolutions moins fréquentes; cela se prouve par le fait, en les comparant aux gouvernemens anciens. Ce changement n'est point l'ouvrage des lettres; car partout où elles ont brillé, l'autorité n'a pas été plus respectée.* Iniquum igitur esset Christianæ Religioni tribuere bella et dissensiones quas severè prohibet, et quarum sola

causa fuêre falsæ opiniones, præjudicia, vel hominum cupiditates : et iterùm hìc nobis consentit Genevensis Philosophus : *Examinez*, inquit, Epist. ad D. D. *de Beaumont*, Archiep. Parisiensem, *toutes vos guerres de Religion : il n'y en a pas une qui n'ait eu sa cause à la cour et dans les intérêts des grands. Des intrigues de cabinet brouillaient les affaires, et puis les chefs ameutaient les peuples au nom de Dieu :* tom. 11, p. 118, edit. Lugd.

Cæterùm, de iis quæ speciatìm objiciunt increduli, ex cæde à S. Bartholomæo dictâ, Revocatione Edicti Nannetensis, etc. (quia hæc per singula refellere per tempus non vacat), vide opus cui titulus, *Apologie de Louis XIV et de son conseil*, etc., et, *Défense du Christianisme*, tom. 3, p. 337.

Inst. 2.° Saltem pacem domesticam perturbat intolerantium doctrina. Si enim filii diversam ab eâ quam tenet pater, vel uxor ab eâ quam tenet maritus profiteantur Religionem, necessariò orientur dissidia et rixæ ; ergo filii Religionem patris, et uxor Religionem mariti, absque ullo examine, sequi debent.

Resp. 1.° *Nego ant.* Si qua ex diversitate Religionis in familiam deriventur incommoda, doctrinæ quam defendimus tribui non debent, propter rationes in præcedenti responsione allatas.

Resp. 2.° *Nego cons.* Si enim valeat illud principium, uxorem viri, et filios parentis Religionem sequi debere, ad pacem domesticam servandam, filii Religionem toties mutare tenerentur, quoties mutarent parentes ; mulier verò quæ successivè nuberet viris diversis Reli-

gionibus addictis, diversas illas Religiones profiteri deberet; imò filii et uxor nullam tenerentur sequi Religionem, si parentes nullam haberent, atque atheismum profiteri, si pater atheus sit: atqui hæc certè non admittunt adversarii.

Resp. 3.° Quod additur in objectione, *absque ullo examine uxorem et filios mariti et patris sequi debere Religionem*, illud sanæ rationi adversatur. Ideò enim Deus, suprema veritas, homini rationem impertitus est, ut eâ ad veritatem investigandam uteretur, præsertim in re omnium gravissimâ, quale est Religionis negotium: illud autem agnoscit *Rousseau*, cujus est objectio proposita.

Obj. 2.° Admitti debet indifferentia in Religionis negotio, si impossibile sit veram Religionem à falsis discernere: atqui res ita est; ergo, etc.

Resp. Nego min. Ex dictis enim in probationibus, existunt falsæ Religiones, et unica vera datur Religio: atqui, hoc posito, providit certè Deus optimus et summa veritas, ut certa adessent media, quorum ope homines veram Religionem à falsis secernere possint: *S'il y a vrai et faux*, inquit D. *de Bonald, dans les diverses Religions, peut-on supposer en bonne philosophie, que l'Etre qui est l'intelligence et la vérité suprême, ait refusé aux hommes, êtres intelligens aussi, capables de connaître et de choisir..., tout moyen de distinguer le vrai et le faux, dans les rapports qu'ils ont avec lui?* OEuvres de M. de Bonald, tom. 10, page 268.

Inst. 1.° Ut vera Religio à falsis discerni pos-

sit, omnes Religiones expendere necesse est; inquirendum est de authenticitate et veritate monumentorum quæ in suî gratiam profert unaquæque Religio; legendi sunt omnes libri; audiendi omnes Doctores omnium Religionum; linguæ omnes addiscendæ; imò regiones omnes peragrandæ; vix enim aliter Religiones peregrinæ apprimè cognosci possunt: atqui hæc omnia non solùm plebeiis, sed etiam peritioribus sunt impossibilia; ergo, etc. Ita *Rousseau*, *Fréret*.

Resp. Nego maj. Evertit enim omnem Religionem, etiam naturalem, omnia scientiarum principia. Quippe si de re omni de quâ disputatur, nullum possumus certum ferre judicium, nisi priùs omnes quæ hinc et indè afferuntur rationes expenderimus, altercantes audiverimus, illorum libros legerimus, etc., nemo Deum unum, discrimen inter bonum et malum, animæ immortalitatem admittere poterit, nisi priùs polytheistarum, Epicureorum et Materialistarum libros legerit, et eorum Doctores audierit; nemo etiam scientiarum principia, facta notissima admittere poterit, nisi cum omnibus Pyrrhoniorum magistris disseruerit, eorumque scholas frequentaverit. Uno verbo, nihil erit certum in rebus humanis; quod tamen non volunt adversarii. Igitur, ut alicui Religioni prudenter assentiamur, necesse non est cunctas Religiones expendere, sed sufficit ut de unius veritate nobis constet; quâ certò compertâ, statìm absque ulteriori examine, concludere tutò possumus falsas esse omnes alias quæ ipsi opponuntur; neque enim veritas veritati opponi potest.

Inst. 2.° Atqui saltem imperitis et illiteratis, quibus componitur humana societas, constare non potest veram esse quam sequuntur Religionem; nam ad hoc requireretur, 1.° ut cognoscerent momenta quæ suam Religionem stabiliunt; 2.° ut certò judicare possent de illorum momentorum certitudine; 3.° ut ex his semel cognitis et ritè perpensis, facilè concludere possent suam Religionem esse veram: atqui hæc tria rudibus et illiteratis sunt impossibilia; ergo, etc.

Resp. 1.° argumentum istud contra adversarios militare; volunt enim Religionem societati et præsertim plebi esse necessariam; ergo vel adsunt media facilia, quorum ope, etiam ab imperitis vera dignoscatur Religio; vel dicendum Religionem falsam aut nullo momento firmam, esse plebi et societati necessariam: atqui posterius sensui communi repugnat; ergo, etc.

Resp. 2.° *Nego subsumptum*; ad cujus probationem, *Nego min. quoad omnes suas partes.* Et 1.° quidem supposito quòd Christiana Religio vera sit, ut deinceps demonstrabimus, potest Christianus quilibet cognoscere momenta seu facta quibus illa Religio comprobatur. Ea quippe alia non sunt quàm præcipua Evangelii facta, Christi scilicet nativitas, adoratio à Magis, vitæ sanctitas, prædicatio, prodigia splendida, mors, resurrectio, in cœlos ascensio, Apostolorum missio, delapsus Spiritûs Sancti, donum linguarum ac miraculorum, mirabilis Evangelii propagatio: atqui facta hæc etiam indoctis nota sunt. Vix balbutientibus pueris ea tradunt nutrices et parentes; deindè confirmant

Catechismus, Symbolum Apostolorum, publica Evangeliorum lectio, Pastorum Ecclesiæ documenta; facta hujusmodi quilibet Christianus videt et quasi palpat, in celebratione festorum, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, in templis in honorem Christi et Sanctorum erectis, in crucibus, imaginibus sculptis vel depictis, etc.; ergo 1.° facilè cognosci possunt facta quibus nititur Christiana Religio.

2.° Facilè cognosci potest illorum factorum veritas. Quis enim non intelligit facta hujusmodi, si contigerint, fuisse notoria et publica, nusquàm proindè à coætaneis admittenda, si falsa fuerint; è contrà vera fuisse, si à pluribus testibus constanter sint promulgata, à numerosâ societate semper credita, et monumentis consignata : atqui rem ita se habere absque ullâ disquisitione ipsa docet notorietas; suis enim quisque oculis videt innumeram *credentium factis* multitudinem, quæ non potest aliam quàm factis ipsis coætaneam habere originem; videt Evangelia ab eâdem societate unanimi et constanti consensu recipi; videt celebrari festa, cæremonias usurpari, quæ nonnisi propter factorum fidem institui ac recipi potuerunt; monumenta frequentat, Apostolorum scilicet et Martyrum Basilicas, qui eorumdem factorum veritatem suo sanguine consignàrunt; videt gentes innumeras hisce factis olim credidisse, et illorum veritate permotas, suam deseruisse Religionem. Vel nihil certum est in rebus humanis, vel hæc omnia paululùm attendentis rapiant assensum necesse est. Hinc notum illud Genevensis : *Les faits de Socrate, dont personne ne doute,*

sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ.

3.° Facilè etiam ex his factis concludi potest veram esse Christianam Religionem : namque, positâ veritate eorum quæ de Christo et Apostolis, de exordio et propagatione Religionis perhibentur, nemo est qui non intelligat Christianam Religionem à Deo solo esse posse, cùm miracula quibus hæc fulcitur Religio, vox Dei sint, doctis et indoctis intellectu facilis.

Inst. 3.° Tanta est quorumdam ingenii imbecillitas, ut vim argumentorum quibus comprobatur vera Religio sentire non valeant; ergo respectu illorum licita erit indifferentia.

Resp. 1.° Paucos reperias adeò idiotas, ut illorum argumentorum vim non sentiant, si nitidè et modo eorum captui accommodato eis exponantur, et aliundè attentum, ut valent, animum afferant. Non ita certè hebetes sunt in rebus temporalibus, ut experientiâ constat. Si igitur in Religionis negotio ignari inveniuntur, sæpè in causâ est illorum negligentia in iis addiscendis quæ ad Religionem pertinent, ac proindè ignorantia illorum tunc culpabilis est reputanda.

Resp. 2.° *Nego consequent.* Si enim quidam Christiani ita idiotæ reperiantur, ut veram Religionem à falsis distinguere non valeant, id unum sequitur, nempè illos ad infantium classem esse revocandos, ac proindè damnandos non esse præcisè ex eo quòd Religionem Christianam non didicerint; imò nec ab æternâ mercede esse excludendos, modò præcepta sibi cognita graviter non violaverint, et auxiliis à Deo sibi collatis benè usi fuerint. Cæterùm, quod sedulò notandum est, difficultas in quâ versari suppo-

nuntur illi idiotæ veræ Religionis cognoscendæ, Religioni tribui non debet, quasi insufficientia sint illius momenta ut ipsi prudenter adhærere possint homines; sed illud ex istorum ingenii tenuitate vel negligentiâ duntaxat provenit. Vide insuper. *Pensées de Pascal*, art. 6.

Inst. 4.° Infideles quibus ab Evangelii præcone, homine extraneo et ignoto, dogmata Religionis Christianæ credenda proponuntur, nullo sufficienti motivo adduci possunt ut prudenter assentiant; ergo ipsis licita erit indifferentia.

Resp. Nego ant. Quod falsum esse demonstrat experientia. De facto enim constat, gentes permultas ad vocem quorumdam præconum Evangelii, Religionem Christianam, relictis suis idolis, amplexas fuisse. Quo posito, sic argumentor: Vel Gentilium ad Christianam Religionem conversio naturaliter facta est, vel supernaturaliter, seu à Deo; si prius, nulla igitur est prætensa hæc impossibilitas; si posterius, ergo illa Religio vera est et divina.

Resp. 2.° *directè*. Infidelibus non desunt motiva sufficientia ut prudenter adhæreant Religioni Christianæ quæ ipsis annuntiatur. Etenim Evangelii præcones, cùm primùm ad eos accedunt, hanc adhibent methodum: statim incipiunt ipsis evolvere prima legis naturalis principia, quæ licèt hominum naturæ, sensui morali ac rationi tam consona, gentibus ignota sunt, ut plurimùm, aut confusè admodùm nota; deindè postquàm iis demonstraverint quàm ridicula sit deorum pluralitas, unius Dei fidem stabiliunt. Ita Athenienses docuit S. Paulus, Act. 17. Quo posito fundamento, facile

est Evangelii præconibus necessitatem alicujus revelationis probare, quæ homines certò dirigat; et indè progredi ad illius desiderium in auditoribus excitandum; quod si concipiant, pro datâ opportunitate, varii explicantur gradus quibus illuxit revelatio, ut tandem ad eam deveniant quam Christus tot tantisque miraculis confirmavit. Porrò ex his non difficilè concludere possunt infideles, præcones Evangelii nec esse deceptos, nec velle eos decipere; facilè enim existimant doctrinâ et sapientiâ præcellere homines, qui tam disertè de lege naturali loquuntur. Si verò attendant viros illos patriam suam deseruisse, et nullo alio motivo sese commisisse periculis, nisi ut ignotos extraneos veræ beatitudinis viam edoceant; tandem huic ministerio mores illorum sanctissimos consonare, quomodò in illis vel fraudem aut enthusiasmum suspicari poterunt? Verùm multùm crescet Evangelii præconum auctoritas, si suæ doctrinæ, prudentiæ et sanctitatis socios habeant, qui facta relata suo testimonio confirment; si agatur de populis quos frequentare solent Europæi è diversis regionibus, qui factis à præcone evangelico relatis testimonium perhibeant; si Deus donum miraculorum suo præconi concedat, ut patet præcipuè ex missione S. Francisci Xaverii apud Indos; si tandem doctrinam quam prædicant sanguine obsignent suo. Cæterùm, faciliùs evanesceret objectio proposita, si occultæ providentiæ media cognosceremus, quibus Deus intùs operatur, cogitationes hominum excitat, dirigit, adjuvat, mentem scilicet applicando motivis quæ proponuntur, obices avertendo qui à veritate assequendâ eam impedirent,

impedirent, et suppeditando aptiora auxilia, quorum ope veritas percipi et diligi possit. Vide Censuram Emilii, in 31 et 33 prop.

ARTICULUS II.

Impugnatur Rationalistarum methodus in inquisitione Revelationis.

Deistæ nonnulli qui *Rationalistæ* dicuntur, cùm ipsis proponitur aliqua Religio tanquam à Deo revelata, priùs expendere volunt an ipsius dogmata consentiant rationi, an ipsi repugnent. Ita se gerunt ut Christianam Religionem, quantumvis splendida sint momenta quibus fulcitur, respuere valeant, sub eo prætextu quòd plura ipsius dogmata rationi conformia minimè videantur. Religio absurda, inquiunt, non potest à Deo revelari : atqui Religio Christiana in multis capitibus, v. g., de peccato originali, Trinitate, Incarnatione, etc., absurda est et rationi adversa ; ergo Religio Christiana non est à Deo revelata.

Huic methodo diversam opponunt Christiani : Religio absurda, inquiunt, non potest à Deo revelari : atqui Religio Christiana à Deo revelata est, ut constat ex innumeris credibilitatis motivis ; ergo, etc. Hinc patet in quo Rationalistarum methodus à nostrâ differat ; itaque sit

CONCLUSIO.

Quandò proponitur aliqua Religio tanquam à Deo revelata, priùs expendendum non est utrùm ipsius dogmata rationi consentiant, vel repugnent; sed inquirendum est an sit revelata, seu an motiva credibilitatis, nempè facta, testimonia, miracula quibus innixa dicitur revelatio, efficacia sint ad ipsius existentiam comprobandam.

Prob. Ea methodus in inquirendà revelatione rejicienda est, quæ Deo est injuriosa et homini periculosa; ea verò admittenda, quæ naturæ veritatis inquirendæ congruit, et quæ facilior est simul et brevior: atqui methodus Deistarum quam impugnamus, est Deo injuriosa, et homini periculosa; nostra verò naturæ veritati inquirendæ congruit, et simul facilior est et brevior.

1.° Methodus Deistarum, etc. 1. Est Deo injuriosa: qui enim juxta rationis suæ normam quæ Deus revelaverit vult expendere, ea respuere paratus quæ suæ rationi contraria viderentur, divinæ scientiæ et omnipotentiæ ponit limites, cùm hoc ipso declaret Deum non cognoscere, vel revelare non posse ea quæ supra rationem posita sunt. 2. Homini periculosa: ipsum enim exponit evidenti periculo respuendi, tanquam non revelatam, Religionem verè divinam; nemo quippe nescit quàm facilis et pronus sit in errorem descensus, in iis investigandis quæ rationis captum superant, cujusmodi sunt multa dogmata à Deo revelata.

2.° Quam proponimus methodus, sola naturæ veritatis inquirendæ congruit, facilior

est ac brevior. 1. Naturæ veritatis inquirendæ congruit : nam revelatio est factum, et quidem à liberâ Dei voluntate omninò dependens: atqui factorum veritas ex testimoniis extrinsecis, non verò ex argumentis metaphysicis demonstratur. Et verò, potest Deus mysteria seu veritates rationi inaccessas hominibus revelare, ut suprà probavimus : atqui ridiculum foret veritates rationi impervias ad rationis tribunal et judicium deferre. 2. Facilior est : quæstionem enim reducit ad examen factorum quorumdam quæ sunt splendida et omnibus obvia, dùm methodus Deistarum exigit metaphysicas discussiones et ratiocinia valdè abstrusa, quorum incapaces sunt rudes et imperiti, qui maximam hominum partem constituunt. 3. *Brevior* est : nam ubi semel stabilita sunt motiva credibilitatis, ab omni studio et inquisitione supersedere licet, cùm Deus nec falli nec fallere possit : è contrà juxta methodum oppositam, semel detectâ convenientiâ revelationis cum ratione, si illud foret possibile ,. ulteriùs procedendum erit ad examen motivorum credibilitatis quæ revelationem adstruunt ; ex eo quòd enim aliquid rationi non repugnat, non sequitur à Deo fuisse revelatum, ut evidens est.

Obj. Si Revelatio testimoniis extrinsecis, non ratiociniis sit expendenda, ergo peccabant primi Religionis Christianæ apologistæ, cùm Paganismi falsitatem ex ratione demonstrare aggrediebantur ; porrò quis dixerit SS. Patres qui tantâ doctrinâ claruerunt, legitimam methodum ignorasse, juxta quam expendenda sit Religio.

Resp. Nego consequent. Etenim ea quam statuimus methodus, locum non habet ubi agitur

de Religione quæ ita apertè præ se fert falsitatis characteres, ut ipsius absurditas oculos statim percellat, qualis est idolorum cultus ; hujusmodi enim Religio nullis inniti potest argumentis externis quæ efficacia sint, fidemque mereantur ; statim igitur repudianda est sine ulteriori discussione.

COROLLARIUM.

Ergo ubi agitur de aliquo mysterio Religionis Christianæ, viâ auctoritatis *seu testimonii inquirendum est an mysterium existat, neglectis difficultatibus quæ*, ex ratione, *contra illius possibilitatem ab incredulis opponi possent.*

Nam, ex unâ parte, sola via auctoritatis seu testimonii, solum medium est ad ea dignoscenda quæ rationis captum superant, ut probavimus ; ex alterâ parte, ubi viâ auctoritatis compertum est Deum hoc vel illud mysterium revelasse, tam impossibile est mysterium rationi repugnare, quàm Deum falli aut fallere posse ; spretis igitur quæ à ratione suggeri possent difficultatibus, soli auctoritati adhærendum est. Quonam autem medio quibusve modis de existentiâ revelationis constare possit, sequenti capite expendemus.

CAPUT IV.

De Notis seu Characteribus quibus Revelatio hominibus certò innotescere potest.

Constat, ex dictis, possibilem esse revelationem, seu Deum posse hominibus manifestare veritates plurimas, etiam supra rationis captum positas, quorum fidem ab ipsis exigat; et uti ministerio quorumdam hominum ad eas veritates alias manifestandas : porrò ut de divinâ revelatione certò constet, notæ seu signa quædam necessaria sunt, quibus prudenter judicari possit Deum *locutum* fuisse. Illæ autem notæ duplicis sunt generis, aliæ *negativæ*, aliæ *positivæ*. Nota revelationis *positiva* definitur, character sensibilis, ex cujus præsentiâ concluditur revelationis veritas seu divinitas; nota *negativa* dicitur, character ex cujus absentiâ alicujus revelationis concluditur falsitas.

Notæ *negativæ* istæ sunt : 1.° ut doctrina quæ tanquam revelata profertur, non sit evidenter absurda; quod enim absurdum est, à Deo revelari nequit, ut patet. 2.° Ut neque sibi ipsi, neque revelationi anteà factæ repugnet; Deus quippe nunquàm sibi contradicere potest. 3.° Ut doctrina quæ revelata exhibetur, plurimùm valeat ad promovendum Dei honorem, et hominum mores componendos; non enim alium finem Deus sibi proponere potest, in solemni alicujus revelationis promulgatione, de quâ solâ hìc agitur. 4.° Decet ut qui ministri sunt promulgandæ revelationis, magnam præ se ferant

pietatis in Deum, charitatis in proximum, et virtutum omnium speciem; licèt enim impios ad veritatis manifestationem cogere possit Deus, verisimile non est ab ipso seligi improbos homines, quos suæ voluntatis nuntios ac sanctitatis præcones efficiat.

Verùm illæ et similes notæ, sunt tantummodò conditiones sine quibus nulla est vera revelatio; at ex eorum præsentiâ concludi nequit revelationis veritas, nisi insuper adsint notæ positivæ, quæ motiva credibilitatis vocantur, *miraculum* nempè et *prophetia*, de quibus distinctis articulis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Miraculis.

Præsentem de miraculis quæstionem independenter à revelatione et, quantùm fieri poterit, ab opinionibus Theologorum tractandam aggredimur, tum quia instituti nostri ratio postulat ut rem agamus cum solis Deistis, qui revelationem non admittunt; tum quia brevitati et perspicuitati consulere cupientes, ea prætermittenda duximus quæ minimè necessaria sunt ad comprobandam revelationem, quales sunt scholasticæ Theologorum disceptationes circa miracula. Quapropter quatuor paragraphis complectemur quæ de miraculis dicenda occurrunt: agemus in 1.° de definitione miraculi, in 2.° de illius possibilitate, in 3.° de possibilitate certitudinis miraculi, in 4.° tandem de vi probante miraculorum.

§ I.

Quid sit Miraculum.

Miraculum definitur, *Effectus sensibilis derogans ordini consueto naturæ corporeæ.*

Dicitur 1.°, *effectus sensibilis*, ut innuatur ea quæ in ordine spirituali contingunt et exteriùs non patent, non esse propriè miracula de quibus hìc agitur. Etenim ea tantùm in præsenti consideramus tanquam signa revelationis : porrò cujuscunque rei signum, sensibile esse debet.

Dicitur 2.°, *derogans ordini consueto naturæ :* jam verò per ordinem naturæ consuetum, intelligimus leges constantes et uniformes, juxta quas Deus regit orbem universum. Cùm autem miraculum dicitur derogatio ordini seu legibus naturæ, non intelligendum est, per miraculum subverti totum naturæ ordinem, seu derogari omnibus legibus naturæ, sed quibusdam duntaxat. Sic, v. g., si mortuus resurgat, non ideò suspenditur motus telluris et planetarum, plantarum vegetatio, etc. Neque etiam putandum est leges quibus derogatur, totaliter suspendi, sed pro tali casu speciali : sic ex eo quòd amnis fluere cesset, vel retrorsùm abeat, non suspenditur aquarum aliorum fluminum gravitatio. Imò nec necessariò supponendum est legem ipsam cui derogatur, suspendi quoad potentiam, sed solummodò quoad effectum : undè, v. g., si lapis projectus in aere sistat, vim gravitatis non amittit, sed illius effectus vi majori suspenditur.

Dicitur 3.°, *naturæ corporeæ*, quibus vocibus

significantur res omnes corporales et visibiles.

Hæc porrò definitio legitima est; constat enim, ut aiunt, genere proximo et differentiâ specificâ : genere quidem proximo, cùm miraculum, quatenùs est effectus sensibilis, cum aliis effectibus sensibilibus conveniat; differentiâ verò specificâ, siquidem, quatenùs miraculum derogare dicitur ordini consueto naturæ, differt tum à stupendis quibusdam effectibus quos aliquandò homines possunt producere, tum à phænomenis naturæ insolitis quæ interdùm contingunt, tum ab ipsâ creatione, quæ propriè miraculum dici nequit, cùm sit in ordine consueto divinæ providentiæ. Et reverà, nullus proferri potest effectus, qualis modò à nobis descriptus est, qui ab omnibus non admittatur ut miraculum.

SCHOLIUM.

Quam mox attulimus miraculi definitio, præscindit, ut patet, à causâ efficienti miraculorum, de quâ, ut potè merè theologicâ, alibi opportuniùs disserendum est. Nempè utrùm soli Deo reservari debeat miracula efficiendi potestas, an verò ad Angelos, præsertìm malos, extendi debeat, quæstio est expendenda ad normam revelationis, ex quâ solâ existentiam et vires Angelorum certò cognoscimus. Plures aliæ circumferuntur in scholis miraculi definitiones, quæ hodiè ab omnibus Philosophis et Theologis exploduntur, in quibus proindè exponendis, multò magis refellendis, non immorabimur. De opinione tamen singulari Huttevillii pauca hæc subjicere abs re non erit.

Itaque censuit eruditissimus Abbas Hutte-

villius, miraculum esse effectum rarum, stupendum et ex incognitis naturæ legibus dimanantem. Sic autem suam opinionem explicat. Cùm Deus naturæ leges instituere secum deliberavit, non solùm ad ordinem physicum attendit, sed etiam ad ordinem moralem et seriem eventuum quibus erat aliquandò confirmanda vera Religio; et idcircò decrevit ut ex iisdem legibus generalibus quædam fluerent phænomena, quæ præcipuè ad instituendam et conservandam Religionem erant necessaria, quales sunt illi effectus stupendi qui miracula dicuntur. Nec ideò tamen, quod sedulò notandum est, in hâc opinione tota probandi vis miraculis detrahitur; namque ut miraculum vim probantem retineat, sufficit ut haberi possit tanquam Dei testimonium : atqui in sententiâ Huttevillii miraculum haberi potest tanquam Dei testimonium; Deus enim leges naturæ non ita disposuit ut effectum hujusmodi producerent, nisi ad confirmandam doctrinam cujuscum prædicatione concurrit; et cùm effectus ille oriatur, ex hypothesi, ex legibus homini planè incognitis, eamdem ad credendam doctrinam cui talis effectus conjungitur, propensionem experimur, perindè ac si vera esset legibus naturæ derogatio.

§ II.

De Miraculorum Possibilitate.

Miracula ipsimet Deo possibilia esse negavit Spinosa in suo Tractatu *theologico-politico*. Spinosam secuti sunt *Voltaire*, *Hume*, *Bolingbroke*, etc. : contra quos sit

CONCLUSIO.

Miracula sunt possibilia.

Prob. 1.° *Ex consensu omnium populorum.* Nullus enim est ferè populus qui, ut suæ Religioni fidem et auctoritatem conciliaret, in ipsius confirmationem facta esse miracula non contenderit : atqui prius est miracula credere possibilia, quàm ea sibi vindicare ; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ratione.* In tantùm miracula possibilia non forent, in quantùm vel in seipsis repugnarent, vel iis producendis repugnarent attributa divina : atqui neutrum dici potest. Non 1.um : namque illud meritò alicui rei repugnare dicitur, quod ipsius rei essentiæ adversatur, quod simul supponit esse et non esse: atqui nihil tale in miraculo reperitur. Sic, v. g., si cursus solis aliquandiù suspendatur, semper idem sol remanet, easdemque ac anteà servat proprietates essentiales ; si mortuus ad vitam revocetur, idem semper homo est : suspensio quidem cursus solis, mortui resurrectio, stupendum quidpiam menti exhibent, nihil verò contradictorium : solem quippe sistentem, mortuumque redivivum concipimus ; ita Em. Card. *de La Luzerne*, 2. Dissert. sur la Religion, 1. part, chap. 1, n.° 7 ; ergo 1.° miracula in seipsis non repugnant.

2.° Nec etiam iis producendis repugnant divina attributa. Si qua enim attributa divina miraculis repugnarent, vel Dei potentia, vel sapientia, vel immutabilitas : atqui nihil horum dici potest. 1. Non Dei omnipotentia : id enim omne potest Deus, quod non repugnat : atqui,

ex probatis, non repugnant miracula. 2. Neque divina sapientia : quin è contrà ipsi maximè congruunt miracula, cùm sint media ad suam voluntatem, ubi Deus voluerit, promulgandam maximè efficacia, et omnibus accommodata. 3. Neque etiam immutabilitas : siquidem Deus ita leges naturales, juxta quas orbem erat moderaturus, instituit, ut simul quosdam casus speciales præviderit, in quibus voluit hisce legibus derogari : atqui in eâ rerum dispositione, non magìs mutabilitatis arguendus est Deus, quàm Princeps qui tempore quo legem aliquam instituit, decernit simul se nolle in tali vel tali casu obligare ; ergo 2.°; aliundè, etc. ; ergo, etc.

Accedit confessio ipsius Sophistæ Genevensis, quantumvìs miraculorum hostis infensissimi : *Dieu peut-il faire des miracles, c'est-à-dire, peut-il déroger aux lois qu'il a établies ? cette question, sérieusement traitée, serait impie, si elle n'était absurde : ce serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négativement, que de le punir : il suffirait de l'enfermer.*

Obj. 1.° cum Spinosâ : Leges naturæ sunt ipsamet Dei decreta, et ab ipsius voluntate non distinguuntur : atqui voluntati divinæ derogari non potest ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Leges enim naturæ positæ sunt à voluntate Dei ; ergo ab ipsâ tantùm distinguuntur, quantùm effectus à causâ. Præterea, per miraculum non derogatur voluntati divinæ, ut supponit *minor*, cùm è contrà miraculum sit effectus ipsius voluntatis, quâ Deus pro tali casu legibus naturæ exceptionem apponere decrevit, ut dictum est.

Obj. 2.° *Un miracle*, inquit Voltarius, *est la violation des lois mathématiques, divines, immuables. Par ce seul énoncé, un miracle est une contradiction dans les termes : une loi ne peut être à la fois immuable et violée*; ergo, etc.

Resp. falsam esse et ineptam miraculi definitionem ; quis enim nesciat non legibus mathematicis sed physicis orbem universum administrari : porrò leges illæ physicæ sunt quidem *divinæ*, id est, à Deo institutæ, proindèque hoc ipso potest Deus, jure cuilibet Legislatori proprio, ipsis derogare. Sunt etiam *immutabiles*, respectu creaturarum, non respectu creatoris, à quo omnia pendent. Demùm, sunt *æternæ*, eo sensu quòd earum institutionem Deus ab æterno liberrimè posuit, et simul illarum derogationem decrevit.

§ III.

De possibilitate Certitudinis Miraculi.

Contendunt Deistæ quidam cum Cive Genevensi, eam esse naturam miraculorum, ut de illorum existentiâ certitudo neutiquàm haberi possit. Priusquàm hic error refellatur, quædam sunt observanda.

Observ. 1.° hìc nobis supponi quod à Philosophis exponi solet, relationem sensuum et testimonium hominum, si debitis conditionibus vestiantur, omnimodam parere certitudinem.

Observ. 2.° miraculum duplici sub respectu considerari posse, vel in se, seu quoad substantiam physicam, vel respectu causæ efficientis, seu quoad modum quo effectum est. Porrò evidens est quæstionem non esse de miraculo sub

posteriori respectu spectato ; cùm enim modus ille sit invisibilis, de eo judicare sensus non possunt, haberique nequit testimonium. His præmissis, sit

CONCLUSIO.

Non minùs constare potest de Miraculis, quàm de aliis factis merè naturalibus.

Prob. 1.° *Auctoritate.* Nullus fuit populus qui in gratiam suæ Religionis, ficta aut vera miracula edita fuisse ex solo hominum testimonio non crediderit ; ergo humano generi persuasum est, viâ testimonii certitudinem miraculorum non secùs ac factorum naturalium haberi posse.

Prob. 2.° *Ratione.* Etenim ad hoc sufficit ut testes miraculorum non fuerint decepti, nec deceptores : atqui utrumque constare potest. 1.° Quidem constare potest testes miraculorum non fuisse deceptos : testes enim miraculi de illo tam certi esse possunt, ex relatione sensuum, quàm si ageretur de facto merè naturali ; namque miraculum tribus constituitur, duobus scilicet factis naturalibus, et conclusione ex his evidenter deductâ. Sit in exemplum mortui resurrectio : miraculum istud in duobus consistit factis naturalibus, nempè morte præteritâ hominis, et ejusdem vitâ præsenti, ex quibus evidenter infertur illum ad vitam revocatum fuisse. Porrò utrumque factum, mors præterita, et vita præsens ejusdem hominis, relatione sensuum constare potest : mors præterita, ex statu cadaveris, v. g., quod à pluribus diebus jam fetebat ; vita præsens, si defunctus surgens è

tumulo, amicos alloquitur, domum revertitur, cibum sumit, et solita gerit negotia; ergo 1.°, etc. 2.° Pariter constare potest testes miraculi non fuisse deceptores, cùm scilicet illorum testimonium ejusmodi est, quod omnimodam fidem faciat, v. g., si miraculum sit publicum, et illius testes plurimi fuerint; si absque ullo motivo commodi temporalis, imò contra proprium commodum constanter et uniformiter miraculum referant; si facilè à coætaneis mendacii redargui potuissent, etc.; ergo 2.°

Obj. 1.° cum auctore *Cogitationum philosophicarum:* Miraculum, v. g., mortui resurrectio repugnat experientiæ ordinis physici, juxta quam mortui non resurgunt; ergo physicè est impossibilis: atqui quod physicè est impossibilis, nullo testimonio probari potest; ergo, etc.

Resp. Nego ant. prioris argumenti. Miraculum repugnat experientiæ ordinis physici, si ab auctore hujus ordinis ipsi non derogetur, *conc.*; si derogetur, *nego.* Verum est quidem miraculum experientiæ ordinis physici repugnare, eo sensu quòd nulla sit in naturâ corporeâ vis sufficiens ad miraculum producendum: illud libenter fatemur, cùm miraculum, ex definitione, constanti ordini naturæ corporeæ sit derogatio; undè quandiù non fit derogatio hæc, physicè certi sumus abesse miraculum. Sed, ex jam probatis, auctor ordinis physici potest, si velit, aliquandò huic ordini derogare; igitur eò quæstio reducitur, an reverà contigerit talis derogatio: porrò de facto hujusmodi, sicut de facto merè naturali, haberi potest testimonium seu certitudo moralis, ut probavimus. Uno verbo, ex certitudine physicâ novimus non

adesse miraculum, v. g., mortuum non resurrecturum, si Deus illum à mortuis non revocaverit; ex certitudine verò morali, cognoscimus mortuum ad vitam revocatum fuisse : jam verò inter utrumque ne umbram quidem repugnantiæ ostendere possunt Deistæ; ergo, etc.

Inst. 1.° cum eodem : *Tout Paris m'assurerait qu'un mort vient de ressusciter à Passy, je n'en croirais rien. Qu'un historien nous en impose, ou que tout un peuple se trompe, ce ne sont point des prodiges;* ergo, etc.

Resp. 1.° illud argumentum merum esse sophisma; in æquivoco enim ludit auctor : generaliter quidem et absolutè possibile est historicum decipere, et homines falso rumore decipi : de hoc non agitur; sed quæstio est utrùm fides sit adhibenda facto miraculoso, cujus testes dotibus requisitis vestiuntur, scilicet qui nec decepti sunt, nec deceptores : porrò tales esse posse testes qui miraculum referunt, jam probatum est.

Resp. 2.° Falsum est quod addit auctor, nempè miraculum non esse quòd decipiatur populus totus circa mortui resurrectionem; hæc enim hypothesis tam grande esset miraculum, quàm ipsa mortui resurrectio. Vel enim supponitur populum totum circa mortui resurrectionem decipi posse, vel decipere velle : atqui in utroque casu magnum foret miraculum : in priori quidem, cùm leges omnes physicas interverti necesse sit, ut populus totus circa factum quod videt, audit et palpat, decipiatur. In posteriori etiam : nam conspiratio ad decipiendum facta à numerosâ gente, quorum plures sibi invicem ignoti, præjudiciis, studiis, cupiditatibus commodisque sunt diversi, tam legi-

bus ordinis moralis adversatur, quàm mortui resurrectio legibus ordinis physici; ergo in factâ hypothesi tot forent miracula, quot sunt miraculi testes decepti vel deceptores : *Et voilà comment*, inquit illust. Episcopus Hermopol., *pour vouloir rejeter le miracle unique de la résurrection* (supposé qu'il y ait trois cents témoins), *on est forcé d'admettre trois cents miracles, tout autant que de témoins : c'est-à-dire que, pour ne pas être croyant, on tombe dans le dernier excès de crédulité.*

Inst. 2.° Testatur experientia difficilius esse fidem adhibere miraculis, quàm factis naturalibus ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Fatemur quidem homines, ubi agitur de credendis miraculis, magìs rigorosè exigere motiva certitudinis, idque meritò, tum quia miraculum ordinariè majoris est momenti, præsertìm in suis consecutionibus, quàm factum merè naturale; tum quia communiùs erratur circa res quæ extra ordinem consuetum naturæ positæ sunt : sed ubi adsunt certa credibilitatis motiva, scilicet ubi certum est testes nec deceptos nec deceptores fuisse, difficiliùs non creduntur miracula, quàm naturalia facta. Verbo dicam, mera probabilitas sufficit ad credendum factum naturale, dùm, ad credendum miraculis, requiritur omnimoda certitudo.

Inst. 3.° Omni ætate, et apud omnes populos, semper exstiterunt qui populum falsis miraculis deciperent ; ergo admodùm prudens est pro omnibus quæ referuntur miraculis suspendere assensum.

Resp. Nego consequent. Si ex eo quòd falsa referuntur miracula, vera non sunt admittenda,

pari jure inferendum esset fidem adhibendam non esse factis historicis, etiam certissimis, ex eo quòd quædam sint falsa ; pariter monetam nullam ut sinceram habendam esse, quia adulterina circumfertur : porrò quis hæc nisi insanus admiserit ? Itaque id unum ex illâ fraudis et fanatismi suspicione concludendum est, nempè miracula quæ in gratiam alicujus Religionis proferuntur, exploranda esse juxta legitimas critices regulas, quas si patiantur, admittenda ; sin minùs, repudianda.

Obj. 2.° Ut certi esse possemus de existentiâ miraculi, necesse foret ut omnes naturæ leges cognosceremus; forsan enim effectus qui ut miraculosus creditur, est effectus merè naturalis legum nobis incognitarum.

Resp. Nego ant. Ut enim certò sciamus aliquam legem civilem violatam fuisse, sufficit ut ea lex certò nobis sit cognita, licèt omnium legum collectionem ignoremus ; ita et à pari, ut certi simus adesse miraculum, satis est ut apprimè cognoscamus legem aliquam naturalem, cui evidenter derogatum fuerit. Ratio est quòd systema seu complexio legum naturalium quibus universus orbis regitur, sibi perfectè constat; ac proindè quod uni legi repugnat, non potest esse effectus alterius legis nobis incognitæ.

Cæterùm, quia eamdem difficultatem urgent adversarii, hæc annotanda sunt, veluti totidem solutionum principia, quibus omnes præscinduntur objectiones.

1.° Miraculum duplici sub respectu considerari potest, vel in ordine physico, quatenùs est derogatio legibus naturæ ; vel in ordine morali, in quantùm est effectus insolitus spec-

tatores vividè commovens, et adjunctam habens propensionem ad adhærendum doctrinæ quam confirmat: porrò etsi fateremur aliquandò difficile esse miraculum, sub priori respectu spectatum, ab effectu naturali secernere, non item sub secundo; non enim permittet divina veracitas et providentia, ut circumstantiæ occurrant in quibus homines ad effectum merè naturalem eam propensionem experiantur; tunc enim Deus permitteret ab impostore simulari sigillum suæ voluntatis, quod omnes, exceptis Deistis, in miraculo agnoscunt.

2.° Etsi miraculum foret effectus naturalis legum planè homini incognitarum, cùm miraculi certitudinem hìc non consideremus, nisi in ordine ad probandam revelationem, id est, nisi quatenùs efficitur in gratiam alicujus doctrinæ, quæ ut divina proponitur, et cujuscum prædicatione concurrit miraculum, evidens est quòd thaumaturgus, qui in illis circumstantiis effectum homini planè incognitum certò et præcisè prænuntiaret, scientiâ divinitùs concessâ dirigeretur; proindèque loco miraculi quod rejicitur, aliud substituitur miraculum, nempè scientia miraculosa effectûs incogniti, qui certò prænuntiatur.

3.° Cùm eadem causa physica in iisdem circumstantiis physicis eosdem semper pariat effectus, si causa, licèt nullus sit obex, non producat effectum necessarium, vel ei dissimilem pariat quem necessariò parere deberet, v. g., si lapis sursùm projectus non decidat, si ignis refrigeret, tum signum est adesse miraculum: idem dicendum, si effectus prodeat subitò, solâ voluntate, sine præparatione et ad vocem thau-

maturgi, præsertìm si plures et in variis circumstantiis, occasione datâ, effectus hujusmodi producantur.

§ IV.

De Vi probante Miraculorum.

Certum est 1.° miracula, per se, habere aliquam vim probantem, eo sensu quòd auctoris miraculi potentiam statìm demonstrent; atque hoc sensu ipsimet Deistæ vim probantem inesse miraculis confitentur.

Certum est 2.° miracula per seipsa nec divinitatem nec veritatem doctrinæ probare; nullus est enim effectus sensibilis qui per se et ex naturâ suâ habeat connexionem cum veritate alicujus doctrinæ: atqui tamen illud requireretur, ut miracula dici possent per seipsa veritatem et divinitatem alicujus doctrinæ comprobare.

Itaque quæstio est an miraculum habeat vim probandi doctrinam, cùm, sive ratione circumstantiarum, sive ratione testimonii hominis miraculum annuntiantis, censetur fieri in confirmationem doctrinæ.

CONCLUSIO.

Miracula probant veritatem et divinitatem doctrinæ in cujus gratiam efficiuntur.

Prob. 1.° *Auctoritate.* Namque omnibus populis cujuscunque ætatis, quantumvis moribus et Religione discordes fuerint, semper persuasum est summam inesse miraculis vim probandi doctrinam cui conjuncta sunt; quapropter omnes diversarum Religionum auctores et sectatores, in earum confirmationem miracula pro-

ferunt, quæ verè facta sunt, aut saltem facta esse dicuntur : atqui supponi nequit falsam esse hanc generis humani persuasionem ; ergo vim probantem miraculorum demonstrat, sive illa oriatur à naturali quodam sensu, quo ad assentiendum miraculis indeliberatè inclinamur ; sive eam pepererit ratiocinium facilè omnibus obvium, quo statim persuademur nos miraculis in errorem induci non posse, quin error in ipsum Deum sit refundendus. Hæc autem hominum naturalis propensio vel persuasio tanta est, ut ipse *Spinosa*, miraculorum hostis infensissimus, teste Baylio, in suo Dictionario, sæpiùs amicis diceret, se absque dubio fidem Christi amplexurum, si veritatem resurrectionis Lazari ut certam et indubitatam credere posset.

Prob. 2.° *Ratione.* Illud habet vim probandi veritatem doctrinæ alicujus, quod haberi debet velut testimonium Dei ipsius : atqui miraculum editum in confirmationem alicujus doctrinæ, spectari debet veluti Dei ipsius testimonium ; qui enim in confirmationem suæ doctrinæ pollicetur miraculum, v. g., mortuum è tumulo statim proditurum, hic non semetipsum obligat, cùm non sit vitæ et necis arbiter, sed Dei ipsius, cujus est legatus, fidem obstringit, quem doctrinæ suæ testem et sponsorem invocat ; ergo si mortuus resurgat, hoc ipso censetur Deus fidem nomine suo datam liberare, ratamque ac probatam doctrinam habere, in cujus gratiam miraculum patravit ; ergo, etc. *Quand on voit,* inquit eminentiss. Cardin. *de La Luzerne, quand on voit un envoyé se présenter de la part de son Prince avec des lettres de créance authentiques,*

on croit d'abord qu'il est, en effet, l'envoyé de ce Prince... Le miracle est la lettre de créance de Dieu, et certainement la lettre de créance la plus authentique qui puisse exister. Dissertation sur la Religion, n.° 13. Si ergo in errorem induceremur, fidem adhibendo doctrinæ miraculis confirmatæ, Deo dicere meritò possemus cum Richardo à S. Victore : *Domine, si error est, à te decepti sumus; quoniam iis signis prædita est Religio, quæ nonnisi à te esse potuerunt.*

Et certè, Deo denegari nequit medium solemne, si velit, revelationem promulgandi : porrò si miraculum non habeat vim probandi doctrinam in cujus gratiam efficitur, jam nullum Deo superest medium suam revelationem solemniter promulgandi, cùm nullum aliud sit medium miraculo splendidius, et ad persuadendum magìs efficax ; ergo, etc.

Obj. 1.° Ideò miracula probant divinitatem doctrinæ in cujus gratiam fiunt, quia adjunctam habent propensionem naturalem, quâ judicamus ipsa esse testimonium Dei summè veracis : atqui hæc ratio nulla est; ergo, etc.

Resp. Nego min. Nam repugnat Deum homini indidisse propensionem quæ ad falsum inclinet, absque ullo errorem detegendi medio : atqui res ita esset si, non obstante naturali propensione, miracula non probarent divinitatem doctrinæ in cujus gratiam patrantur. 1.° Deus nobis indidisset propensionem naturalem, cùm ea quam adjunctam habent miracula, in nobis sine nobis existat. 2.° Illa propensio inclinaret ad falsum, id est, ad credendum Deum loqui per miracula, licèt non verè loqueretur.

3.° Nullum esset medium detegendi erroris; supponimus enim nihil esse in miraculo, nec in illius circumstantiis, quod de falsitate miraculi nos admoneat, vel dubium injiciat; ergo, etc.

Inst. 1.° Responsio allata non valet; hæc enim non valet responsio, quæ falsa supponit, aut saltem non probata: atqui talis est mox data responsio. 1. Supponit miraculis adjunctam esse propensionem naturalem, quâ credimus Deum per illa loqui; 2. propensionem illam esse à Deo; 3. in hypothesi propensionis à Deo ortæ, nullum suppetere medium erroris devitandi; 4. propensionem à Deo ortam ad falsum inclinare non posse: atqui hæc quatuor falsa sunt, aut saltem non probata; ergo, etc.

Resp. Nego min. quoad omnes partes. 1.° Miraculis in confirmationem doctrinæ factis adjuncta est propensio naturalis, quâ judicamus Deum per illa loqui: illud constat tum ex consensu omnium populorum, ut jam dictum est in probationibus, tum ex eventu; quomodò enim Religio omnibus cupiditatibus et præjudiciis adversa, orbi terrarum suaderi potuisset, nisi miraculis, quibus confirmabatur, adjuncta fuisset ejusmodi naturalis propensio. 2.° Illa propensio nonnisi à Deo orta est. Vel enim à Deo est, vel ab homine, vel à genio malo seu dæmone: atqui hæc duo posteriora dici nequeunt. Non ab homine, cùm in illo sine ipso existat. Non à dæmone; illud enim supponere ridiculum foret in principiis Deistarum, qui revelationem rejiciunt, ex quâ solâ Angelos existere certò scimus. Et verò, propensio universalis et constans, quæ sive ratione suî, sive ra-

tione circumstantiarum, nihil mali involvit, quo certò judicare possemus eam esse à malo Principio, procul dubio est Deo tribuenda; alioquin Deus non posset homines ad aliqua incitare, et ab aliis avertere ope propensionum, quod absurdum est; semper enim suspicari possemus propensionem esse à malo Principio. Aliundè, tam propensio naturalis ad credendum miraculis inclinans, à Deo oritur, quàm altera, quâ judicamus corpora existere : atqui à Deo est posterior, ut fatentur adversarii; ergo et prior. Postremò, si propensio naturalis esset à dæmone, eam non experiremur occasione miraculorum quæ fiunt in gratiam Religionis cupiditatibus contrariæ, et virtuti promovendæ aptissimæ, qualis est Religio Christiana, ut in posterum demonstrabitur. 3.° In hypothesi propensionis à Deo ortæ, nulla potest esse ratio non obsequendi tali propensioni, quia, cùm nulla sit propensio quæ vim illius propensionis infringere valeat, Deus in errorem inevitabilem induceret, ut evidens est. 4.° Evidentissimum est propensionem à Deo ortam, et inclinantem ad credendum miraculis, non posse in errorem inducere, quandò nullum suppetit medium illius erroris detegendi; Deus enim est summè verax.

Inst. 2.° Si homini esset propensio naturalis ad credendum miraculis, omnes miraculis crederent, sicut omnes credunt corpora existere, ob adjunctam naturalem propensionem : atqui multi sunt increduli qui miracula deridenti, nedùm ipsis fidem adjungant; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Propensio enim illa naturalis, quâ judicamus miraculis fidem esse adhi-

bendam, sicut et propensio naturalis quam experimur ad colendos parentes, necessitans non est, ut constat experientiâ; ergo non mirum si omnes non credant miraculis. Nec valet paritas instituta inter propensionem ad credendum miraculis quibus confirmatur Religio omnibus cupiditatibus et vitiis adversa, qualis est Christiana Religio, et propensionem ad judicandum corpora existere; hæc enim propensio cupiditatibus non adversatur: hinc facilè concipitur cur sæpiùs priori propensioni homines contradicant, non posteriori.

Inst. 3.° Saltem propensio ad credendum miraculis non est naturalis: nam illa propensio non est naturalis, quæ à præjudiciis oritur: atqui talis est propensio quâ fidem miraculis adhibemus; ergo, etc.

Resp. Nego min. Nam si propensio inclinans ad credendum miraculis, esset fœtus præjudiciorum, jam præjudicia cupiditatibus adversa, constantia forent et universalia, cùm propensio illa apud omnes populos deprehendatur, ex probatis: porrò illud repugnat. Nec objiciatur propensio ad credendum cometis, quæ nulla est, aut saltem non universalis.

Cætera quæ opponuntur jam in præcedentibus paragraphis præoccupavimus.

COROLLARIUM.

Ergo miraculum probandi vim habet seorsìm à prophetiis, quidquid in contrarium dixerit Abbas de Prades, *in sud famosâ Thesi, anno* 1751.

Nam, ex dictis, miraculum in se, et independenter à prophetiâ, Dei est testimonium authenticum

thenticum et divinitatis sigillum. Et verò, prophetia est quoddam miraculi genus, ut infrà exponemus ; ergo non magis miraculum à prophetiâ pendet ut vim probandi habeat, quàm miraculum unum ab alio miraculo. Reverà quandoquè prophetia manifestat futurum miraculum, quod scilicet prædicitur ; sed nullam ipsi præcisè vim addit.

SCHOLIUM PRIMUM.

Etsi tot difficultates à Theologis moveantur circa miracula, nihil ideò detrahitur efficaciæ miraculorum ad probandam veritatem seu existentiam revelationis : hinc vis probans miraculorum à Theologorum opinionibus omninò est independens.

Etenim vel illæ Theologorum opiniones versantur circa naturam miraculi, vel circa causam miraculorum efficientem, vel demùm circa modum discernendi miracula divina à diabolicis, ex hypothesi quòd dæmones quædam valeant patrare miracula : atqui independenter ab opinionibus tum circa miraculi naturam, etc., miracula ipsa probant veritatem revelationis in cujus gratiam efficiuntur. Et 1.° quidem independenter ab opinionibus circa miraculi naturam. Opinio enim minùs favens efficaciæ et vi probanti miraculorum, est opinio Huttevillii, juxta quem, ut diximus, miraculum est effectus naturalis legum incognitarum : atqui, in hâc sententiâ, sufficientem vim probandi servat miraculum, ut suprà probatum est; ergo à fortiori, in sententiâ nostrâ, longè certè probabiliori, juxta quam miraculum vera est legibus naturæ derogatio.

2.° Nihil pariter detrahitur efficaciæ miraculorum ad probandam veritatem revelationis, eo quòd disputetur inter Theologos circa causam efficientem miraculorum, nempè utrùm genium malum seu diabolus miracula patrare possit, necne. Namque vel dæmones edere possunt miracula, vel non : si posterius, nulla est difficultas; tunc enim à solo Deo vel ab Angelo bono, tanquam Dei ministro, erit miraculum: si prius, nihilominùs sua inest miraculis efficacia. Etenim 1., cùm nonnisi ad Dei nutum vel permissionem suam potestatem exercere possint dæmones (à Deo enim ut creaturæ omninò pendent), et aliundè insit homini naturalis propensio ad credendam doctrinam miraculis confirmatam, Deus certè, pro suâ summâ bonitate et veracitate, media suppeditabit, qualiacunque sint, ad errorem præcavendum; repugnat enim tum bonitati divinæ quòd in errorem inevitabilem, in Religionis negotio, homines conjici sinat; tum ipsius veracitati, quòd cooperetur mendacio, ad ipsos in re tanti momenti decipiendos : atqui res ita esset, si præstò non forent media ab errore emergendi, ut evidens est. 2. Ex solâ revelatione existentiam et potentiam Angelorum generatim novimus, licèt quousque præcisè se extendant illorum vires non cognoscamus; ergo ex solâ revelatione argumentari possunt Deistæ ad infringendam vim probantem miraculorum : porrò ex revelatione quidem novimus posse dæmones quædam portenta et prodigia operari, sive illa sint vera miracula, sive non; sed eadem revelatio nos edocet Deum semper media præbuisse, atque etiam in posterum eadem vel alia præbiturum, quo-

rum ope deceptio facilè vitari possit. Sic, posito quòd vera fuerint miracula quæ à Magis Ægyptiis coram Pharaone peracta sunt, ipsi tamen digitum Dei in miraculis Moysis confiteri coacti fuêre. Sic, Christo docente, prænoniti sumus contra efficaciam prodigiorum Antichristi, ne ipsius doctrinâ decipiamur. Jam verò, quamvis assignare non possemus quænam sint præcisè media, quibus procul dubio providebit Deus, ne homines in errorem miraculis inducantur, dubitare non sinit Dei bonitas et veracitas quin ipse sufficientia media semper subministret, ne miraculis quibus utitur ad veritatem comprobandam, iisdem ad errorem propinandum inevitabiliter impellamur.

3.° Nec etiam Theologorum disceptationes circa notas veri aut falsi miraculi, quidquam derogant miraculorum auctoritati. Etenim 1. certum est, et fatentur omnes, Deum inter se et diabolum orbis imperium non partitum fuisse, sibique proindè reservasse media quibus, cùm voluerit, suam voluntatem possit hominibus manifestare; ergo si in gratiam alicujus revelationis patrentur miracula ferè innumera, pro circumstantiis varia, semper occasione datâ, opportunè et statìm edita, hoc ipso indubitatum erit miracula hujusmodi nonnisi à Deo prodiisse; quid enim sibi Deus reservasset, si hæc patrare posset diabolus? 2. Constat pariter diabolum sibi non adversari, nec quidquam contra naturam agere suam; ergo si miracula fiant in favorem revelationis quæ adeò sit apta ad gloriam Dei promovendam, ad procurandam hominis felicitatem, ad destruendum dæmonis imperium, concludere pronum est ea soli Deo

esse tribuenda. 3. Eâdem certitudine, ex summâ Dei veracitate et providentiâ inferendum est ea miracula esse divina, quæ ut talia prædicta fuerunt, vel sine ullâ adversùs ipsa præmonitione à Prophetis quos certò scimus à Deo esse inspiratos; tunc enim error foret inevitabilis, cùm ab eo emergendi nullum foret medium. Ex illis autem tribus notis, ab omnibus admissis, una tantùm sufficit ut sua vindicetur miraculis efficacia; ergo à fortiori si collectivè sumantur : jam verò nullum est miraculum in gratiam Judaicæ vel Christianæ revelationis, cui non competat saltem aliqua ex iis notis, ut in decursu ostendemus; imò multa sunt, et quidem splendidiora, quibus illæ notæ simul sumptæ conveniunt. Ergo ex miraculis, semel probatâ illorum certitudine, efficaciter probatur veritas seu existentia revelationis; quod sufficit ad scopum quem in hoc tractatu intendimus.

SCHOLIUM II.

Nullam vim probandi habent miracula quæ apud Paganos patrata referuntur : hinc opponi non possunt miraculis quæ vera Religio sibi meritò vindicat.

Etenim 1.° certum est, et ratio demonstrat, à Deo prodire non posse miraculum inutile et ridiculum; Deus enim legibus naturæ non derogat ut meras agat nugas : undè statim rejicienda sunt plura apud auctores Paganos relata prodigia. 2.° Nec Deo adjudicari possunt prodigia quorum effectores mentis alienatione laborant, quales erant Aruspices et Sybillæ apud antiquos; *homines* enim, ait Apuleius,

Philosophus ethnicus, *Deorum præsentiâ solent fieri meliores, non amentes effici.* 3.° Pariter Deo adscribi nequeunt miracula quæ per alia numero majora vel splendidiora evidenter impugnantur; profectò enim Deus non permittet se à dæmone superari. Hujusmodi autem sunt prodigia quæ effecerunt Magi Ægyptii coram Pharaone. Prætereà, nulla patrata sunt miracula in paganismi confirmationem, aut si qua fuerunt edita, nullius sunt roboris, ut potè faventia doctrinæ quæ, fatentibus Deistis, erat evidenter absurda. His adde quòd ferè omnia Paganorum miracula quæ fortè possent opponi, vel fuêre mera præstigia, vel fidem non habent historicorum, qui ea dubitanter his verbis referunt, *Memorant, Ferunt, Fama est*: ita Livius, Quintus Curtius, Valerius Maximus, etc.; vel effectus sunt merè naturales, quibus imperitum vulgus, ob ignoratam causam, admiratione commovebatur.

Pauca tamen hìc speciatìm addere juvat de Serapidis, Æsculapii, Vespasiani et Apollonii Tyanensis prætensis miraculis.

1.° De Serapidis et Æsculapii miraculis, certum est in his multa fraude et dolo gesta fuisse; egeni nempè mercede conducti, se ægrotari primùm simulantes, sanatos esse deindè fingebant, ut constat ex plurimis auctorum testimoniis. Prætereà, exponit Tertullianus quo pacto dæmones sanare videntur: *Lædunt*, inquit, *dehinc remedia præcipiunt; et postquàm desinunt lædere, curasse creduntur.*

2.° Quod attinet ad miracula Vespasiani, 1. Suetonius et Tacitus, qui ea referunt, testes oculati non fuerunt; et ipse Tacitus fatetur

morbos à Vespasiano curatos, juxta responsionem medicorum qui hâc de re consulti sunt, remediis curari potuisse. 2. Cùm hæc facta evenisse narrantur, nondùm Vespasiani electio fuerat ab omnibus approbata; verisimile est igitur ægros fictos Imperatori fuisse oblatos ab aulicis (inter quos erat Josephus, qui Vespasianum Messiam esse prædicabat), ut ex miraculis comprobari videretur illius electio. 3. Adeò verum est Vespasianum donum miraculorum sibi non arrogasse, ut, teste Tacito, propositionem sibi factam ægrotos sanandi, statìm irriserit, donec tandem, adulantium votis obsequens, rem tentaverit, cujus utilitatem cœpit præsentire. Vide *Hooke*, in appendice contra Paganos, tom. 2, pag. 843.

3.° Tandem in Apollonii Tyanæi miraculis undiquè se prodit falsitas; etenim Philostratus, qui solus hæc prodigia narrat, suam historiam scripsit nonnisi centum et viginti annis et ampliùs post eventum. Testatur quidem se hæc scribere ex libris memorialibus Damisii, fidelis Apollonii discipuli; sed illi memoriales libri per centum et ampliùs annos à nemine cogniti sunt; igitur an verax fuerit Damisius ille, vel Philostratus qui illius testimonium retulit, nullâ probatione constat, imò in pluribus sibi apertè contradicit Philostratus. Quid plura? cùm hæc prætensa miracula ab omnibus eruditis inter aniles fabulas vel impostoris fraudes amandentur.

ARTICULUS II.

De Prophetiis.

Cùm, ex infrà dicendis, prophetia sit quoddam miraculi genus, ferè omnia quæ de miraculis statuimus, prophetiis aptari possunt. Hìc nonnulla tantùm huic argumento magìs specialia quibusdam quæsitis expendenda supersunt.

Quæres itaque 1.° quid sit prophetia.

Resp. Prophetia rectè definitur, *Prædictio certa alicujus eventûs qui in causis naturalibus prævideri non potuit.*

Dicitur 1.°, *prædictio*, id est, rei antequàm fiat declaratio: et sic differt prophetia à rerum vel præteritarum, vel præsentium quæ absconditæ sunt, manifestatione. 2.° *Certa*, ut à conjecturis merè probabilibus distinguatur. 3.° *Eventûs qui in causis naturalibus prævideri non potuit*: sicque discrepat prophetia à rerum exstiturarum notitiâ quæ in perspectâ causarum secundarum connexione nititur, quales sunt cognitiones vel Astronomorum de eclipsibus, vel Medicorum de ægrotantium morte proximâ aut sanatione, vel Politicorum de futuris quibusdam imperiorum conversionibus.

Ex hâc definitione sequitur, prophetiam quoddam esse miraculi genus; nam quemadmodùm per miraculum derogatur legibus quibus reguntur corpora, ita et per prophetiam derogatur legibus quibus reguntur mentes creatæ. Scilicet, inter istas leges hæc certè est admittenda, mentem creatam et finitam, veritatem assequi non posse, sine accommodato cognitionis medio: jam verò in eo sita est prophetia,

quòd quædam veritas absque medio naturali cognoscatur ; est enim, ut diximus, eventûs cujusdam prædictio qui in causis naturalibus prævideri non potest.

Quæres 2.° an prophetia sit possibilis.

Resp. affirmativè. Etenim Deus futura etiam libera prænoscit, ut fatentur Deistæ, quos hìc impugnamus, et in *Tractatu de Deo* demonstratum est : atqui certè potest Deus hanc præcognitionem homini impertiri. Si enim non posset, vel quia revelatio seu manifestatio eorum quæ intelligentia humana assequi non valet, repugnaret in se, vel quia repugnaret ratione objecti futuri : atqui neutrum dici potest. Non 1.^{um}, ut probavimus, ubi de Possibilitate revelationis. Non 2.^{um} : Deus enim potuit homini facultatem impertiri plurimos effectus prænoscendi in causis naturalibus, propter necessariam quam habent cum suâ causâ connexionem, ut constat de eclipsibus, aliisque phænomenis ; ergo potest etiam homini notitiam largiri eventuum quorumdam futurorum, quos solo lumine naturali detegere nequit.

Hinc patet quàm absurdè à Voltario dictum sit, Philosophie de l'Histoire, chap. 3 : *Il est évident qu'on ne peut prévoir l'avenir, parce qu'on ne peut savoir ce qui n'est pas.* Simili argumento probaretur ab Astronomis certò prædici non posse eclipses, quæ *nondùm sunt ;* et præterita à nemine posse cognosci ; quæ enim præterita sunt, non magis actu existunt, quàm quæ futura sunt.

Quæres 3.° quisnam sit prophetiæ auctor.

Resp. Deus solus potest esse auctor prophetiæ : id constat 1.° *auctoritate* et consensu omnium

populorum. 2.° *Ratione :* Ille enim solus potest esse auctor prophetiæ, qui certò ea præscire potest, quorum futura existentia certam connexionem non habet cum causis naturalibus : atqui solus Deus ea certò præscire potest quorum, etc. Si enim à creaturâ possent ea naturaliter prævideri, vel in seipsis, vel in intellectu divino : atqui neutrum dici potest. Non 1.^{um} : siquidem illa prævideri non possunt in seipsis, quatenùs *existentibus*, cùm nondùm existant; nec in seipsis, quatenùs *futuris ;* ii enim qui censent Deum res futuras in ipsâ earum futuritione cognoscere, hanc ei scientiam ideò tantùm adscribunt, quia illius intelligentia infinita est : porrò intelligentia creaturarum, quantacunque sit, est finita ; ergo 1.° creatura non potest, etc. Non 2.^{um} : si enim in intellectu divino creaturæ ea prævideren*t quorum* existentia nullam certam habet connexionem cum causis naturalibus, tunc Deus creaturas scientiæ suæ participes efficeret, et proindè hujusmodi cognitiones desinerent esse naturales ; ergo, etc.

Hinc colliges creaturam non posse naturaliter prævidere, 1.° divina consilia, ea scilicet quæ præter naturæ ordinem solâ liberâ Dei voluntate contingunt : sic futurum Diluvium, Sodomorum subversio, Messiæ adventus, Christi resurrectio, Christianæ Religionis propagatio, aliaque innumera à Deo solo prædici potuerunt. 2.° Futura hominum ignotorum liberrima consilia, et multò magis ea quæ ex innumerabilium voluntatum liberâ determinatione, earumque cum multis physicis causis conjunctione pendent, qualia sunt, v. g., fata imperiorum ; talis enim effectus nulli causæ prædetermina-

trici necessariò connexus est. 3.° Futuras, post longum temporis intervallum, mundi in ordine physico conversiones; quia non semper existit medium cognitionis hujusmodi; physicum enim morali connexum est, et naturalis causarum materialium inclinatio potest dirigi, suspendi vel immutari tum voluntate divinâ, tum etiam liberis hominum actionibus. Prætereà, etsi tale existeret medium, ei percipiendo impar est mens finita; quomodò enim causas omnes, sive numero, sive varietate infinitas, earum relationem et concatenationem comprehendere valeret? 4.° Facta quæ in se fortè possunt à verisimilitudine non distare, et absolutè lumine naturali forsan præsciri, sed quorum circumstantiæ arbitrariæ, multitudine penè infinitæ, adeò clarè et minutatim prænuntiatæ fuêre, ut nullus esset locus eas suspicandi, et tamen accuratè et adamussim sunt adimpletæ; tunc enim illæ circumstantiæ totidem facta constituunt, quæ, si collectivè spectentur et relativè ad effectum ad quem simul ordinantur et concurrunt, naturali intelligentiâ et solertiâ prævideri certè non potuerunt.

Quæres 4.° utrùm prophetiæ vim habeant probandi doctrinam in cujus gratiam efficiuntur, et quænam ad hoc requirantur conditiones.

Resp. ad 1.^um^ Prophetia vim habet probandi veritatem doctrinæ in cujus gratiam efficitur: constat 1.° *ex omnium populorum consensu*, qui veras aut falsas prophetias seu oracula in gratiam suæ Religionis edita fuisse verè aut falsò asseverant. 2.° *Ratione*: prophetia est quoddam miraculi genus, ut dictum est; haberi ergo debet velut Dei testimonium, et ipsius volun-

tatis sigillum. Et reverà, homines, viso prophetiæ eventu, non minorem admirationem experiuntur, nec minorem propensionem ad credendum, quàm cùm vident miraculum. Item, nullum est medium errorem devitandi; ergo, sicut et miraculum, prophetia probat veritatem doctrinæ in cujus gratiam edita est.

Resp. ad 2.^um Ut prophetia vim probandi habeat, id unum requiritur, nempè quòd sit *vera;* cùm enim, ex probatis, à Deo solo prodire possit veri nominis prophetia, hoc ipso quòd est vera, divina sit necesse est, ac proindè velut authenticum Dei testimonium haberi debet. Jam verò ad hoc ut vera sit prophetia, quædam exiguntur conditiones; vel enim agitur de cognoscendâ veritate prophetiæ ante eventum, vel post eventum: si prius, constare non potest esse veram prophetiam, nisi ex miraculo à Prophetâ edito, aut ex aliâ prophetiâ ab ipso prolatâ, et quæ jam suum effectum obtinuerit. Si posterius, ut prophetia vera habeatur, quatuor requiruntur et sufficiunt conditiones: 1.ª ut prædictio eventum certò præcesserit; id autem constare potest ex motivis certitudinis moralis. 2.ª Ut eventus certò prophetiam adimpleat, quod dignoscitur ex utriusque, prophetiæ scilicet et eventûs, comparatione. 3.ª Ut in prophetiâ de iis agatur quæ humanâ arte et solertiâ prænosci nequeunt, qualia sunt ea quæ jam recensuimus, cùm certum sit, ex probatis, à mente creatâ prænosci non posse. 4.ª Ut casu fortuito adimpleri non potuerit prophetia; illud autem omninò certum est, ubi agitur de iisdem eventibus quos suprà memoravimus, ut paululùm attendenti evidens est.

Ex iis liquet quàm falsò et absurdè affirmaverit Genevensis Philosophus : *Je dis qu'aucune prophétie ne saurait faire autorité pour moi... parce que, pour qu'elles le fissent, il faudrait trois choses dont le concours est impossible, savoir, que j'eusse été témoin de la prophétie, que je fusse témoin de l'événement; qu'il me fût démontré que cet événement n'a pu cadrer fortuitement avec la prophétie.* Nunquid enim de authenticitate monumenti in quo describitur prophetia, vel de testimonio hominum qui eventum referunt constare nequit? Nonne sunt eventus adeò contingentes, à liberâ Dei hominumque voluntate dependentes, circumstantiis innumeris insignitos, quos casui fortuito adscribere tam absurdum foret, quàm compositionem Iliadis characterum jactui fortuito tribuere, aut mundum concursui atomorum? Prætereà, ut observant Doctores Parisienses, Cens. Emilii, in propos. 38, *falsum est tria illa quorum concursum auctor habet ut impossibilem, non posse reipsâ concurrere; plures enim sunt, tum in veteri, tum in novo Testamento prophetiæ, in quibus iidem testes fuerunt tum prophetiæ, tum eventûs, et jure pro certo habuerunt non fortuito casu prophetiam in eventum quadrare.* Hujusmodi sunt, in veteri Testamento, plura à Mose et Josue prænuntiata, etc.; et in novo, prophetiæ Jesu Christi de morte suâ, resurrectione, atque in cœlos ascensione, necnon missione Spiritûs Sancti.

Obj. 1.° Illud argumentum ad comprobandam veritatem alicujus doctrinæ certè non valet, quod laborat circulo vitioso : atqui argumentum ex prophetiis deductum, laborat

circulo vitioso ; namque, juxta 2.am conditionem suprà requisitam, ut prophetiæ vim probandi habeant, prædictio ex eventu pendet et probatur, et vicissìm eventus ex prædictione ; ergo, etc.

Resp. Nego min. et ejus prob. Etenim, ut observat illust. Card. *de La Luzerne, la prédiction n'est pas la preuve de l'événement, ni l'événement la preuve de la prédiction. Mais la prédiction revêtue des qualités requises, et l'événement qui y cadre exactement, sont deux choses qui concourent ensemble à une seule et même démonstration. Ce sont deux parties de la preuve d'une vérité, ou plutôt de deux vérités ; savoir, d'abord de la divine mission de celui qui fait la prophétie, et ultérieurement et conséquemment de la certitude de ce qu'il déclare de la part de Dieu. Toute cette objection est fondée sur l'équivoque des mots* dépendre *et* prouver. *La prophétie et la réalisation dépendent l'une de l'autre, non pour exister, non pour être connues ; mais pour former conjointement une démonstration, laquelle, en l'absence de l'une ou de l'autre, serait incomplète. La prophétie prouve par son accomplissement, et l'accomplissement prouve par la prophétie qui en avait été faite, une troisième chose ; mais elles ne se prouvent pas réciproquement. La conformité de l'événement à la prédiction est bien pour nous un signe que la prédiction est venue de Dieu ; mais la prédiction antérieure n'est pas ce qui nous montre que l'événement est l'œuvre divine. Nous sommes assurés d'ailleurs que tous les événemens sont réglés par la souveraine Providence.*

Obj. 2.° Dæmones, pro suâ quâ pollent intelligentiâ, possunt prædicere eventus qui humanam solertiam longè fugiant; ergo semper dubium erit utrùm prophetia à Deo prodeat, vel à dæmone, ac proindè an vera sit aut falsa doctrina prophetiis confirmata.

Resp. 1.° quæstionem moveri inter eruditos utrùm omnia oracula Paganorum artibus et astutiâ hominum tribuenda sint, an verò nonnulla ex iis afflatu instinctuque dæmonum fuerint edita. Primum olim docuêre *Van-Dale* et D. *de Fontenelle, Histoire des Oracles*. Secundum propugnavit P. Baltus, *Réponse à l'Histoire des Oracles*. Quidquid sit de iis opinionibus, quarum examen ad nostrum institutum non pertinet, ad propositam solvendam difficultatem, eadem ac suprà, ubi de Miraculis, recurrit responsio generalis. Scilicet, etsi fateamur dæmones multa præscire posse quæ intelligentia humana attingere non valeat, non permittet Deus, pro suâ veracitate, bonitate et providentiâ, ut in errorem prophetiis inducamur; semper ergo præstò media erunt, qualiacunque sint, ad errorem præcavendum. Vide dicta in duobus scholiis, ad calcem Art. præcedentis, quæ prophetiis applicari possunt. Insuper, licèt multi sint eventus ab humanâ mente remotissimi, quæ dæmones, sive ob suæ intelligentiæ præcellentiam, sive ob annosam experientiam, prænoscere valent; attamen certò et infallibiliter, nisi permittente Deo, eos prædicere non possunt, quia eventus illi sunt contingentes, et à causis liberis pendent, possuntque sive à Deo, sive ab ipsis hominibus impediri.

Resp. 2.° Cùm de Prophetiis hìc non disseramus, nisi ad comprobandam existentiam revelationis, nullam facessit difficultatem objectio proposita. Certum est enim multa esse quæ præscire nequit intelligentia creata, qualia sunt ea quæ suprà recensuimus, quæque proindè soli Deo sunt adscribenda. Ergo si aliqua Religio, in suæ doctrinæ confirmationem, prophetias ejusmodi jure ac meritò proferat, hoc ipso demonstratur eam divinam esse : porrò inter prophetias quas adducemus in gratiam divinitatis Religionis Judaicæ et Christianæ, multa sunt hujusmodi, ut deinceps ostendemus.

PARS SECUNDA.

DE REVELATIONE IN SPECIE.

HACTENUS soluta manet *quæstio juris*, utrùm scilicet Deus homines alloqui possit, eisque suam revelationem per obvios facilesque characteres certò demonstrare. Itaque nunc devenimus ad solutionem *quæstionis facti*, an videlicet aliquandò et quibusnam facta fuerit hæc Religionis positivæ manifestatio. Porrò, omissis superstitionibus quæ nihil aliud exhibent quàm ineptissimas fabulas, ritus impuros, vanaque prodigia, statìm de Christianâ Religione disserere pronum esset, cujus divinitate semel probatâ, concludendum est omnes alias Religiones, cùm huic opponantur, tanquam falsas meritò repudiandas esse. Verùm quia hujus Religionis illud singulare ac divinum sit privilegium, ut ab ipsis mundi incunabulis sumat exordium,

ac deindè progressu temporum evoluta, tandem à Christo perfecta et per Apostolos per orbem universum promulgata fuerit, hìc gradum sistimus in asserendâ divinitate fœderis judaici, quod Christianæ Religionis quasi præambulum exstitit, priùs tamen pauca dicturi

DE PRIMÆVA HOMINUM RELIGIONE.

Tria hìc expendemus, 1.° utrùm à mundi exordio exstiterit revelatio, 2.° quid contineret, 3.° quomodò servaretur hæc primæva revelatio.

Quæres itaque 1.° utrùm ab exordio mundi exstiterit revelatio.

Ante solutionem quæstionis, notandum est, juxta quosdam Pseudophilosophos, hominem, statìm à suâ creatione, soli suæ rationi permissum fuisse, ut sua erga Deum officia detegeret; hinc ex iis non pauci affirmare non dubitant, primævam hominis Religionem non aliam fuisse quàm idololatriam, eâscilicet ratione nixi, quòd perdifficile fuisset ut homo, statìm ab ortu, ad unius Dei notitiam, solius rationis ductu, assurgeret. Ita præsertìm *Hume*. Hoc prænotato,

Resp. affirmativè et prob. 1.° *auctoritate*. Testantur enim Judæorum monumenta, quorum authenticitatem, integritatem, veracitatem, mox vindicabimus, Deum cum homine recens creato collocutum fuisse, et quædam dogmata et præcepta ipsi revelasse, quæ mox exponemus.

2.° Idipsum *multiplici ratione* suaderi potest. 1.ª Juxta saniores Philosophos hodiernos, homo soli rationi permissus, nihil certè cognoscere, nec ipsum sermonem detegere potuisset: verita-

tem hujus assertionis probare feliciter aggressus est D. *de Bonald :* vide opus hujus celeberrimi Philosophi, cui titulus, *Recherches philosophiques*, tom. 1, pag. 87 et seqq. Si ergo in ordine naturali admittenda sit à societatis ortu revelatio; ergo et in ordine Religionis existere debuit.

2.ª Certè dici non potest à Deo, summè sapienti, hunc rerum ordinem institutum esse, juxta quem homo verâ Religione diù fuisset destitutus, vel nonnisi falsæ addictus; Deus quippe, ut jam probavimus, propter suam gloriam hominem condidit, ut scilicet se suasque facultates ad ipsum, tanquam ad suum ultimum finem, referret, Religionis cultum *ipsi exhibendo* : atqui tamen, nisi à primo suî ortu homini facta esset revelatio, 1.° diù veræ Religionis expers fuisset; non enim mediocris requiritur labor, ut ratio sibi derelicta etiam primorum principiorum notitiam comparare possit, ac proindè multo tempore indiguisset homo, priusquàm per rationis exercitium sua erga Deum officia cognovisset. Prætereà, dubius semper exstitisset circa plurima, quorum certa cognitio ipsius summoperè interesset. 2.° Homo, suæ rationi permissus, falsæ Religioni adhæsisset; siquidem vera Religio unius et spiritualis Entis supremi notitiam supponit : atqui homo, suæ rationi derelictus et rebus sensibilibus perpetuò intentus, ad unici et spiritalis Entis supremi notitiam, à primo suî ortu, non pervenisset, cùm ideam entis merè spiritualis non statìm habuisset, nec ipsius unitatem statìm agnovisset, sed pluribus divinos honores exhibuisset, ut ipsi agnoscunt increduli; ergo, etc.

3.ª Si Deus homini, à primo suî ortu, revelationem non concessisset, minùs ei favisset quàm ipsius posteris; isti enim, à primo rationis usu, à parentibus revelationem edocti sunt; ille verò sibi ipsi fuisset derelictus: porrò dictat ratio primum hominem, cùm à Deo immediatè creatus fuerit, in statu minùs perfecto quàm ipsius posteri constitui non debuisse. Et verò, homo à Deo creatus fuit in statu adulto, quoad corpus, ergo et quoad animam; Deus enim non minùs curat de istâ quàm de illo, proindèque valdè congruum erat ut suum creatorem, suum finem, suaque officia homini recens creato per revelationem manifestaret, cùm, ex dictis, omnia hæc post multum tempus, rationis exercitio, vix ac ne vix quidem certò cognoscere potuisset.

Quæres 2.° quid contineret hæc primæva revelatio.

Resp. Sicut quælibet alia Religio, triplici parte constituebatur, dogmatibus nempè, cultu et præceptis. 1.° *Dogmatibus*, quorum primum erat fides Dei unius, omnium supremi dominatoris; alterum, hominem creatum fuisse ad imaginem et similitudinem Dei, Gen. cap. 1, ℣. 26 et 27. Lapsis autem protoparentibus, revelatum fuit dogma redemptionis, Gen. cap. 3, ℣. 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum* (juxta textum hebræum et antiquiores versiones, IPSUM seu semen mulieris *conteret*, etc.). Illud autem Redemptoris dogma clariùs Patriarchis à Deo evolutum fuit, potissimùm his verbis ad Abraham: *Et benedicentur in te, et in semine tuo omnes gentes terræ,*

Gen. cap. 26, ℣. 4; atque posteris ejus in decursu temporum per Prophetas magis expressè traditum, ut in posterum dicemus.

2.° *Cultu:* non enim ex alio fonte quàm à divinâ institutione, *sacrificiorum* ritus ortum habuit, cùm à naturâ solâ originem non ducat, ut suprà dictum fuit. Porrò sacrificia vel à primævis temporibus in usu fuisse satis demonstrant exempla Abel, Cain, Abraham, Melchisedech, etc., qui Deum oblationibus et sacrificiis coluerunt. Prætereà, circumcisionis ritus Abrahæ et ejus posteris fuit præscriptus, in signum fœderis specialis, quo Deus sibi Patriarchæ hujus familiam conjunxerat, etc.

3.° *Præceptis:* testantur etiam sacri codices quædam præcepta positiva, ab ipso mundi initio, imposita fuisse divinitùs, qualia sunt lex protoparentibus edicta de fructu arboris scientiæ non manducando, Gen. cap. 2, ℣. 17; de matrimonii indissolubilitate, ibid. ℣. 24, etc.; et posteà prohibitio sanguinem cum carne comedendi, cap. 9, ℣. 4, etc., ac circumcisionis obligatio, Gen. cap. 17, ℣. 9.

Igitur verum est quod ait illust. Bossuetius, Hist. univ. part. 2, passìm: *Dieu créant le genre humain à son image, n'a jamais dédaigné le moyen de le servir et de lui plaire.... Ainsi notre Religion est aussi ancienne que le monde... Elle n'a point d'autre auteur que celui qui a fondé l'univers, qui, tenant tout en sa main, a pu seul et commencer et conduire un dessein où tous les siècles sont compris.*

Quæres 3.° quomodò servaretur illa revelatio.

Resp. 1.° *Ante diluvium*, servata fuit orali

et domesticâ traditione, quæ revelationem à patribus ad filios, hæreditatis more, transmittebat. Hæc autem oralis traditio integra facilè servari potuit, tum quia primævæ revelationis corpus simplicissimum fuit; pauciora enim erant dogmata et præcepta quibus constituebatur: tum ob longævitatem Patriarcharum; ab Adamo enim usque ad diluvium, quod contigit anno mundi 1656, sufficit intermedius testis, nempè Mathusalem, quocum plusquàm 500 annis conversatus est Noe, qui ipse, post diluvium, vixit 300 annis.

Resp. 2.° *Post diluvium*, cùm hominum impietate obscuraretur primigenia revelatio, illius conservationi providit Deus per externam promulgationem, primò factam Noe et filiis ejus, deindè in gratiam Abrahami et posterorum illius confirmatam, novo cum ipsis inito fœdere, quod externo ac solemni circumcisionis ritu sancitum est.

His præmissis de primævâ hominum Religione, duplici dissertatione agemus, 1.° de Religione Judaicâ, 2.° de Religione Christianâ.

DISSERTATIO PRIMA.

DE RELIGIONE JUDAICA.

TRIBUS capitibus præsentem dissertationem absolvemus. Dicemus in 1.° de auctoritate monumentorum quibus illa Religio continetur; in 2.° de ejus divinitate; in 3.° de illius abrogatione.

CAPUT PRIMUM.

De Auctoritate monumentorum Religionis Judaicæ.

MONUMENTA quibus continetur Religio Judaica, sunt omnes libri veteris Testamenti, præsertim Pentateuchus seu quinque libri, qui à Moyse scripti dicuntur, nempè Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri et Deuteronomium. Cùm ex iis omnibus pendeat Religionis Judaicæ veritas, operæ pretium est demonstrare 1.° Pentateuchi authenticitatem et integritatem, 2.° illius veracitatem, 3.° auctoritatem cæterorum librorum veteris Testamenti. Undè triplex erit hujus capitis articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Authenticitate et Integritate Pentateuchi.

Tanta est inter authenticitatem et integritatem Pentateuchi affinitas, ut de utrâque subindè tractare opportuniùs existimemus.

Liber ille *authenticus* dicitur, qui ab eo auctore eâque ætate scriptus est, cui vulgò tribuitur; è contrà *spurius* et *suppositus* dicitur liber, qui sub nomine alicujus scriptoris antiqui recens editus est. Pentateuchi authenticitatem negârunt Hobbius in Leviathan, et Spinosa in suo Tractatu theologico-politico, quorum difficultates, duce Voltario, studiosissimè colligit hodiernorum incredulorum turba. Ab his non satis recessit Richardus Simon, in suâ criticâ veteris Testamenti Historiâ, ubi conjicit

Moysen commentaria de rebus suo tempore gestis scripsisse vel describi curasse, quorum Pentateuchus qui nunc superest, epitome seu quoddam breviarium est, post captivitatem Babylonicam descriptum, et publicâ auctoritate firmatum.

Nec inter incredulos defuêre qui dubitaverint an verè exstiterit Moyses. Temeraria hæc et absurda suspicio, ut potè adversa constanti traditioni omnium veterum scriptorum, sive sacrorum, sive profanorum, etiam Judæis infensissimorum, suâ expositione satis refellitur, nisi admittere velis pyrrhonismum universalem circa facta historica. Præterea, olim exstitisse Moysen gentis hebraicæ fundatorem et legislatorem manifestè probatur ex eo quòd Pentateuchus hunc auctorem habuerit : sit igitur

CONCLUSIO PRIMA.

Pentateuchus verè est authenticus.

Prob. 1.° *Ex fide publicâ Judæorum.* Etenim liber ille est certè authenticus, qui eum habet auctorem cui tribuitur à gente integrâ, traditione auctori coævâ et non interruptâ, *præsertim* si liber ille usitatissimus, illiusque auctor celeberrimus esse debuerit : atqui talis est Pentateuchus ; ergo, etc.

Major hujus argumenti est evidens ; vel enim liber ille est authenticus, vel nullus liber est de cujus authenticitate constare possit.

Prob. itaque *minor* per partes. Et 1.° Pentateuchus Moysi ab integrâ Judæorum gente tribuitur. Nemo quippe nescit Judæos omnes non alium quàm Moysen Pentateuchi auctorem

agnoscere, à quo suas leges suaque instituta accepisse uno ore profitentur : porrò consensus universæ gentis adeò unanimis, non aliundè quàm ex veritate facti oriri potuit ; quo enim motivo impelli potuêre Judæi ut suo legislatori tribuerent librum sibi probrosum, in quo exhibentur ut populus duræ cervicis et ingrati animi, ad rebellionem et idololatriam semper propensus ? 2.° Pentateuchus Moysi tribuitur traditione ipsi coævâ et non interruptâ ; namque fatentur increduli Pentateuchum ab anno 250 ante Christum ut genuinum Moysis opus à Judæis habitum fuisse, quo tempore, regnante Ptolemæo Philadelpho, in linguam græcam à LXX Interpretibus translatus est : atqui eadem fuit universæ gentis judaicæ circa Pentateuchum persuasio seculis huic epochæ anterioribus ; siquidem ab illâ epochâ, usque ad Moysen retrogradiendo, Judæi nobis exhibent seriem librorum non interruptam : nempè à captivitate Babylonicâ, codices Malachiæ, Esdræ et Nehemiæ ; durante captivitate, oracula Danielis, Ezechielis, Jeremiæ, Baruch ; deindè libros Paralipomenon, Regum, Davidis Psalmorum, Judicum, ac tandem Josue, Moysis successoris : porrò in illis libris non solùm simpliciter memoratur *Moyses, Lex Moysis, liber Legis Moysis*, sed et referuntur facta, leges, mores, ritus civiles et religiosi, consuetudines, quæ apprimè consonant iis quæ in Pentateucho nostro leguntur, ut ex marginibus seu concordiis Bibliorum facilè constat ; ergo perpetua fuit gentis judaicæ traditio in Pentateucho Moysi adscribendo, cùm nullum alium librum à Moyse scriptum assignent adversarii, nec assignare possint. Et verò, consen-

sus ille Judæorum hâc de re adeò constans et unanimis, ipsis acquisivit Pentateuchi possessionem, à quâ deturbari non possunt, nisi per evidentes in contrarium probationes : atqui nullæ sunt ejusmodi ex iis quæ ab incredulis afferuntur, ut ex solutione objectionum patebit. 3.° Pentateuchus fuit liber Judæis usitatissimus ; erat enim liber ritualis, codex legum, ut in probationibus sequentis conclusionis evolvemus ; Moses verò apud suos celeberrimus esse debuit, cùm ab ipsis ut Dei legatus, propheta, legislator à Deo afflatus, suæque gentis liberator habitus fuerit. Et certè talis de Moyse existimatio, tantam in illius scriptis recipiendis venerationem, in asservandis diligentiam, in observandis Judæorum attentionem debuit excitare, ut nec, vivente Moyse, quidquam sub ejus nomine supponi, nec, post ipsius mortem, mendaciter obtrudi potuerit ; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex omnium ferè populorum traditione.* Etenim 1. testimonium nobis perhibent Samaritani (1), qui, licèt à solutâ captivitate

(1) Samaritani dicuntur populi, origine Cuthæi, Hevæi, etc., ab Assarhaddon rege Assyriorum in regnum Israel, cujus caput erat Samaria translati, ut occuparent regionem decem tribuum quas Salmanazar in Assyriam asportaverat. Illi ritum Gentilium miscuerunt cum cultu judaico quem didicerant à Sacerdote Israelitâ, jussu regis Assarhaddon ad eos misso, et à quo Pentateuchum acceperunt characteribus Phœniciis exaratum, quibus Judæi ante captivitatem utebantur. Hinc colligitur Pentateuchum quem asservant Samaritani, schismate Israelitarum vetustiorem esse ; neque enim Israelitæ schismatici amicè cum Judæis conspirassent in suppositionem Pentateuchi, quo solo idololatriæ et schismatis apertè convincebantur. Lege IV Reg. 15, I Esd. 4

Judæorum

Judæorum semper hostes infensissimi fuerint, Pentateuchum asservant minimè à Judæorum Pentateucho dissentientem, eumque ut genuinum Moysis opus, rejectis aliis veteris Testamenti libris, fideliter suscipiunt et venerantur. 2. Constans est in eâdem fide Christianorum traditio, ut manifestum est, tum ex codicibus novi Testamenti, in quibus Christus et Apostoli Moysen, ipsiusque leges et scripta memorant; tum ex antiquis christianis scriptoribus, Justino nempè philosopho, Cohort. ad Græcos, n.° 9; Clemente Alexandrino, lib. 1 Stromatum; Cyrillo Alexandrino, lib. 1 et 7 contra Julianum; Eusebio, etc... 3. In idem conspirant testimonium profani auctores, Strabo, lib. 16; Diodorus Siculus, lib. 1 (1); Longinus, de sublimi genere dicendi, apud Græcos; apud Latinos, Justinus historicus, lib. 36 hist.; Juvenalis, satyrâ 14; Tacitus, hist. lib. 5; Plinius naturalista, lib. 30, sect. 2, et alii qui Moysis tanquam Judæorum doctoris et legislatoris meminêre (vide Huetium, Demonstr. evang. propos. 4). Idem testantur Celsus apud Origenem, lib. 1 et 4 contra Cels.; Porphyrius, Jamblicus, Julianus Apostata, quorum auctoritas in hoc negotio minimè suspecta esse debet. Deniquè his omnibus suffragantur in suo Alcorano Mahumetani; ergo, etc.

Prob. 3.° *Ex absurditate adversæ sententiæ.* Namque si Pentateuchus non sit genuinum

(1) Falsò igitur asserit Voltarius, *Philosophie de l'Histoire*, chap. 28, nullum fuisse Græcum Scriptorem qui, ante Longinum, seu ante tempora Aureliani Imperatoris, Moysis meminerit.

Moysis opus, posset assignari tempus et auctor illius suppositionis : atqui impossibile est assignari tempus, etc. Etenim, juxta hypothesim quam post Spinosam fingere amant adversarii, ab ipso Esdrâ, solutâ captivitate, confictus fuit Pentateuchus : atqui repugnat illa hypothesis; nam 1.° legitur lib. I Esdræ c. 3, Sacerdotes plurima fecisse, *sicut scriptum est in lege Moysi.* Exstabat igitur tunc temporis lex Moysis scripta, ac proindè Pentateuchus, qui nomine legis Moysis, juxta Judæorum traditionem, appellatur. 2.° Certum est ex libro Danielis, Judæos, durante captivitate, juxta legem Moysis sua judicia exercuisse, ut patet exemplo Susannæ, cap. 13 ; imò, cap. 9, ℣. 11 et 13, maledictio relata Deut. c. 27, *scripta* dicitur *in libro Moysis.* 3.° Quomodò Esdras persuadere potuisset Judæis, quorum plurimi seniores prius templum viderant, librum à se confictum, ipsum esse Moysis librum, à Prophetis et Historicis illorum gentis laudatum, quem eorum Sacerdotes et patres, ipsique semper legerant : atqui tamen illud dicendum foret in hypothesi quam impugnamus. 4.° Samaritani, quos Esdras sibi suæque nationi infensissimos reddiderat, infames et rebelles eos declarando, nunquàm certè ab eo accepissent Pentateuchum sub nomine Moysis ab ipso Esdrâ confictum : porrò, ut modò dictum est, Pentateuchum nostri similem veluti genuinum Moysis opus fideliter asservant et venerantur. 5.° Tandem si Esdras Pentateuchum sub ementito Moysis nomine conscripsit, cæteros omnes veteris Testamenti libros confinxisse dicendus est. *Il lui fallait composer en même temps*, inquit illustr. Bossuetius, *tous les Pro-*

phètes anciens et nouveaux, c'est-à-dire, ceux qui avaient écrit avant et durant la captivité; ceux que le peuple avait vu écrire, aussi-bien que ceux dont il conservait la mémoire; et non-seulement les Prophètes, mais encore les livres de Salomon, et les Psaumes de David, et tous les livres d'histoire, puisqu'à peine se trouve-t-il dans toute cette histoire un seul fait considérable, et dans tous les autres livres un seul chapitre qui, détaché de Moyse, tel que nous l'avons, puisse subsister un seul moment. Tout y parle de Moyse, tout y est fondé sur Moyse; et la chose devait être ainsi, puisque Moyse et sa loi, et l'histoire qu'il a écrite, étaïent en effet dans le peuple juif tout le fondement de la conduite publique et particulière. C'était en vérité à Esdras une merveilleuse entreprise, et bien nouvelle dans le monde, de faire parler en même temps avec Moyse tant d'hommes de caractère et de style bien différens, et chacun d'une manière uniforme et toujours semblable à elle-même, et faire accroire tout à coup à un peuple que ce sont là les livres anciens qu'il a toujours révérés, et les nouveaux qu'il a vu faire, comme s'il n'avait jamais ouï parler de rien, et que la connaissance du temps présent, aussi-bien que celle du temps passé, fût tout à coup abolie. Tels sont les prodiges qu'il faut croire, quand on fait Esdras auteur du Pentateuque.

Quartam probationem in gratiam authenticitatis Pentateuchi afferre solent Theologi, ex antiquitatis notis in Pentateucho conspicuis desumptam. Verùm ne prolixiores simus, remittere sufficiat ad opus D. *Jacquelot* cui titulus, *Dissertations*

sur l'Existence de Dieu, tom. 3, cap. 6; D. *Fleury, Mœurs des Israélites*, et D. *Goguet, Origine des lois, des arts et des sciences.*

CONCLUSIO II.

Pentateuchus hodiernus est verè integer.

Explicatur conclusio. Libri integritas in eo sita est, quòd adulteratus non fuerit, sive per additionem, sive per detractionem. Liber autem adulterari potest vel *substantialiter*, in factis scilicet essentialibus et in rebus majoris momenti, vel *accidentaliter*, in iis nempè quæ minùs præcipua sunt. Iterùm liber corrumpi potest vel ex industriâ, ad confirmationem erroris, vel ex incuriâ aut imperitiâ amanuensium. Fatemur Pentateuchum *accidentaliter* ex amanuensium incuriâ vitiatum fuisse, levioraque menda in eum irrepsisse; igitur sensus conclusionis est quòd *substantialiter* adulteratus non fuerit, ita ut, sive in factis historicis, sive in rebus ad fidem et mores pertinentibus, nunc summâ potiatur auctoritate.

Prob. 1.° Ille liber non fuit adulteratus, cujus interpolationi obstabant Judæorum zelus, ipsius libri usus et notitia communis, et substantia rerum quæ in eo continentur: atqui ne adulteraretur Pentateuchus, etc. 1. Obstabat Judæorum zelus: tanta enim fuit Judæorum erga libros Moysis reverentia et zelus, ut, Josepho teste, non solùm voces et litteras cujusque libri enumeraverint, sed et quoties eadem littera in singulis libris adhiberetur; imò pro eisdem libris conservandis etiam mortem subire fuerint parati, necnon aliquandò reverà subierint;

atqui prorsùs repugnat librum cujus conservationi tantâ fidelitate gens tota invigilabat, licèt multa ipsi indecora et probrosa in ipso continerentur, potuisse, vel ipsâ gente insciâ, vel non contradicente, essentialiter adulterari; ergo, etc.

2. Obstabat usus communis et pervulgata apud Judæos notitia Pentateuchi : erat enim solus regula regiminis tum civilis, tum religiosi; illum quotidiè præ manibus habere debebant Sacerdotes, ut tot ritus et cæremonias sub gravioribus pœnis præscriptas servarent; magistratus, ut jus dicerent; patres-familiâs, ut genealogias suas cognoscerent et suis fruerentur juribus; summâ curâ Legis exemplar in templo asservabatur; quolibet septennio in conventu totius populi recitabatur, Deut. c. 31; Rex ipse propriâ manu transcribere tenebatur, ibid. c. 27 : porrò nemo non videt quantùm hæc omnia Pentateuchi interpolationi obstare debuerint.

3. Obstabat deniquè substantia rerum quæ in Pentateucho continentur : etenim Pentateuchus tribus potissimùm constituitur, historiâ scilicet, miraculis et præceptis : atqui hæc tria inter se ita connectuntur, ut unum ab alio separari nequeat. Vix enim ullum est miraculum quod ab historiæ narratione divelli possit; sic, v. g., exitus Israelitarum ex Ægypto, decem plagas Ægyptiacas; liberatio à persecutione Pharaonis, transitum miraculosum maris rubri supponit, etc. Præcepta similiter cum miraculis indivulsè connectuntur; sic præceptum de celebrandâ Paschâ fundamentum habet in egressu ex Ægypto et populi hebræi liberatione, cujus est commemoratio; miraculosa Legis promulgatio in monte Sinâ, festo Pentecostes;

commoratio in deserto sub tentoriis, festo Tabernaculorum consecrata erat, etc. Ergo, si Pentateuchus fuerit essentialiter adulteratus, dicendum est nullam esse Pentateuchi partem essentialem quæ supposita non fuerit : porrò jam probavimus Pentateuchum non fuisse supposititum, sed genuinum esse Moysis opus ; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex repugnantiâ adversæ sententiæ.* Etenim impossibile fuit adulterari Pentateuchum, quin simul interpolarentur omnes alii libri veteris Testamenti Pentateucho posteriores, cùm, ex jam dictis, omnes ad Pentateuchum, qualis nunc est, ad facta, miracula, præcepta quæ in eo describuntur alludant : atqui repugnat omnes veteris Testamenti libros Pentateucho posteriores, fuisse essentialiter interpolatos, propter rationes quibus suprà probavimus illos libros supponi non potuisse. Et verò, si Pentateuchus in essentialibus adulteratus fuisset, assignari posset epocha et auctor illius interpolationis : porrò neutrum potest assignari. 1. Non interpolationis epocha, ob easdem rationes quibus, conclusione præcedenti, probatum fuit Pentateuchum nullo tempore supponi potuisse. 2. Nec interpolationis auctor : non Judæus, qui certè multa ex eo delevisset genti suæ probrosa et onerosa ; non Samaritanus aut Israelita schismaticus, ea quippè omisisset quæ schisma tam severè et acriter damnant, et insuper hanc mutationem non admisissent Judæi ; non Christiani, cùm reclamassent Judæi et Samaritani ; demùm nec Paganus, id enim nimis absurdum est, quàm ut refelli debeat ; ergo, etc.

Obj. 1.° *contra* 1.am *conclusionem* cum Voltario et aliis : Temporibus Moysis, in usu non

erat scriptura alphabetica; ergo Pentateuchum non scripsit Moyses.

Resp. Nego ant. Testatur enim historia, litteras alphabeticas ab antiquitate remotissimâ ducere originem, et docent eruditi Cecropem et Cadmum, Moysi ferè coævos, alphabeticorum characterum notitiam in Græciam detulisse. Prætereà, hâc in re, sicut in multis aliis, sibi contradicit Voltarius; asserit enim, *Philosophie de l'Histoire*, art. *Phénicien*, Sanchoniaton vixisse Moysis ferè temporibus, et paulò inferiùs subjungit ipsius librum characteribus alphabeticis fuisse exaratum. Vide eximium opus D. *Guénée, Lettres de quelques Juifs Portugais, etc., Lettre* 3, 12.^me^ *édit.*

Obj. 2.° Josue cap 8, ℣. 30, legitur Josue super lapides scripsisse Deuteronomium legis quod Moyses digesserat: atqui quem nunc habemus Deuteronomii librum, integer non potuisset inscribi super lapides numero duodecim, ut docet Rabbinorum *traditio*; ergo *idem non* est qui à Moyse fuit exaratus.

Resp. Nego min. Etenim 1.° mera est Rabbinorum conjectura, duodecim tantùm lapidibus inscriptum fuisse legis Deuteronomium; quinam verò fuerit eorum numerus, prorsùs silet textus qui nobis objicitur: itaque plures esse potuerunt, et molis sufficientis ut integer Deuteronomii liber in iis describeretur. 2.° Etiamsi admitteretur Rabbinorum traditio, cùm illi duodecim lapides *ingentes* dicantur, Deuter. cap. 27, ℣. 2, integrum Deuteronomium in iis scribi potuit, quod, adhibitis calculis, probat Bailly, Tractat. de Religione, tom. 1, pag. 416. Cæterùm, multi Critici censent, nomine Deutero-

nomii legis, intelligendum non esse ipsum Deuteronomium integrum, sed tantùm illius partem, quæ continet legem simul cum benedictionibus et maledictionibus, quæ capite 28 leguntur.

Obj. 3.° In Pentateucho non tantùm sermo fit de Moyse in tertiâ personâ, sed etiam ipsius nomini sæpè præponitur pronomen, *ille, iste*, ut in Exodi c. 6, ℣. 26 et 27 : *Iste est Aaron et Moyses:* atqui nemo unquàm de se ita locutus est. Deindè laudes ipsius sæpè narrantur; postremò, mors ejus in fine Pentateuchi refertur: atqui hæc omnia manifestè probant Moysen non esse auctorem Pentateuchi, ipsumque proindè non esse authenticum.

Resp. Nego min. Ad 1.^{um} Familiare est optimis Scriptoribus, Xenophonti, Cæsari, Josepho, Procopio, ut de seipsis loquantur in tertiâ personâ. Deindè nec verbum *est*, nec pronomen *iste* reperitur in Hebræo, sed legitur tantùm, *ille Moyses*, etc : porrò, ut notat D. *Bullet*, in Hebræo, articulus *ille*, qui nomini Moysis in Pentateucho conjungitur, quandoquè nominibus propriis ad superabundantiam præponi solet, ita ut nihil ampliùs dicat quàm nomen proprium sine articulo; id pluribus exemplis demonstrat auctor doctissimus, *Réponses Critiques*, tom. 1, pag. 76.

Ad. 2.^{um} Cicero in suis orationibus, Josephus in suis de bello Judaico libris, ipse D. Paulus, II. Corinth., et plures alii, datâ opportunitate, aliquam sibi laudem tribuunt, nunquid propterea in suppositionis suspicionem vocantur ipsorum scripta? Prætereà, locus qui præcipuè objicitur, iste est, quòd *mitissimum omnium*

hominum se dicat Moyses, Num. cap. 12, *V.* 3: porrò, præterquàm quòd hæc scripserit ut vindicaret æquitatem divinæ ultionis, quâ Deus Mariæ suæ sororis rebellionem leprâ castigaverat, vox hebraica, quam Vulgata vertit *mitissimus*, reddi potest per istas, *afflictissimus*, *vexatissimus*, ut docent linguæ hebraicæ peritissimi.

Ad 3.um Caput ultimum Deuteronomii, in quo Moysis mors, sepultura, luctus et encomia narrantur, juxta doctiores Criticos, ipsum est libri Josue initium, Deuteronomio adjectum, ut Judæi universam Moysis historiam uno volumine comprehensam haberent. Illud autem suadetur, 1.° ex eo quòd Deuteronomium benè claudatur per benedictiones et preces à Moyse pro duodecim tribubus effusas, et capite penultimo ejusdem libri contentas; 2.° quia ultimum Deuteronomii caput aptum est initium libri Josue, quem nisi ab isto capite ordiaris, abruptum nimis habebis exordium à particulâ, *et*, hoc modo sumptum : *Et factum est post mortem Moysis*, etc.

Permulta alia objiciunt increduli, de quibus consuli possunt interpretes, *Abbadie*, *Calmet*, etc; ad earum tamen difficultatum solutionem, unum aut alterum generale principium, brevitatis causâ, hìc subjiciemus. 1.° Nulla est Deistarum objectio contra Pentateuchi authenticitatem quæ ad rerum substantiam pertineat : *Que dit-on*, inquit Bossuetius, *pour autoriser la supposition du Pentateuque, et que peut-on objecter à une tradition de* 3000 *ans, soutenue par sa propre force et par la suite des choses...? Peut-être est-ce quelque loi nouvelle*

ou quelque nouvelle cérémonie, quelque dogme, quelque miracle, quelque prédiction qui ait été ajoutée au texte de Moyse ? on n'y songe pas seulement ; il n'y en a pas le moindre soupçon ni le moindre indice... Quoi donc ? on aura continué peut-être une généalogie commencée ; on aura peut-être expliqué un nom de ville changé par le temps... Quatre ou cinq remarques de cette nature faites par Josué ou par Samuel, ou par quelqu'autre Prophète d'une pareille antiquité, parce qu'elles ne regardaient que des faits notoires, auront passé naturellement dans le texte ; la même tradition nous les aura apportées avec tout le reste : aussitôt tout sera perdu ! A-t-on jamais jugé de l'autorité, je ne dis pas d'un livre divin, mais de quelque livre que ce soit, par des raisons si légères ? 2.° Si in Pentateucho quædam sint obscura, aut specie pugnantia, his removetur potiùs quàm inducitur imposturæ suspicio ; qui enim Pentateuchum, sub ementito Moysis nomine, confinxisset, ea profectò suo operi non inseruisset, quæ ad fraudem detegendam inservire potuissent, cùm aliundè facile esset ipsa omittere

Obj. 1.° *contra* 2.am *conclusionem.* Lib. IV Reg. c. 22, ℣. 8, Helcias Sacerdos reperit volumen legis in domo Domini, illudque dedit Saphan scribæ deferendum Josiæ regi, qui, cùm audisset verba legis hujus, scidit vestimenta sua, et tremebundus misit ad Prophetissam, ut consuleret Dominum *super rege et super populo, de verbis voluminis illius quod inventum est.* Undè sic : Legis Mosaicæ volumen, etiam in essentialibus, facilè adulterari potuit, si aliquandiù unicum fuerit ejus exemplar : atqui

ex facto mox allato constat, unicum fuisse tunc temporis legis exemplar; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Namque, etsi unicum fuisset legis exemplar, plurima obstabant quominùs potuerit adulterari. Etenim 1. fraus facilè detecta fuisset à Josiæ regis successoribus, qui idolorum cultum restituerunt. 2. Contra interpolationem certè reclamassent, tum decem tribus schismaticæ et Samaritani, tum ipsi Judæi, è quorum memoriâ non excidisset legislatio, historia et Religio suæ gentis intra 50 annos quibus regnârunt impii reges Manasses et Ammon. 3. Ante Josiam florebat Judæorum societas, cujus Religio et politia in legibus Mosaicis reponebatur; et ex lib. Paralipom. cap. 34, constat regem Josiam, antequàm volumen legis ab Helciâ reperiretur, multa fecisse in divini cultûs et templi restaurationem. Insuper facta præcipua Pentateuchi leguntur in aliis libris Helciæ anterioribus, Josue scilicet, Judicum, Psalmorum et Isaiæ; ergo, vel Helcias non adulteravit Pentateuchum, vel dicendum omnes alios libros sibi anteriores, ab ipso interpolatos fuisse, quod prorsùs repugnat, propter rationes jam allatas.

Resp. 2.° *Nego min.* Constat enim librum legis Moysis communem fuisse, tum ex eo quòd, ut in probationibus dictum est, illius usus frequentissimus esse debuerit, tum quia impii reges qui Josiam præcesserant, nunquàm dicuntur legem Mosaicam in rebus civilibus proculcasse: porrò Pentateuchus solus erat codex civilis, juxta quem respublica Judæorum tunc temporis administrabatur.

Inst. Cùm audisset Josias verba libri, ab

Helciâ reperti, magno et novo timore correptus est; de his consuli voluit Dominum; ipsemet ea legit coram populo, fœdusque cum Deo percussit ut impleret omnia in volumine reperto contenta: atqui hæc omnia supponunt nullum tunc fuisse apud Judæos legis exemplar, præter illud quod ab Helciâ Sacerdote in domo Domini repertum est; ergo, etc.

Resp. Nego min. Stupor enim et admiratio Josiæ, et omnia quæ fecerunt ipsemet rex et populus, occasione reperti voluminis, facilè explicari possunt, quin supponatur illud unicum exemplar hujus voluminis exstitisse. Scilicet volumen inventum ab Helciâ, ipsum erat Moysis codex *autographus;* legitur enim Paralipom. cap. 34, ℣. 14, Helciam Sacerdotem reperisse *librum legis Domini per manum Moysis*, scilicet scriptum. Et reipsâ, ex Deuteronomii cap. 31, compertum habemus volumen propriâ Moysis manu descriptum, in latere Arcæ positum fuisse; ipseque Josephus testatur, Antiquit. lib. 10, c. 13, sacrum hunc codicem asservatum fuisse usque ad impii Manassis ætatem, quo tempore Sacerdotes illum in secretiorem locum transtulerunt. Mirum igitur non est si Helcias, templum restaurans, et omnia ejus loca sedulò perlustrans, in istud Moysis exemplar paulò anteà reconditum inexpectatò inciderit. Hinc ille regis et populi stupor et admiratio non ex ignorantiâ et novitate eorum quæ in libro reperto continebantur ortus est, sed ex Religionis et reverentiæ sensu, quo tam pretiosum monumentum prosequebantur; videbantur enim sibi audire ipsum Moysen loquentem, et in characteribus ipsius manu exa-

ratis adhuc spirantem. Hinc etiam facilè explicatur quare Josias jusserit librum repertum legi coram universo populo, et fœdus cum Deo renovari, ratus scilicet pius ille rex, nullam esse opportuniorem occasionem ad accendendum zelum Judæorum, et vividiùs in eorum mentibus imprimendos Religionis sensus.

Obj. 2.° Lib. IV Esdræ cap. 14, dicitur omnia legis exemplaria Hierosolymitano incendio flammis interiisse, et ab Esdrâ iterùm scripta fuisse: atqui, hoc semel posito, etiam in essentialibus, potuit lex adulterari; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Etenim 1. omnia legis exemplaria flammis interiisse non aliundè constat, quàm ex lib. IV Esdræ: porrò illius libri auctoritas nullius est momenti, cùm liber ille ut apocryphus habeatur. Reverà nonnulli ex SS. Patribus auctoritati libri Esdræ, qui nobis objicitur, adhæserunt, sed hâc in re decepti sunt, et ideò sunt relinquendi. 2. Multa certè legis exemplaria post incendium Hierosolymitanum exstitêre, sive apud Judæos in Babylone captivos, qui suis legibus vivebant, ut patet ex historiâ Susannæ; sive apud Judæos qui in Palæstinâ remanserant sub Godolia, Jerem. c. 40; sive apud Samaritanos, sive apud Israelitas decem tribuum.

Resp. 2.° *Nego min.* Nam 1. etiamsi libri Moysis ab Esdrâ iterùm conscripti fuissent, cùm ex capite quod nobis objicitur constet Esdram in iis libris conscribendis divino Spiritu afflatum esse, hoc ipso certum habemus ab ipso non fuisse substantialiter adulteratos. 2. Inter Pentateuchum hodiernum quo utuntur Judæi, et samaritanum, perfecta est, ut diximus, in essentia-

libus consensio : porrò conformitas illa omnem suspicionem interpolationis ab Esdrâ factæ removet. 3. Lib. I Esdræ cap. 3, narratur plurimos fuisse Judæos qui, solutâ captivitate et templo reædificato, prioris gloriam structuramque viderant : atqui seniores illi profectò reclamassent, si Esdras legem Moysis adulterare tentasset.

Obj. 3.° Chronologiæ præcipuorum exemplarium Pentateuchi multùm inter se discrepant. Nam, juxta textum hebraicum, cui consentit Vulgata nostra, ab orbe condito usque ad diluvium numerantur 1656; juxta samaritanum, 1307; et juxta versionem græcam LXX. Interpretum, 2242 : à diluvio autem usque ad vocationem Abrahæ, hebræus codex numerat tantùm 367, samaritanus verò 1017, et græcus 1147. Undè sic : Tam vitiari potuit Pentateuchus in factis essentialibus, quàm circa chronologiam : atqui reverà circa chronologiam vitiatus fuit, ut ipse fatetur S. Aug., de Civit. Dei, lib. 15, cap. 13; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Ex eo quòd enim interpolatus fuerit Pentateuchus circa chronologiam, pessimè concluderetur in aliis partibus ipsum, in essentialibus scilicet factis, dogmatibus, miraculis, vitiari potuisse. Nam 1. codex hebræus, samaritanus et græcus, præter chronologiam, in cæteris omnibus, quoad substantiam, apprimè consentiunt; ergo sicut, juxta adversarios, chronologiarum discrepantia Pentateuchi probat interpolationem; ita et in cæteris omnibus consensio, illius integritatem demonstrat. 2. Nemo non videt ingens esse discrimen inter adulterationem factorum, dog-

matum ac legum, quæ totius gentis historiam ac Religionem continebant, et adulterationem *numerorum*, quibus inversis atque immutatis, nihil prorsùs in civili vel religiosâ administratione mutabatur. Posterius concipitur, tum quia pauci sunt qui ad numeros attendant, tum quia interpolatio hujusmodi ex incuriâ vel errore amanuensium oriri potuit : posterius verò fingi nequit, quin supponatur totam historiam Pentateuchi suppositam fuisse ; ex dictis enim, præcepta, dogmata, miracula ita sibi invicem consentiunt et inter se connectuntur, ut tota ruat historiæ compages, si vel præcepta, vel dogmata, vel miracula ficta dicantur, aut essentialiter vitiata ; ergo ab interpolatione chronologiæ ad adulterationem factorum concludi non potest.

Resp. 2.° ad auctoritatem D. Augustini, tanti Doctoris sententiam esse admittendam, modò rectè exponatur : scilicet ingenuè fatendum est ex industriâ, seu deditâ operâ, perturbatos fuisse calculos in variis Pentateuchi codicibus ; sed negamus id ex malo animo et fraude factum fuisse, tum quia hæc adulteratio nihil impio falsario profuisset, tum quia illud nimis abhorret à veneratione quâ Judæi Pentateuchum semper prosecuti sunt. Itaque dicendum superest ex amanuensium incuriâ erratum irrepsisse in annis generationum Patriarcharum, quod cùm sciolus quidam emendare vellet, illud falsò reputans ubi non erat, verum numerum immutavit : hanc hypothesim clarè exponit et fusiùs explicat D. *Duvoisin*, *Autorité des livres de Moyse*, pag. 121.

ARTICULUS II.

De Veracitate Pentateuchi.

Nota 1.° Liber authenticus et integer esse potest, quin vera sint ea quæ in eo continentur; cùm ergo Pentateuchi veracitas necessaria sit ut ex miraculis quæ in eo dicuntur edita, Religionis Judaicæ divinitas comprobetur, jam demonstratâ Pentateuchi authenticitate et integritate, illius veracitatem probare aggredimur.

Nota 2.° Pentateuchus in duas partes aptissimè dividi potest, quarum prima solo Geneseos libro includitur, et ea continet quæ ante Moysis ætatem contigerunt; secunda verò includit ea quæ vel sub oculis Moysis, vel ab eo peracta sunt, et in quatuor posterioribus Pentateuchi libris continentur.

Nota 3.° Ad vindicandam Religionis Judaicæ divinitatem, strictè loquendo, satis esset probare vera esse facta miraculosa quæ in quatuor posterioribus libris Pentateuchi leguntur; hinc enim manifestè sequitur divinam esse Religionem miraculis confirmatam, et Moysen fuisse Dei legatum, qui proindè falsa scribere et nomine Dei credenda proponere non potuit circa mundi originem, diluvium, et cætera quæ in Genesi referuntur. Verùm, ne aliquid prætermittere videamur ex iis quæ ad revincendos incredulos conducere possunt, à facilioribus ordientes, quatuor librorum posteriorum Pentateuchi, et deindè libri Geneseos veracitatem, distinctis paragraphis, adstruemus.

§ I.

De Veracitate quatuor posteriorum librorum Pentateuchi.

CONCLUSIO.

Vera sunt et indubitata quæ in quatuor posterioribus Pentateuchi libris referuntur.

Prob. 1.° Liber ille nihil nisi vera enuntiat, cujus auctor non potuit decipi, noluit decipere, nec decipere potuisset, etiamsi voluisset : atqui Moyses, auctor Pentateuchi, circa ea quæ narrat in quatuor posterioribus libris Pentateuchi nec decipi potuit, nec, etc.

I. *Decipi non potuit.* Etenim illi libri non exhibent nisi ea quæ à Moyse gesta sunt, vel quæ sub ipsius oculis peracta fuêre : talia sunt miracula coram Pharaone patrata, transitus maris rubri, lex data in monte Sinâ, manna è cœlo delapsum, etc. : atqui circa facta hujusmodi Moysen decipi fuit impossibile, ut evidens est; ergo, 1.° etc.

II. *Nec voluit decipere.* Ille enim noluit decipere, in quo, sive attendatur ad ipsius indolem, sive ad naturam factorum quæ narrat, nihil reperias quod ab impostoris consilio et agendi ratione prorsùs non abhorreat : atqui, sive attendatur ad indolem Moysis, sive, etc. 1. Si attendatur ad ipsius indolem. Namque verum Dei cultum, doctrinam sanctissimam mendacio et fraudi inimicam passìm inculcat; eò spectant leges Hebræis datæ, ut ab eis omnium virtutum officia observentur; Moyses neque affectavit imperium, neque ullas dedit notas ambitionis; nisi diù multùm luctatus,

jubente et cogente Deo, onerosum suscepit ministerium, in quo nihil nisi molestias, ærumnas, pericula, quandiù vixit, expertus est; sacerdotium, summum in republicâ munus, Aaroni ejusque posteris contulit, propriis filiis in inferiori Levitarum ordine relictis; ab omni adulatione alienus, graves leges Judæis imponit, et illarum infractiones, leves in specie, capitali plectit pœnâ; ingratum animum, duritiam cordis, crebras murmurationes et rebelliones severè reprehendit; Aaronis fratris, Mariæ sororis, Nadab et Abiu nepotum suorum peccata memorat; candore et modestiâ plenus, proprias non dissimulat culpas; deniquè in scribendo non vanæ studet eloquentiæ, sed solâ veritate fretus sermonem adhibet simplicissimum: atqui certè non ita se gerit qui alios fallendi habet animum. 2. Si attendatur ad facta quæ narrat, Moyses. Non enim refert facta privata, obscura, ut solent impostores, sed facta publica et splendidissima, quæ ab omnibus poterant explorari; non præterita et remota, sed præsentia; non momentanea, sed quæ per 40 annos duraverant; non vagâ quâdam expositione hæc memorat, sed familias, personas, loca minutatim describit; non aliquos testes adhibet ad fraudem comparatos, sed universam gentem horumce factorum testem fidenter et securè multoties appellat; siquidem postquàm enumeravit miracula per 40 annos ab ipso edita, plebem universam alloquens: *Oculi vestri*, inquit, *viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit*, Deuter. c. 11, ℣. 7: porrò hæc agendi ratio consilium omne fallendi à Moyse prorsùs removet; ergo 2.°.

III. *Moyses decipere non potuisset, etiamsi*

voluisset. Non enim potuisset fallere, nisi vel Judæis persuadendo tanquam vera quæ in Pentateucho leguntur, licèt falsa; vel ipsos inducendo ut secum ad ea stabilienda conspirarent: atqui utrumque impossibile est. Et quidem 1.um: quomodò enim tota gens numerosissima, nisi planè desipiat, ab impostore eò adduci potuit, ut crederet se mare rubrum sicco vestigio trajecisse, quadraginta annis manna è cœlo delapsum manducasse, etc., etsi nihil horum contigerit? Quis populus sine inauditâ dementiâ persuasum habeat se per tam diuturnum tempus egisse, vidisse et audiisse quæ non egit, nec vidit, nec audivit. Non minùs impossibile est 2.um: etenim repugnat totam gentem, et quidem frequentissimam, ita veritatis amorem exuere, ut in asserendis mendaciis sibi notissimis consentiat; eam duras et molestissimas ab impostore sibi cognito leges accipere, ipsique permittere ut summâ auctoritate potiatur, et pro peccatis in specie levioribus pœnam capitalem decernat, ut varias familias æterno opprobrio infamet; repugnat, inquam, gentem numerosissimam ita fuisse fraudis promovendæ studiosam, ut ex tot hominum millibus nullus, vel ingenii levitate, vel invidiâ, vel animi candore, fictum mendacium prodiderit.

Nec dicas Hebræos ex gloriæ cupiditate, ad famam apud cæteras gentes comparandam, in hanc fraudem consensisse; non enim meliùs vicinarum gentium quibus odio semper fuerunt contemptum et indignationem excitare potuissent, quàm prodigia et facta inaudita confingendo. Deindè, cur in hâc hypothesi consentire potuissent in Pentateucho referri ea quæ æternum

opprobrium ipsis inurunt, qualia sunt, v. g., historia vituli aurei, eorum seditiones, etc.? ergo 3.° etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ex monumentis* quæ in Pentateucho referuntur. Ferè enim tota Moysis historia publicis et antiquissimis monumentis ita confirmatur, ut monumenta factis et facta monumentis quæ factis coæva sunt, testimonium perhibeant. *Il y a en quelque sorte deux histoires de Moyse*, inquit auctor doctissimus, *l'une qui est écrite dans le livre qui porte son nom, l'autre qui est comme gravée dans les cérémonies et dans les lois observées par les Juifs.* Sic Pascha, exitûs Israelis de Ægypto; consecratio primogenitorum, cædis primogenitorum ab Angelo exterminatore memoriam revocabat; festum Pentecostes, promulgationem legis in monte Sinâ; festum Tabernaculorum, mansionem Hebræorum sub tentoriis in deserto ob oculos ponebat. Sic laminæ aureæ ex Thuribulis Core, Dathan et Abiron, vas aureum manna continens, virga Aaron quæ floruerat, duæ tabulæ legis in Arcâ asservatæ, serpens æneus qui usque ad tempora Ezechiæ asservatus est, tot erant memorialia factorum *quæ repræsentabant*. Porrò dictu absurdum foret Moysen tum festa, tum memorialia instituisse ad testanda facta quæ asserit suâ ætate contigisse, cùm reverâ non contigerint, imò quæ universa Hebræorum gens certè cognovisset nunquàm contigisse; ergo, etc.

De hoc argumento lege *Discours sur le livre de Moyse*, ad finem operis *Pensées de Pascal*, et D. *Duvoisin*, *de l'Autorité des livres de Moyse*, 2.° *part.*

Obj. 1.° Facta quæ narrat Moyses adeò sunt momentosa et splendida, ut omnibus vicinarum gentium Scriptoribus nec ignorari nec taceri potuissent: atqui tamen de iis nihil referunt; ergo.

Resp. 1.° illud argumentum esse merè negativum, quo proindè infirmari nequeunt probationes positivæ quibus innititur veritas mosaicæ narrationis.

Resp. 2.° *Nego maj.* Etenim scriptores quorum silentium nobis objicitur, vel sunt veteres Ægyptii, Phœnicii, Assyrii, Chaldæi, vel Græci: porrò priorum, præsertìm Ægyptiorum, opera periêre incendio bibliothecæ Alexandrinæ, partìm sub Cæsare, partìm sub Omare Musulmanorum duce, et ex illis nisi quædam supersunt fragmenta apud Josephum et antiquos SS. Patres: porrò in illis fragmentis plura leguntur facta, substantialiter similia his quæ à Mose narrantur: vide Grotium, de Veritate Religionis Christianæ lib. 1, § 16. Quoad Græcos, Herodotus, quem ipsi historiæ parentem dixerunt, 1100 annis à Moyse distat; non mirum igitur videri debet quòd siluerit de factis adeò remotis, et ad gentem spectantibus cujus historiam non scribebat. Prætereà, de iis quæ sub Moyse contigerunt, aliqua fit mentio apud auctores quosdam profanos, quorum adhuc supersunt opera. Sic Diodorus Siculus, lib. 3, cap. 3, de miraculosâ divisione maris rubri loquitur; pestem et ulcera quibus Ægyptii afflicti fuerunt subobscurè memorat Justinus, lib. 36, cap. 2; aquarum quoque è rupe scaturientium meminit Tacitus, licèt miraculum illud fabulosâ narratione deturpet, etc.

Obj. 2.° Si prodigia à Mose relata vera cre-

didissent Israelitæ, non certè adeò frequenter in Moysen et in Deum rebellassent, nec in idololatriam fuissent prolapsi; ergo vera non sunt prodigia quæ refert Moyses.

Resp. 1.° Objectæ rebelliones Israelitarum potiùs veracitatem Moysis confirmant; cùm enim genti universæ maximè sint probrosæ, indè manifestum est, ut jam notavimus, et Moysen non voluisse mendaciis Israelitas decipere, nec ipsos cum Moyse conspirasse ad illa confingenda.

Resp. 2.° *Nego maj.* Etenim 1. non adeò frequentes sunt Israelitarum rebelliones, si attendatur ad intervallum 40 annorum quibus in deserto commorati sunt. 2. Illæ seditiones probant quidem miracula quandoquè inefficacia esse ad domandam voluntatem hominum præjudiciis ac cupiditatibus depravatam, minimè verò Israelitas fidem non adhibuisse miraculis à Mose editis, ut in objectione supponitur; siquidem illæ rebelliones sedatæ fuerunt novo miraculo, quo Moysis auctoritas confirmatur; et insuper nunquàm in iis rebellionibus Moyses fraudis et impostura fuit accusatus, quamvis tunc rebellibus opponat miracula quæ operatus est. Si verò quæratur quænam fuerit causa illarum seditionum, dicimus eas originem duxisse sive ex inconstantiâ quæ vulgi propria est, sive ex tædio longi et difficilis itineris et molestiâ legum, sive ex perversis gentium finitimarum exemplis, et quorumdam ambitione et invidiâ, qui Moysis imperium ægrè ferebant, ut sæpè indicat contextus ipse in quo Israelitarum rebelliones referuntur.

Obj. 3.° Naturaliter explicari possunt omnia

prodigia quæ à Moyse patrata in Pentateucho referuntur; ergo ea veluti divinitùs edita referendo, deceptor fuit Moyses.

Resp. Nego ant. Nam 1. quomodò naturaliter explicare tentabunt Deistæ solemnem legis in monte Sinâ promulgationem, inter tonitrua et fulgura, cum aliis circumstantiis quæ Exodi cap. 19 et 20 leguntur; prodigium terræ ad nutum Moysis dehiscentis, ignis è cœlo delapsi ad puniendam rebellionem Dathan, Core et Abiron, Num. cap. 16; et miraculum serpentis æneï, ad cujus aspectum sanabantur qui lethaliter ab igneis serpentibus vulnerati fuerant: porrò unum ex illis miraculum tantùm probat quantùm omnia simul, vel potiùs unum cætera probat, manifestando scilicet virtutem divinam cujus sunt effectus. 2. Si Israelitæ à Mose circa ea quæ refert miracula decipi potuissent, id certè foret miraculum magis stupendum quàm illa quæ in Pentateucho referuntur: vide quæ diximus suprà, pag. 434. 3. Moysen decipere noluisse probat stylus simplex et frigidus, ut ita dicam, quem in referendis splendidissimis prodigiis adhibet: nullus quidem scriptor Moyse in canticis sublimior, sed in historicâ narratione nullus simpliciori stylo scribit.

Inst. 1.° Plagæ Ægyptiacæ effectus sunt merè naturales; namque, si excipiatur primum prodigium, quod imitati sunt Magi, cætera fuerunt pestilentiæ effectus: scilicet eâ primùm infecti pisces, crocodili, etc., fluxu sanguinis correpti sunt, quo aqua fluminis fuit colorata; aquarum infectio ranas in terram expulit; inusitato aeris calore, subitò germinârunt ova innumera sciniphum; muscæ, cùm majores essent,

nonnisi difficiliùs volare poterant, et ideò hominibus et jumentis adhærebant; pluvia pulveris soli in his regionibus torrenti tribui debet, et vi suâ naturali ulcera procreavit; grando et tonitrua nihil sonant prodigium; locustas levavit ventus urens, et ventus contrarius sustulit; tenebræ verò nihil aliud fuêre nisi spissa et tenebrosa nebula; deniquè pestis quæ pisces et jumenta attigerat, tandem homines juniores sustulit: ita præsertìm *Spinosa;* ergo, etc.

Resp. 1.° *generatìm:* Impossibile est effectus adeò stupendos physicè explicari, sive spectentur in se, sive in suis circumstantiis. 1. *In se.* Nulla quippe est causa naturalis quæ valeat universas regionis alicujus aquas, etiam profluentes, in sanguinem convertere, aut eam ranarum, sciniphum, muscarum procreare multitudinem, quâ afflicta fuit Ægyptus; cujus rei argumentum est constans omnium temporum experientia. 2. *In suis circumstantiis.* Nam primò illæ plagæ à Moyse prænuntiabantur, et ad illius nutum incipiebant et cessabant; secundò ad certum locum erant determinatæ, dùm enim tota Ægyptus his afflictaretur, ab iis terra Gessen, in medio posita, fuit immunis; tertiò ad certum temporis spatium definitæ erant, ad diem et horam à Moyse indicebantur, et intra tam breve unius mensis spatium omnes contigerunt, ut naturaliter illud fieri non potuerit; deniquè, post tentatum quartum miraculum, ipsi Magi Ægyptii agnoscunt Moysen divinâ virtute egisse: nunquid id pernegare ausint Deistæ?

Resp. 2.° Allata Spinosæ plagarum explicatio adeò ridicula est et absurda, ut discussionem non mereatur.

Inst. 2.°

Inst. 2.° Transitus maris rubri et Ægyptiorum in eo strages possunt naturaliter explicari: scilicet, Israelitæ, refluxûs tempore, quem auxit ventus vehemens, secùs littus versùs isthmum *Suez*, mare trajecerunt, vel per exsiccatum maris medium incessêre, scissis aquis per ventum validum ab oriente flantem, dùm aquis recurrentibus submersi sunt Ægyptii; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Et 1.° quidem transitus maris rubri explicari nequit per refluxum. Nam 1. Moyses omnium fuisset stultissimus, si ad vitandas asperas vias montium Arabiæ, ubi ab equitatu Pharaonis nihil habuisset timendum, viam refluxûs potiùs elegisset, cùm periculum foret ne ab equitatu Pharaonis attingeretur, vel eodem durante refluxu, vel saltem refluxu proximè sequenti. 2. Ægyptii et Israelitæ æstum maritimum certè noverant; non enim ignorare potuerunt quid contingeret quotidiè in vicini maris littoribus: cur ergo Israelitis de adventu Ægyptiorum tremebundis et murmurantibus in Moysen, ipse nomine Dei salutem prænuntiat et Ægyptiorum ruinam, in eo quod patraturus erat prodigio? Cur virgam supra mare, jussu Dei, extendit? Quomodò Hebræis persuadere potuit se insigni transitûs maris rubri miraculo, aquis instar muri hinc indè suspensis, liberatos fuisse? Cur et ipsi illud miraculum tanquam favorem Dei præstantissimum erga suam gentem semper crediderunt? Cur nullus ex equitatu Pharaonis aquas fluxu sequenti redeuntes effugere potuit? 3. Refluxus propè isthmum *Suez*, quâ Israelitas mare transiisse contendunt adversarii, non aperit tramitem nisi 300 passibus latum, et quidem per unum horæ

quadrantem, quo inter refluxum et fluxum sequentem mare quiescit; illud verò spatium, durante fluxu et refluxu, ita crescit et decrescit ut, ad summum, 200 passus per sex horas habuerint Israelitæ ut mare de littore ad littus trajicerent : atqui prorsùs impossibile est ut per tam angustum spatium temporis et loci, mare rubrum transierint 2,000,000 hominum, puerorum, senum, mulierum cum pecoribus et immensâ supellectili quâ onerabantur. 4. Cadavera Ægyptiorum allata fuêre ad ripam orientalem, seu ad littora Arabiæ ubi ea, trajecto mari, conspexerunt Hebræi; et reverà cùm Ægyptii, viso miraculo, littora Ægypti ad occidentem repetere festinassent, ipsis *occurrerunt aquæ* revertentes, quæ proindè ad ripam oppositam seu orientalem illorum cadavera detulêre: porrò in hypothesi adversariorum, *projecta fuissent* versùs isthmum *Suez*, ad partem septentrionalem, quò aquæ per fluxum impelluntur.

2.° Neque factum illud per ventum validum naturaliter potest explicari. Vel enim ventus ille auxit duntaxat refluxum, scilicet aquas cohibendo ne citiùs proximo fluxu redirent, ut voluit *Le Clerc;* vel aquas per medium scindendo, ut contendit *Spinosa*. Prius, ex jam dictis, satis refellitur, cùm probaverimus Israelitas, ope refluxûs, mare rubrum non trajecisse. Posterius verò prorsùs nugatorium est; ventus enim adeò vehemens ut aquas scidisset usque ad nudum maris solum, certè Israelitarum transitui obstitisset, imò ex ipsius impetu ipsimet suffocati et dispersi fuissent.

Inst. 3.° Artapanus transitum maris rubri per æstum maritimum explicat, ex Memphitarum

traditione; plurimi etiam interpretes Christiani illum exponunt de viâ Israelitarum in littore per semicirculum. Josephus ipse, lib. 2 Antiq. cap. 7, miraculum attenuat; imò et concipi nequit quomodò Pharao et Ægyptii Israelitas persequi ausi fuissent in medio mari, si tanto miraculo aquæ fuerunt divisæ; ergo, etc.

Resp. ad 1.um Incerta prorsùs et vaga Memphitarum traditio, certè non prævalet probationibus positivis et constanti Judæorum traditioni. Prætereà, narrat ipse Artapanus Heliopolitanos, qui non procul à mari rubro incolebant, traditionem aliam habere, narrationi Moysis omninò conformem, quam etiam servant Arabes. Vid. *Bullet,* tom. 1, pag. 84.

Ad 2.um : Christiani interpretes in transitu maris rubri miraculum agnoscunt, licèt diverso modo illud exponant. Cæterùm, in suâ expositione decepti sunt variis difficultatibus quæ ex locorum inspectione facilè solvuntur, ut optimè demonstrat auctor dissertationis de Transitu maris rubri, *Bible de Vence, tom.* 1, *édit. in*-4.°, *pag.* 719.

Ad 3.um : Josephus illud miraculum non præcisè extenuat; sic enim illud refert, Antiq. lib. 2, c. 7 : *Cùm orasset Moyses, percussit mare virgâ, quod statim percussione incisum, et in se divisum, terram reliquit nudam, ut Hebræis via esset et fuga. Cùm verò Ægyptiorum exercitus, nesciens Hebræis propriè factam et non esse communem viam, intrasset, mare rursùs effusum est, ita ut nemo ex iis relinqueretur :* quæ quidem verba miraculum satis clarè sonant. Si deindè addat, viam per mare Hebræis patuisse, sive *Dei voluntate, sive sponte naturæ*, et illud

factum comparet trajectioni maris Pamphilii ab Alexandro, ita loquitur sive ex timore Ethnicorum, qui exosos habebant Judæos, sive ex ambitione, ut Imperatorum, in quorum gratiam scribebat, favorem aucuparetur; sive fortè ex industriâ, ut scilicet hâc, ut ita dicam, attemperatione ipsis Gentilibus facta miraculosa credibilia fierent. Cæterùm, non desunt apud eumdem historicum alia hujusmodi dissimulationis exempla.

Ad 4.um : 1.° Expressè dicitur Exod. cap. 14, *Induratum fuisse cor Pharaonis ut persequeretur Israel* : undè tam isti quàm aliis miraculis resistere potuit. 2.° Vel ignoraverunt Ægyptii se jam ad littus attigisse, ob noctis et columnæ nubis obscuritatem, et solo ducti strepitu ingentis multitudinis Hebræorum quos insequebantur; vel incauti et furore præcipites maris refluxu viam patuisse existimaverunt. Quidquid sit, miraculosus ille transitus est factum adeò firmis et positivis momentis stabilitum, ut argumento negativo infirmari non possit.

Hìc, datâ occasione, expendi solet altera objectio desumpta ex Ægyptiorum expoliatione, de quâ Deistæ Hebræos injustitiæ, vel mendacii et fraudis insimulare amant : injustitiæ quidem, cùm Ægyptiis vasa et supellectilem furati fuerint; mendacii et fraudis, cùm hæc sub titulo *commodati* vel *mutui*, ab Ægyptiis petierint, ut satis indicat Exod. cap. 13, ℣. 35.

Verùm ab utroque crimine facilè absolvuntur Hebræi. 1.° A furto : sive quia egerunt jussu Dei, Exod. cap. 3, ℣. 12, qui proindè illorum bonorum dominium in eos transtulit; sive quia ea sibi sumpserunt in compensationem tum

prædiorum quæ relinquebant Ægyptiis, tum mercedis laboris quâ defraudati fuerant, et pro malis sibi injustè inflictis : quæ compensatio, etsi inter privatos probanda non sit, tamen inter gentem et gentem licita est. 2.° A fraude et mendacio pariter immunes fuêre Hebræi : etenim, juxta linguæ hebraicæ peritos, vox quam latinus interpres vertit *commodare*, frequentissimè *petere*, *dare* significat, proindèque dici potest quòd Hebræi hæc vasa dono data ab Ægyptiis receperint, ut Josephus significare videtur; vel dicendum, ut placet aliis cum celebri *Michaelis*, Hebræos bonâ fide ab Ægyptiis mutuatos fuisse cum intentione reddendi, quod tamen præstare non potuerunt, tum præcipiti ex Ægypto discessu, tum repentinâ Pharaonis aggressione, tum insperatâ maris rubri trajectione. Undè, Deo sic providente, veri domini evaserunt eorum quæ Ægyptii ipsis commodaverant, quæque aliis titulis, ut modò dicebamus, servare potuerunt.

Cætera incredulorum objecta contra Moysis veracitatem recensere et refellere non sinit nobis præscripta brevitas; satis igitur sit ea diluisse quibus magìs confidunt. Prætereà, nimis levia sunt quæ ab ipsis opponi solent. Quis enim, nisi demens, excipere velit, v. g., manna, quod è cœlo descendisse per 40 annos testatur Moyses, et cujus miraculosas proprietates coram universâ gente describit, non fuisse nisi quamdam mellis speciem ex Arabiæ arboribus defluentis? Quis sibi persuadeat columnam nubis, quæ ex unâ parte luminosa, et ex alterâ tenebrosa, iter Hebræorum ad Dei nutum præsignabat, per noctem illos illuminabat, per diem verò ab

ardore solis protegebat, fuisse merum ignem ad fastigium perticæ à primâ cohorte Hebræorum delatum? Quis credat et Moysen adeò stupidum fuisse, ut illud veluti omnipotentiæ divinæ prodigium toti genti exhiberet, et Israelitas adeò hebetes, ut illi fidem adhiberent? Quis potiùs non stupeat hujusmodi vesanias in Dictionario Encyclopædiæ, art. *Nuée* (*colonne de*) insertas fuisse? At suo in revelationem odio et furore ita excæcantur Deistæ, ut non attendant se nobis credenda proponere, quæ Moysis miraculis longè sunt incredibiliora.

§ II.

De Veracitate libri Geneseos.

Quæstio potissimùm versatur circa ea quæ narrat Moyses in undecim prioribus capitibus libri Genesis, in quibus describuntur creatio mundi, diluvium et hominum dispersio; de cæteris quippe factis quæ in posterioribus illius libri capitibus referuntur, nulla potest esse ratio Moysis veracitatem in dubium revocandi, cùm ea facilè potuerit cognoscere ex traditione suæ gentis.

Duo adversùs incredulos probanda aggredimur, 1.° *generatìm* veracem fuisse Moysen in his quæ refert in libro Geneseos; 2.° *speciatìm* ipsius veracitatem vindicabimus circa factum diluvii universalis.

CONCLUSIO PRIMA.

Vera sunt quæcunque Moyses scripsit in libro Geneseos.

Prob. Scriptor ille verax dicendus est, qui

1.° non potuit velle decipere, 2.° qui omnia quæ refert certò potuit cognoscere, et 3.° cujus historia populorum omnium traditionibus confirmatur : atqui talis est Moyses circa ea quæ scripsit in libro Geneseos.

Et I. Moyses non potuit velle decipere. Deistæ enim qui Moysen exhibent ut solertissimum impostorem, ei tribuere non possunt consilium quo nullum fuisset insanius : atqui hujusmodi fuisset Moysis consilium, si voluisset decipere circa ea quæ narrat de primævis mundi ætatibus, cùm hoc ipso sese exponeret, et quidem gratuitò, censuræ et contemptui omnium gentium. 1. Moyses, ea quæ narrat in libro Geneseos confingendo, ludibrio et contemptui omnium sese exponebat, tum Hebræorum, qui certè apprimè noverant opinionem de creatione mundi, diluvio et dispersione hominum *vigentem* sive apud Chaldæos, à quibus originem ducebant per patrem suum Abraham, sive apud Ægyptios, quibuscum à longo tempore vixerant; tum cæterorum populorum, apud quos penitùs deleta non fuerat priorum temporum traditio; ergo, etc. 2. Et quidem gratuitò : namque de iis quæ primæva tempora spectant dicere non tenebatur, aut si quædam referre voluisset, poterat uti verbis generalioribus quæ nihil fixi determinando, nullam censuræ viam aperuissent. Prætereà, omnes characteres veracis historiæ in suâ narratione sibi vindicat Moyses; ergo 1.° non potuit velle decipere.

II. Moyses omnia quæ refert potuit cognoscere. 1. *Traditione orali* : quamvis enim ab Adamo usque ad Moysen circiter 2500 numerentur anni, pauci tamen inveniuntur inter-

medii testes, scilicet 200 annos et ampliùs cum Adamo vixit Mathusala, cum Mathusalâ 600 annos Noe, cum Noe 450 Sem, cum Sem filio Noe diù vixerunt Abraham et Isaac; Isaac verò fuit avus Levi, qui ipse Moysis avus erat, et quem pluribus annis in terris degentem vidit Moyses; sicque ab Adamo usque ad Moysen quinque tantùm numerantur generationes; porrò tam paucis intermediorum testium generationibus incorrupta potuit facilè servari traditio, tum quia pauca et maximi momenti erant facta quæ in illâ continebantur; tum quia senes nativâ propensione sunt *laudatores temporis acti*, eventusque memorabiles ad filios et nepotes crebrâ narratione transmittere amant. 2. Facta quæ narrat Moyses cognoscere potuit, sive memorialibus scriptis, ut docent multi, sive monumentis à primævis temporibus usitatissimis, qualia sunt hymni et cantici apud veteres frequentiores, ad servandam factorum memoriam, templa, statuæ et altaria quæ erigebantur, columnæ in quibus facta memorabilia, leges, consuetudines inscribebantur. Tandem ea haurire potuit Moyses ex mutuo quod tunc vigebat commercio inter varios orbis populos. Hinc concludere licet Moysen (qui in Ægyptiorum scientiis fuerat edoctus, et non longè à Chaldæis et Assyriis vixerat), independenter à revelatione, ea quæ refert ita cognoscere potuisse, ut major ipsi quàm cuilibet ex antiquis Scriptoribus fides debeatur. Vide hâc de re *Jacquelot*, tom. 1, à cap. 4 usque ad 10, et *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, tom. 4, pag. 380.

III. Historia Moysis traditionibus omnium

populorum confirmatur. Nam, ut hìc de diluvio sileamus, de quo in sequenti conclusione, in omnibus populorum annalibus deprehenduntur vestigia præcipuorum factorum quæ narrat Moyses. 1.° De facto creationis, ait D. *Goguet: Elle a régné dans toute l'antiquité*, etc.; *Origine des lois*, tom. 1, pag. 380; *C'est un fait attesté par la tradition de tous les peuples*, addit D. *de Pouilly*, *Mémoires de l'Académie*, tom. 6, pag. 91. 2.° Iis quæ refert Moyses de modo creationis apprimè consentiunt veteres cosmogoniæ Phœniciorum, Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum, de quibus lege Grotium, de Veritate Relig. Christ., lib. 1, cap. 16. 3.° Creationis intra sex dies memoriam servatam apud omnes gentes ita testantur Scriptores antiqui, et confirmant D. *Bailly*, *Hist. de l'Astronomie ancienne*, lib. 7, § 8, et D. *Goguet*, in opere jam citato, ut *Diderot* tanto pressus pondere, fateri coactus sit hâc traditione inconcussam demonstrari Moysis historiam. 4.° De statu innocentiæ et lapsu protoparentum apud omnes gentes traditionem sic contrahit D. *Goguet*: *Tous les peuples déposent qu'originairement l'homme a joui d'une innocence de mœurs et d'une félicité que depuis il n'a plus recouvrée*, operis citati tom. 1, pag. 369; cui consentit *Voltarius*: *La chute de l'homme dégénéré est le fondement de la Théologie de presque toutes les nations. Quest. sur l'Encyclopédie.* 5.° Inebriationis Noe cum omnibus suis adjunctis, nominum filiorum suorum Cham, Sham vel Sem, Japety aut Japhet, memoria servatur apud Indos; et longævitatem primorum hominum tradunt Scriptores antiqui, apud Jo-

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

sephum, lib. 1, c. 4 Antiq. 6.° De Turri Babel etiam meminêre veterum traditiones, quas refert Grotius, oper. cit. not. 63. 7.° Sodomorum incendium memorant Strabo, Tacitus, et alii relati à Grotio, oper. cit. not. 64. Uno verbo, ita narrationi mosaicæ consentiunt populorum annales, ut eruditi plurimi ostendere aggressi fuerint eorum antiquitates, et præcipuè Mythologiam, nihil aliud esse quàm historiam Moysis adulteratam. Præter doctiss. Huetium, Demonst. Evang. propos 4, et *Guérin du Rocher, Histoire des temps fabuleux*, quos longiùs progressos fuisse opinantur multi, remittere sufficiat ad Calcutenses Academicos : *Ils ont trouvé dans l'Inde les premiers caractères de la Mythologie, et ont remarqué d'ailleurs dans les livres des Brames, dans leurs liturgies, dans leurs monstrueuses divinités, des traits si ressemblans aux personnages, aux faits dont a parlé Moyse, que ces copies grossières et altérées ne permettent pas de se méprendre sur leur modèle, et décèlent évidemment la source à laquelle on doit les rapporter.* Vide Memorialia Academiæ Calcutensis, cui titulus : *Recherches Asiatiques*, et D. *de La Mennais, Essai sur l'Indifférence*, tom. 4, cap. 29, et cap. 32, p. 173 et seqq.

Obj. 1.° Moysis historia prævalere non potest annalibus omnium veterum populorum, nempè Chaldæorum, Assyriorum, Ægyptiorum, Indorum et Sinensium : atqui annales illorum populorum longè majorem mundi antiquitatem assignant quàm Moysis historia in libro Geneseos consignata ; ergo verax *non est Moyses in iis quæ* narrat de mundi origine in libro Geneseos.

Resp. Nego maj. Moysis enim historiam annalibus populorum esse anteponendam constat, tum ex collatione illorum annalium cum historiâ Moysis, tum ex doctissimorum criticorum judicio. 1.° Quidem ex illorum annalium collatione cum Moysis historiâ; omnia enim quæ in illâ referuntur circa mundi creationem, originem et dispersionem populorum, ita rationi consentiunt, ut nihil huc usque opponi potuerit; imò narrationem mosaicam non satis demirari potuerunt viri ingenio præcellentissimi; in populorum verò annalibus, nihil invenies nisi fabulas ridiculas, deorum et semideorum regna, intervalla factis vacua, fictorum regum successionem minimè connexam. Deindè facta mosaica notoriis et obviis traditionibus innituntur; testatur enim Moyses coram gente universâ, se nisi quinque generationibus ab origine mundi distare, recentem ostendit populorum originem, juxta notissimam suæ ætatis opinionem; nihil verò in populorum annalibus nisi quædam historiæ deprehenduntur, aut nonnulla tantùm fragmenta valdè imperfecta Scriptorum veterum, etiam non coætaneorum, ad nos usque à Græcis transmissa, qui, pro innato fabularum amore, ea adulterare potuerunt. Imò illi Scriptores nec inter se, nec cum seipsis conveniunt. Postremò, Moyses aliis Scriptoribus longè antiquior est; Herodotus enim, qui Pater Historiæ appellatur, nonnisi 1100 annis post eum vivebat: ii verò qui priores suis gentibus tantam tribuêre antiquitatem sunt recentissimi; probat enim D. *Goguet, Origine des lois,* tom. 1, diss. 2 et 3, eorum longiores calculos nonnisi ex vanâ gloriæ cupidine excogitatos fuisse, pro

Chaldæis à Beroso, pro Ægyptiis à Manethone, qui scripsêre 300 tantùm annis ante Christum. Id autem de plerisque aliis dici potest; ergo, 1.°, etc.

2.° Ex doctissimorum criticorum judicio. Quia verò illorum omnium testimonia, circa prætensas singulorum populorum antiquitates hìc referre non vacat, de quibus consule præsertìm D. *Goguet*, oper. jam citato, et D. *Cuvier*, *Discours préliminaire*, pag. 95, *Recherches sur les ossemens fossiles*; refferre sufficiat verba D. *Fréret*, incredulis minimè suspecti : *Je me suis attaché à discuter, à éclaircir l'ancienne chronologie des nations profanes, j'ai reconnu par cette étude, qu'en séparant les traditions véritablement historiques, anciennes, suivies et liées les unes aux autres, et attestées et même fondées sur des monumens reçus comme authentiques; qu'en les séparant, dis-je, de toutes celles qui sont manifestement fausses, fabuleuses ou mêmes nouvelles, le commencement de toutes les nations, même de celle dont on fait remonter le plus haut l'origine, se trouvera toujours d'un temps, où la vraie chronologie de l'Ecriture montre que la terre était peuplée depuis plusieurs siècles : Mémoires de l'Académie des Inscript. tom.* 18, *in*-4, *pag.* 294 *et tom.* 39, *in*-12, *pag.* 490.

Inst. 1.° Ex observationibus astronomicis populorum mox recensitorum constat mundum antiquiorem esse quàm docet Moyses; ergo, etc.

Resp. Illæ observationes nullius sunt ponderis, ut constabit ex illarum enumeratione. 1.° Observationes Chaldæorum sunt omninò incertæ; solo enim Porphyrii, Christianæ Re-

ligioni infensissimi, auctoritate nituntur, et prætereà argumentis positivis refelluntur, de quibus vide *Bullet*, tom. 2, pag. 87. 2.° De observationibus Indorum audiatur D. *Cuvier*: *L'on vient de reconnaître*, inquit, oper. citato, *que leur Syria-Siddanta, qu'ils regardent comme leur plus ancien traité d'astronomie, et qu'ils prétendent révélé depuis plus de* 2,000,000 *d'années, ne peut avoir été composé qu'il y a environ* 750 *ans : Voyez Mémoires de Calcuta tom.* 6, *pag.* 537. 3.° Observationes Sinensium, juxta D. *Fréret*, non contradicunt mosaicæ narrationi, et addit D. *Cuvier* : *La première observation qui paraisse véritable, est une observation de Gnomon, de* 2900. Vid. *Préface de l'édition du Chou-King* D. *de Guignes*. 4.° De monumentis Ægyptiis, nempè de duobus Zodiacis *Denderah* et *Esne* inventis, et quæ ab incredulis tanto plausu excepta sunt, recentioris ætatis esse agnoscunt hodiè critici omnes; et reverà, hæc duo monumenta, probantibus eruditis, è Musæo Antiquorum amota fuêre. De his Zodiacis et de controversiis circa ea inter eruditos exortis, historicam notitiam summatìm et accuratè exhibet l'*Ami de la Religion et du Roi*, ann. 1821, n.° 736.

Inst. 2.° Atqui mundi antiquitas longè major est eâ quam assignat Moyses; namque illa antiquitas orbi est adscribenda, quam postulat geologia, seu scientia structuræ Globi terrestris : atqui longè majorem eâ quam assignat Moyses, postulat, etc.; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim si ex geologiâ infirmari posset veritas narrationis mosaicæ, vel

ex geologiæ systematibus, vel ex factis seu observationibus : atqui neutrum dici potest. 1. Non ex systematibus : nam præterquàm quòd systemata nihil officiunt argumentis positivis et inconcussis, qualia sunt ea quibus veracem Moysen demonstravimus, asserit D. *Cuvier, Le nombre des systèmes de Geologie s'est tellement augmenté, qu'il y en a aujourd'hui plus de* 80, et addit : *Nous osons affirmer qu'il n'en est pas un seul sur lequel on ait rien d'absolument certain; presque tout ce qu'on en a dit est plus ou moins vague. La plupart de ceux qui en ont parlé, l'ont fait selon ce qui convenait à leurs systèmes, beaucoup plus que sur des observations impartiales : Rapport de M. Cuvier sur l'ouvrage intitulé Théorie de la surface de la terre.* Quæ verba, ut potè viri in geologiâ versatissimi, sanè decretoria sunt. 2. Non ex peritorum observationibus; nam, ut addit D. *Cuvier*, cui consentiunt omnes geologi peritissimi, *Cette partie positive (les observations)*, inquit, *n'a point encore assez recueilli de faits pour fournir une base suffisante aux explications.* Hinc systemata jampridem excogitata hodiè ab omnibus rejiciuntur, et alia proferuntur quæ cras forsan novâ observatione explodentur.

Obj. 2.° cum Voltario : Inter homines qui varias terræ plagas incolunt, alios videre est albos, alios fulvos, alios nigros : atqui impossibile est homines coloris adeò diversi ex uno eodemque homine duxisse originem; ergo, etc.

Resp. Nego min. Nôrunt enim omnes qui in historiâ naturali vel tantillùm versati sunt, hanc generis humani varietatem ex vario climatum situ, diverso victu et educatione ortum

habere, quod multis factis et experientiis demonstratur. Vide, si juvat, celeberr. *Buffon, Discours sur les variétés de l'espèce humaine.*

Inst. Ubi detecta fuit America, XV seculo, jam erat incolis frequentissima : atqui illi à communi cæterorum hominum parente ortum ducere non potuerunt, cùm nulla priùs fuerit communicatio inter Americam et cæteras veteris orbis partes ; ergo, etc.

Resp. Nego min. et ejus probat. Nam minimè constat inter veterem et novum orbem seu Americam, antequàm iste detegeretur, nullam fuisse communicationem ; nihil enim obstat quominùs, longè ante illam epocham, nautæ quidam navigando in parvis cymbis per angusta septentrionis freta, quæ multis insulis sparsa creduntur, in Americam appulerint, vel tempestate illuc fuerint disjecti. Quinimò, ex viatorum relationibus, multæ quoad corporis formam, usus et mores convenientiæ deprehenduntur inter Americanos et incolas peninsulæ, *Kamschatka*, quæ communem utriusque populi originem indicare videntur, ex quo aliisque observationibus censent eruditi quidam, Americam olim Asiæ, mediante præfatâ peninsulâ, adhæsisse, sed ingruentibus Oceani fluctibus, aut violento terræ motu, ab ipsâ fuisse divulsam. Vide *Réponses critiques* D. *Bullet*, tom. 2, pag. 54.

CONCLUSIO II.

Exstitit diluvium universale quod à Moyse describitur.

Prob. 1.° eodem *argumento generali* quo demonstratur Moysen nec falli nec fallere potuisse

circa ea quæ narrat. Etenim si fuit unquàm factum ita insigne ut fraus et deceptio locum habere nequiverit, hujusmodi fuisse diluvii factum fatendum est, cujus, si exstitit, plurima superesse debuerunt tempore Moysis monumenta; si verò non exstitit, facilè potuit eodem tempore revinci suppositio ex monumentis populorum, et imprimis Ægyptiorum. Quis enim, v. g., audeat in Galliâ dicere ante octingentesimum abhinc annum inundatione universali cuncta periisse, cùm *ubique præstò sint remotioris* epochæ monumenta authentica?

Prob. 2.° *Ex totius antiquitatis traditione.* Illud enim factum est admittendum quod omnes testantur populi; nulla quippe alia hujus consensionis causa esse potest, quàm facti veritas sine interruptione ab ipsis testibus oculatis transmissa: porrò exstitisse diluvium universale testantur omnes omninò antiquissimæ orbis nationes. Manifesta est Græcorum traditio in his quæ referunt ipsorum poetæ de diluvio Deucalionis et Pyrrhæ. Suus est Chaldæis Xixuthrus, orbis aquis deleti reparator, ut narrat Berosus, auctor Chaldæus, apud Josephum. Eamdem traditionem, licèt nonnihil fabulis obscuratam, tenuêre Ægyptii in his quæ commenti sunt de Osiri et Typhone. Eadem fides viguit apud Assyrios, Indos, Thibetanos, Sinenses, sine controversiâ omnium gentium antiquissimas: id testantur viri antiquitatis peritissimi *Freret*, *Pouilly*, etc. Vide etiam Grotium oper. sæpiùs citat., qui omnium veterum collegit testimonia, Berosi, Abideni, Plutarchi, Luciani, etc. De populis Orientis consuli possunt *William Jones*, *Mémoires de Calcutta*;

Le Gentil, Voyage aux Indes; Paulin de S. Barthélemy, Voyage aux Indes; de Guignes, Préface du Chou-King, etc. Mexicani et Peruviani, in novo continenti, hujus cladis memoriam retinuerunt, ut conjicere licet ex paucissimis eorum historiæ fragmentis, apud D. *de Humboldt*, de Monumentis Mexicanorum. Adeò unanimis et manifesta est populorum hâc de re consensio, ut *Boullanger*, insignis Atheus, in libro cui titulus, *l'Antiquité dévoilée*, quærens factum aliquod celebre, universìm omnibus notum hominibus, nullum aliud selegit quàm diluvium : *Il faut prendre un fait dans la tradition des hommes, dont la vérité soit universellement reconnue : quel est-il? Je n'en vois pas dont les monumens soient plus généralement attestés que ceux qui nous ont transmis cette révolution physique* (*le déluge*), etc.

Et certè, si non exstitisset diluvium, monumentum aliquod haberemus antiquioris epochæ; dùm è contrà omnia monumenta illius ætatis et sequentium, omnes historiæ, novitatem orbis post diluvium tradunt.

Prob. 3.° *Ex statu hodierno terræ.* Facies orbis, qualis se hodiedùm offert, plura servat diluvii monumenta, quæ ingeniosè dicta sunt *les Médailles du déluge*. Cùm autem in præsenti materiâ gravissimæ sint controversiæ, quæ longam inducerent discussionem, brevitati consulentes, quæ sunt certa seligimus; et ne proprio marte facta fingere aut explicare videamur, è vestigio sequimur D. *Cuvier*, in rebus geologicis facilè principem, necnon opus recens editum (anno 1823), cui titulus, *Reliquiæ diluvianæ* : auctor est D. *Buckland*, professor

Oxoniensis, cujus sagacem diligentiam et felices inquisitiones laudat D. *Cuvier*, ipsumque vocat *doctum et ingeniosum geologum*. Argumentum sic proponimus.

Abstrahendo à quæstione utrùm plures fuerint inundationes nec-ne; utrùm hoc vel illud monumentum priori vel posteriori sit tribuendum inundationi, certum est, 1.° orbem nostrum obnoxium fuisse violento diluvio, quod subito et universaliter sæviit; 2.° illud diluvium circa tempus diluvii mosaici accidisse, nec ulteriùs protrahi posse illius epocham.

1.° *Fuit repentina et universalis inundatio.* Probant ossa rhinocerotis, elephanti, hyænæ, etc. quæ quotidiè reperiuntur in his etiam regionibus ubi penitùs deficit horumce animalium genus, in Angliâ, in Siberiâ, in insulis, ut vocant, glaciei, etc. Ipse *Buckland* plura collegit in speluncis Angliæ et Germaniæ luto adhuc contaminata, et in talibus circumstantiis, ut indè validum eruat in gratiam diluvii argumentum. Auctorem fusiùs disserentem sequi nec vacat, nec nostri muneris est : vide ipsius citatum opus. Similes animantium reliquias reperire est in summitatibus altissimorum montium. Ossa elephanti aut similis feræ invenit celebris *de Humboldt*, in montibus gallicè dictis, *les Cordillières*, ad altitudinem 7000 pedum, supra maris æquor. Propè *Santa Fé de Bogota*, eâdem fermè altitudine, locus est ubi ossa tantæ dimensionis conspiciuntur, ut ab incolis nuncupetur *le Camp des géants;* imò quod stupendum magis est, existunt in summitatibus montis *Kylas* in Thibeto, qui 15000 pedum attollitur, equi et damæ fragmenta, in regionibus nivis

perpetuæ : quæ ossa cum devolutis nivibus decidunt, ideòque ab incolis è cœlo delapsa creduntur. Undè concludere licet hujusmodi reliquias vel eò devectas fuisse per inundationem, vel, ex hypothesi quòd immutata post diluvium fuerit aeris temperies, animalia hìc viventia inopino aquarum adventu periisse.

Prætereà, inundationis hujus signa manifesta exhibent collium et vallium situs et forma : istorum detrita facies quasi impellentibus undis ; analogia constans angulorum hinc et indè proeminentium et recedentium, quibus manifestè indicatur immensus aquarum decursus. Vallium verò, imprimìs earum quæ valles *denudationis* vocantur, forma ad instar alvei aut canalis quem excavaverit violenta collisio aquarum. Sed his omnibus evidentius signum est ; nempè si ad exitum vallis, mons aut collis contrà occurrat, in eâ parte quæ ad vallem respicit, videre est saxa, lapides, arenam, comminuta quoque rupium fragmenta, è longinquo persæpè devecta, quæ clivum collis operiunt ad altitudinem aliquandò trecentarum hexapedum : quas congeries cuinam causæ tribuere est, nisi supervenientibus magno impetu undis, quæ contra montem veluti opposito repagulo confractæ et retentæ, hìc deposuerunt quæcunque in alveo abrepta volvebantur. Accedunt multa alia, quæ exponit indefessus naturæ explorator D. *de Saussure*. Cæterùm, hæc nostra assertio ab omnibus quotquot rebus physicis claruêre, admittitur, *Buffon*, *Deluc*, *Dolomieu*, *Buckland*, *Cuvier*. Imò ex iis nonnulli, nedùm diluvium rejiciant, plures fuisse inundationes contendunt. Sufficiat testimonium D. *Cuvier*,

Recherches sur les ossemens fossiles, Discours prélim. pag. 10 : *Ces irruptions, ces retraites forcées* (des eaux), *n'ont point été lentes, ne se sont pas faites par degrès; la plupart des catastrophes qui les ont amenées ont été subites; et cela est surtout facile à prouver pour la dernière de toutes, celle dont les traces sont le plus à découvert. Elle a laissé encore dans les pays du nord des cadavres de grands quadrupèdes que la glace a saisis, et qui se sont conservés jusqu'à nos jours avec leur peau, leur poil et leur chair.*

2.° *Inundatio illa circa tempora diluvii mosaici accidit.* Etenim natura ipsa nonnulla præbet durationis metiendæ media : scilicet plurimi sunt effectus naturales qui singulis annis, aut saltem singulis seculis augescere deprehenduntur. Continuò crescunt in littore maris istæ congeries arenariæ quæ gallicè *Dunes* nuncupantur ; continuò decidunt è montibus fragmenta, ex quibus, ad pedem montis primitivi, colles secundarii exaggerantur; fluvii et amnes terram suo cursu abripientes, alluvia perpetuò deponunt et alveos relinquunt priores, humus vegetalis crescit indesinenter, ex reliquiis vegetalium et graminum, etc., etc. : porrò, si rectè cognitam secularis augmenti quantitatem cum effectu totali, qualis hodiè est, comparaveris, initium horum effectuum mirâ analogiâ coincidere videtur circa epocham diluvii mosaici : sic arenariæ congeries sinûs Vasconici (*département des Landes*), quatuor millibus annorum paulò antiquiores æstimantur, *Cuvier, Discours prélim.* pag. 93; sic pariter in Ægypto, ut refert

Denon, Voyages en Egypte, maxima pars illius provinciæ quæ *Delta* nuncupatur, arenis propè demergitur, ita ut urbes etiam et pagi qui aliquot abhinc seculis florebant, jam penitùs obruantur : porrò, si diluvium antiquius esset, jam omnem ripam occidentalem Nili (tantum est illius effectûs singulis seculis incrementum) invasissent arenæ. Multa alia præterimus consultò : hæc ad scopum nostrum sufficiunt.

Argumentum illud ingeniosè prosecuti sunt *Saussure, Dolomieu* et *De Luc*: hinc hodiè apud geologos receptum est, continentia nostra hodierna, ævi esse non ita antiqui : *C'est un fait*, inquit eximius *Haüy, dont plusieurs géologues très-célèbres s'accordent à reconnaître l'existence, que nos continens sont d'une date peu ancienne. En examinant bien ce qui s'est passé à la surface du globe*, prosequitur jam citatus *Cuvier*, pag. 85, *depuis que les continens ont pris leur forme actuelle, au moins dans leurs parties un peu élevées, l'on voit clairement que cette dernière révolution, et par conséquent l'établissement de nos sociétés actuelles ne peuvent pas être très-anciens. C'est un des résultats à la fois les mieux prouvés et les moins attendus de la saine géologie, résultat d'autant plus précieux, qu'il lie d'une chaîne non interrompue l'histoire naturelle à l'histoire civile*, id est, historiæ mosaicæ, cujus mentionem superiùs fecerat. Tandem sic concludit pag. 100 : *Je pense donc avec MM. De Luc et Dolomieu, que s'il y a quelque chose de constaté en géologie, c'est que la surface de notre globe a été victime d'une grande et subite ré-*

volution, dont la date ne peut remonter beaucoup au-delà de cinq à six mille ans.

Obj. Historia diluvii plura involvit quæ fidem parere nequaquàm poterunt. 1.° Quis credat tunc temporis potuisse fabricari arcam sicut in Genesi depingitur, quam confecerint quinque aut sex viri artium mechanicarum verisimiliter ignari? 2.° Quomodò congregari potuerunt omnia animalia ubique terrarum dispersa? 3.° Impar certissimè fuit arcæ capacitas continendis tot animalibus, et cibis unicuique speciei propriis, qui per annum integrum et ultrà sufficere possent. 4.° Undè tanta aquarum exundantium copia, ut universam terræ superficiem cooperuerint, imò altiorum montium summitatem quindecim cubitis excesserint?

Resp. 1.° *generatìm.* Ex vulgari adagio, *Adversùs facta ritè probata argumentari non licet:* atqui factum diluvii omni probationum genere demonstravimus. Et verò vel ad eas difficultates solvendas, necesse est ad miraculum confugere, vel non: si posterius, inconcussa remanet nostra thesis; si prius, adhuc salva est, quia miraculum admittere nihil vetat, in facto quod à Moyse veluti miraculosum nobis exhibetur.

Resp. 2.° *ad singula.* *Ad* 1.^{um}, facilis est responsio. Quid enim vetat quominùs Noe sufficientem numerum operariorum pretio conduxerit, qui diluvii minas et Patriarchæ consilium intùs irridentes, nihilominùs, ut quotidiè contingit, lucri cupiditate inducti, operas suas dederunt ad fabricandam arcam, juxta formam quam Noe ipsis delineaverat.

Ad 2.^{um}: Qui cuncta animalia et universa cœli volatilia creaverat, et coram Adamo pri-

mùm adduxerat ut illis nomina imponeret, potuit certè eadem, tempore diluvii, providentiâ speciali, in arcam compellere. Quâ ratione id repugnare demonstrabunt increduli?

Ad. 3.um Geometricè demonstravit D. *Le Pelletier* in opere cui titulus, *Dissertation sur l'arche de Noé*, arcam, qualis à Mose describitur, satis capacitatis habuisse ut includeret omnia animalia et alimenta quæ in arcâ fuisse narrat Moyses: hâc de re nulla superest apud eruditos difficultas. Consuli possunt *Wilkins*, *Sturm*, et *Dissertation de D. Calmet sur l'arche de Noé*, tom. 1, edit. in-4.°, pag. 276.

Ad 4.um E cœlo simul et è terrâ deductæ sunt aquæ diluvii, ut narrat Scriptura. Ad rem nostram non pertinet expendere varia systemata quibus physici explicare conati sunt hanc repentinam et universalem globi terrestris inundationem, an scilicet depressione continentis, an inclinatione axis cœlestis et glacierum polarium resolutione, etc. Ad scopum nostrum sufficit quòd Deus, vel ex atmosphærâ, vel ex abyssis terræ, vel oceano, vel aliundè, aquarum satis grandem copiam deducere potuerit, sive viâ naturali nobis incognitâ, sive, si opus fuerit, per miraculum.

ARTICULUS III.

De Auctoritate cæterorum librorum veteris Testamenti.

Nota 1.° Præter quinque Moysis libros, de quibus hactenùs disseruimus, 40 alii à Catholicis agnoscuntur, quorum auctoritatem adstruere operæ pretium est, ut ex his plura de-

promamus argumenta in gratiam divinitatis Fœderis Judaici, et Christianæ Religionis.

Nota 2.° Hìc agitur præcipuè de libris qui in Canone Judæorum continentur, quosque ipsi ut divinos et inspiratos venerantur. Minùs enim efficacia sunt contra Judæos momenta quæ desumuntur ex libris Tobiæ, Judith, Sapientiæ, et ex duobus Machabæorum, cùm in Judæorum Canone omittantur, licèt apud nos eâdem valeant auctoritate, propter Ecclesiæ definitionem.

Nota 3.° Non certò cognoscuntur auctores quorumdam librorum qui, etiam ab ipsis Judæis, ut divini habentur : undè quæstio de eorum authenticitate versatur tantùm circa ætatem quâ scripti esse dicuntur. His prænotatis, sit

CONCLUSIO PRIMA.

Veteris Testamenti libri, à Pentateucho distincti, sunt verè authentici.

Prob. 1.° *Ex fide constanti et publicâ Judæorum.* Nam hæc fuit universæ Judæorum gentis fides constans, publica, et quæ in partem Religionis veniebat, hos omnes libros authenticos esse : atqui impossibile est ut universæ genti persuadeatur libros sacros et publicos semper exstitisse, sibique notissimos fuisse, quos tamen se habere hactenùs ignoraverat. Et verò, libri illi multa genti indecora et probrosa continent; in iis enim describuntur ferè continuæ Judæorum rebelliones in Deum, Prophetarum objurgationes et minæ, atque divinæ vindictæ effectus : porrò, si illos libros suppositos

sìtos habuissent Judæi, hæc de se referri certè non passi fuissent, nec cum tantâ fidelitate et veneratione ad posteros transmitterent. Præterea, plerique ex illis libris, præsertìm historici, ad instar *diarii* scripti videntur, temporum ordinem, locorum nomina et descriptiones, familiarum genealogias, regum et pontificum successionem minutatìm referunt : atqui hæc omnia probant illos libros successivè scriptos fuisse ab auctoribus qui coexstiterunt locis illis ac ætatibus de quibus loquuntur.

Prob. 2.° *Ex repugnantiâ adversæ sententiæ.* Si enim libri illi suppositi fuissent, vel ab amicis, vel ab inimicis Judæorum : atqui neutrum dici potest. Non prius, cùm Judæorum amici tot genti probrosa iis libris non inseruissent; non posterius, inimici enim non tot honorifica Judæis finxissent. Deindè repugnat totam illorum librorum collectionem supposìtam fuisse : atqui tamen res ita esset, in hypothesi quam refellimus; tanta enim est inter libros illos series et connexio, ut anteriores in posterioribus semper laudentur : sic eorum quæ in libro Josue narrantur, meminit liber Judicum; libri Josue et Judicum pariter citantur in libris Regum, Paralipomenon et Psalmorum; isti apud varios Prophetas; et sic deinceps, ut cuilibet concordantias Bibliorum legenti facilè constat; ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Integri sunt veteris Testamenti libri à Pentateucho diversi.

Prob. iisdem argumentis. Nempè 1.° Judæi

omnes libros illos semper venerati sunt tanquam divinos, eosque attentè et frequenter legebant: atqui prorsùs repugnat libros tantoperè veneratos à falsario, nemine reclamante, adulteratos fuisse. Prætereà, quomodò Judæi tot probrosa quæ in iisdem libris continentur, semper admisissent, si vel minimam in iis suspicati fuissent interpolationem. 2.° Si illi libri sint adulterati, assignari posset epocha et auctor hujus interpolationis : porrò neutrum potest assignari; et huc recurrunt rationes allatæ ubi de integritate Pentateuchi. Et verò, vel omnia exemplaria, vel quædam duntaxat corrupta fuissent : atqui utrumque repugnat : 1.um quidem, nam impossibile est impostorem omnes authenticos codices eripuisse è manibus Judæorum, et eorum loco adulteratos subrogasse; 2.um quoque, tunc enim codices interpolatos cum aliis integris conferendo, fraus facilè esset detecta, et genuini codices soli retenti fuissent.

CONCLUSIO III.

Libri veteris Testamenti, à Pentateucho distincti, omnimodam sibi fidem vindicant.

Prob. Illi libri sunt veraces, quorum scriptores non fuerunt decepti, noluerunt decipere, neque decipere potuissent, etiamsi voluissent : atqui hujusmodi sunt libri veteris Testamenti.

1.° Quidem illorum scriptores non fuerunt decepti. Etenim facta quæ in illis libris referuntur, erant publica, notoria et maximi momenti, cùm ad Religionem et Reipublicæ statum pertinerent; sæpè erant extraordinaria et miraculosa, quæ proindè attentionem excitare de-

buerunt : atqui circa facta hujusmodi homines decipi nequeunt.

2.° Nec voluerunt decipere, ut constat tum ex scriptorum dotibus, tum ex naturâ factorum quæ ab iis referuntur. 1. Ex dotibus scriptorum : quippe in iis nullum deprehenditur vanæ gloriæ, adulationis aut fraudis indicium ; atque omnia spirant pietatem in Deum, veritatis amorem, et in illâ prædicandâ constantiam quam non frangunt acerbiora supplicia. 2. Ex naturâ factorum quæ, ut diximus, publica et notoria fuêre, et sæpè sæpiùs in Judæorum opprobrium redundabant : atqui circa facta hujusmodi impossibile est scriptorem, nisi planè desipiat, gentem integram decipere voluisse. 3. Illud magis patebit, si agatur de Prophetiis : mandaverat Moyses ut interficeretur Propheta, qui in nomine Dei aliquid prædiceret quod non eveniret, Deuter. c. 13, ℣. 20 : porrò quis credat quemquam, falsa prænuntiando, mortis periculo sese committere voluisse, ut præcisè impostoris famam consequeretur.

3.° Nec potuissent decipere etiamsi voluissent. Etenim, vel agitur de libris historicis, vel de propheticis : porrò, in utrâque hypothesi, scriptores de quibus agitur non potuissent decipere, etiamsi voluissent. 1. Non circa facta historica, ut satis probat ipsa concatenatio eventuum qui in illis libris narrantur, quique alii aliorum sunt præludia vel consequentiæ. Sic secundi templi structura, de quâ loquitur Esdras, memoriam revocat prioris templi quod sub Nabuchodonosor incensum legitur, illiusque ædificationis sub Salomone. Sic pariter à solutâ captivitate, regredimur ad tempora judaici

imperii, et ex destructione regni Israel sub Salmanasare, ad illius schismatis initium sub Jeroboamo; indè ducimur ad Davidem, substitutum Saüli, cujus historia jungitur, cum historiâ Samuelis; ista verò connectitur cum historiâ Josue successoris Moysis; imò et iidem eventus cum historiis exterarum gentium connectuntur. Ergo tanta est veteris Testamenti historiæ compages, ut factum aliquod essentiale falsum esse non possit, quin et cætera omnia essentialia falsa sint : porrò repugnat scriptorem populum totum decipere potuisse circa omnes essentiales suæ historiæ eventus, ut evidens est. 2. Nec etiam circa prophetias: duplici enim modo concipitur impostorem Judæos hâc in re decipere potuisse, vel tanquam propheticos narrando eventus qui jamdudùm evenerant, vel prænuntiando nomine Dei eventus futuros quos ipse marte proprio confinxisset: atqui neutrum dici potest. Non prius, cùm repugnet impostorem ita universam gentem illudere potuisse ut ipsi quæ sunt præterita tanquam futura prænuntiet; non posterius, tum quia, ut diximus, mors pseudoprophetæ imminebat; tum quia eventus fraudem facilè detexisset; ergo, etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

CAPUT II.

De Divinitate Religionis Judaicæ.

Divinæ Religionis notæ aliæ sunt *externæ*, miracula scilicet et prophetiæ, aliæ *internæ* quæ ex ipsâ Religionis naturâ desumuntur. De utrisque totidem articulis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Notis seu characteribus externis quibus Religionem Judaicam divinam esse probatur.

CONCLUSIO PRIMA.

Ex miraculis manifestum est Religionem Judaicam esse divinam.

Prob. Illa Religio est divina, in cujus confirmationem patrata sunt miracula verè divina: atqui in confirmationem Religionis Judaicæ patrata sunt, etc. 1.° Quidem miracula, qualia sunt plagæ Ægyptiacæ, transitus maris rubri, manna per 40 annos è cœlo delapsa, terra ad nutum dehiscens ut rebelles Core, Dathan et Abiron atque eorum in rebellione socios absorberet, etc.; in his enim, præsertim collectivè sumptis, manifesta deprehenditur ordini consueto naturæ derogatio. 2.° Hæc miracula sunt verè divina; nullum est enim cui non competat quædam ex notis quæ juxta superiùs dicta in 1.ª parte, miraculum divinum certo certiùs exhibent; imò et multa sunt quibus omnes illæ notæ simul sumptæ conveniunt: scilicet, fuêre per longum tempus continua, pro circumstantiis varia, opportunè et statim edita, et quidem ad destruendum dæmonis seu idololatriæ imperium; imò et ferè omnia à Mose prænuntiata, etc. 3.° Patrata sunt in confirmationem Religionis Judaicæ; siquidem eò tendunt ut probent Moysen esse Dei verè legatum; ac proindè divinam esse Religionem quam nomine Dei Hebræis promulgavit.

Quæ contrà opponunt Deistæ, suprà soluta sunt art. 2, § 1, cap. præced.

CONCLUSIO II.

Divinitatem Religionis Judaicæ adstruunt Prophetiæ quæ in Pentateucho et in cæteris veteris Testamenti libris leguntur.

Nota. Permulta sunt vaticinia quæ sive ante Moysen, sive ab ipso, sive post ipsum in Religionis Judaicæ gratiam edita sunt; sed quia majora sunt numero quàm ut *singula prosequi* liceat, pauca duntaxat delibare satis erit.

Prob. conclus. Ut ex prophetiis adstruatur Religionis Judaicæ divinitas, satis est, 1.° ut in illius Religionis gratiam editæ fuerint prophetiæ; 2.° ut illæ prophetiæ omnibus gaudeant conditionibus quas suprà in 1.ª parte assignavimus ad vim probantem prophetiarum: atqui hæc duo certa sunt.

Et 1.° quidem editæ sunt prophetiæ in gratiam Religionis Judaicæ. 1. Ante *Moysen.* Genes. c. 15 et 17, Deus promittit Abrahamo jam ætate provecto semen sicut stellas cœli, quod præ multitudine non numerabitur..., ex quo egredientur reges...; quod 400 annis peregrinum erit in terrâ alienâ, ubi servituti subjicietur et affligetur; sed indè eductum possidebit omnem regionem à flumine Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. Eædem promissiones renovantur Isaac et Jacob. Iste autem morti proximus suis filiis sua fata prædicit; Judæ verò, licèt inter filios ordine quarto, specialem pollicetur principatum usque ad adventum illius qui mittendus est, Genes. c. 49:

porrò omnia hæc, pluribus elapsis seculis, ad litteram adimpleta videmus in stupendâ Israelitarum propagatione, et in eorum totâ historiâ. 2. Moyses ipse plurima edidit vaticinia ex quibus unum tantùm referemus : Num. c. 14, prædicit omnes Israelitas à 20 annis et suprà, exceptis Caleb et Josue, in deserto morituros ; atque illorum filios, postquàm fuerint vagi 40 annis in solitudine, terram Chanaan ingressuros ; id autem ad litteram impletum legimus Num. c. 26. 3. Post Moysis ætatem, sectatores præcipui Religionis Judaicæ, continuâ serie, lumine prophetico fuerunt illustrati. Sic captivitatem Babylonicam longè antè prænuntiavêre Sophonias et alii prophetæ, præsertìm Isaias qui, 200 annis et ampliùs ante eventum Judæos in patriam reversuros vaticinatur, eorumque liberatorem Cyrum suo nomine appellat, Isai. c. 44 et 45. Jeremias verò, c. 25 et 29, hujus captivitatis tempus 70 annis duraturum esse expressè prædicit. Nahum futuram Ninive nuntiat imperii Assyriorum urbis florentissimæ, ruinam luculenter prædicit ; quod contigit circiter post 150 annos. Isaias, c. 13 et 14, et Jeremias, c. 50 et 51, Babylonis eversionem sic prænuntiant ut rem præteritam narrare potiusquàm prophetiam scribere videantur. Legatur *Rollin, Histoire ancienne*, tom. 2, à pag. 240 ad 266, edit. in-12. Cætera autem vaticinia quæ spectant Moabitas, Idumæos, Tyrios, Ægyptios, Persarum præsertìm, Græcorum et Romanorum imperia, resque ab Alexandro et Antiocho Epiphane gestas, duximus hìc omittenda ut brevitati consuleremus. Vide *Hooke*, tom. 2, pag. 146 et seqq.

2.° Prophetiæ illæ gaudent conditionibus requisitis ut vim habeant probandi. Namque 1. constat eas longè ante eventum editas fuisse, cùm referantur in Pentateucho et in cæteris veteris Testamenti libris propheticis, quos authenticos, integros et veraces esse suprà probavimus. 2. Certum est illas eventu apprimè fuisse adimpletas, ut notavimus et cuique notum est, nisi sit in historiâ omninò peregrinus. 3. Omnem humanam artem et solertiam excedunt, ut cuilibet attendenti patet. 4. Nec minùs evidens est eas casu fortuito adimpleri non potuisse. Relege quæ diximus in 1.ª parte cap. 4, art. 2, quæs. 3 et 4.

Obj. contra 2.am *conclus.* cum Voltario et aliis: Illæ prophetiæ vim probandi non habent, quorum auctores multa egerunt Deo et Dei ministris prorsùs indigna: atqui, etc.; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Quamvis enim prophetæ Deo indigna egissent, non ideò imminueretur vis probans prophetiarum ab ipsis editarum; donum quippè prophetiæ, sicut et miraculorum, improbo homini concedi potest, ut legitur de Balaam, Num. c. 24.

Resp. 2.° *Nego min.*

Inst. 1.° *probando min.* Prophetæ inhumanitatis meritò accusantur; Moyses enim jubet Chananæos populos interfici et deleri, occisis etiam senioribus, mulieribus et parvulis. Samuel regem Agag in frusta concidit, I Reg. c. 15, ℣. 33, etc.; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Etenim, ut ab inhumanitate absolvantur Prophetæ circa facta nobis objecta, sufficit 1.° ut Deus potuerit universam Chananæorum gentem delere et Israelitas eligere

tanquam suæ vindictæ ministros ; 2.° ut certò constet hanc electionem et extraordinariam missionem Prophetis fuisse divinitùs manifestatam : porrò hæc duo certa sunt. 1.um quidem ; cùm enim Deus vitæ et necis supremus sit arbiter, vitam quam ad tempus hominibus concessit, ipsis eripere potest eo instanti et modo quo voluerit : jam verò sicut ad gentes delendas igni, aquâ, pestilentiâ tanquam ultionis suæ instrumentis ad libitum uti potest, ita et Israelitas constituere potuit veluti vindictæ suæ ministros in delendis gentibus Chananæis, præsertìm si attendatur hâc ratione voluisse Israelitas magìs ac magìs deterrere, tum ab idololatriâ ad quam adeò erant proclives, tum à cæteris illarum gentium abominationibus. 2.um Non minùs certum est ; hæc enim extraordinaria missio signis evidentibus fuit manifestata, sive Moysi, Deut. c. 20, ℣. 17, sive Samueli, I Reg. c. 15, ℣. 3. Ad id autem quod additur Samuelem in frusta Agag concidisse, ut in vulgatâ legitur, observat D. *Bullet, Réponses critiq.*, tom. 3, pag. 160, in primigenio textu, cui consonat versio LXX interpret. legi tantùm Agag ense fuisse occisum.

Prætereà, dici potest cum eodem, loco cit. et tom. 2, pag. 148, crudeles illos belligerandi modos inter gentes harum regionum tunc temporis in usu fuisse, ut pluribus exemplis ipse demonstrat, ac proindè vituperari non posse Israelitas eò quòd illos adhibuerint.

Inst. 2.° Prophetæ non semel rei fuerunt rebellionis et seditionis : Samuel enim, vivente Saüle legitimo principe, David unxit in regem ; Elizæus per ministrum consecrat Jehu regem,

eique universam familiam Achab delere præcipit, etc. ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Etenim, ut infrà dicemus, talis erat Reipublicæ Judæorum constitutio, etiam sub regibus, ut Deus ipse directam aliquam rerum civilium administrationem retinuerit, ita ut principes illius gentis non essent nisi Dei Proreges et Vicarii, quos ipse quandoquè, ministerio Prophetarum, institueret vel destitueret. Hinc Prophetæ, missione à Deo acceptâ, et miraculis confirmatâ, principibus obsistebant et novos reges consecrabant. Nedùm igitur rebellionis tunc rei fuerint, è contrà divinæ voluntatis ministros se gerebant.

Inst. 3.° Prophetæ multa ridicula, indecora, imò et turpia dicunt et faciunt : Isaias, c. 20, Dei mandato, tribus annis nudus ambulat ; Ezechiel, c. 4, panem stercore humano opertum comedere à Deo jubetur, etc., etc.

Resp. Nego ant. Etenim actiones Prophetarum non ex moribus hodiernis, sed ex illorum temporum moribus æstimandæ sunt. Veteres autem populi, Orientales præsertim, ad res designandas quas exprimere volebant actionibus utebantur, ut nempè spectatorum mentes vividiùs commoverent. Sic Isaias, non omninò nudus, sed depositâ veste quâ liberi homines utebantur solâque tunicâ breviori indutus, quam servi gestare solebant, adumbrabat et oculis quasi subjiciebat miserrimam illam conditionem ad quam redigendus erat populus, in futurâ captivitate quam prænuntiabat. Sic Ezechiel ut summam rerum indigentiam Judæis mox futuram significaret, panem suum decoquere jubetur stercore humano ad solem indu-

rato; ad eumdem modum quo pauperes stercore boum exsiccato ad panem coquendum utuntur, in his regionibus ubi maxima est ligni penuria. Notandum tamen quod statim Deus permittat Prophetæ, *Ez.* 15, ut pro stercore humano, fimo boum ad hunc finem utatur. Vide *Bullet*, opere cit. tom. 1, pag. 267; et *Guénée*, tom. 2, pag. 244, 12 edit.

Quod spectat verba obscena quæ apud auctores sacros deprehendere arbitrantur increduli, observare sufficiat 1.° hæc Judæis inhonesta non fuisse; qui enim ea usurpabant sese à Deo afflatos prædicabant et ut tales agnoscebantur: quo pacto autem homines qui sermones obscenos proferebant potuissent Judæis persuadere se verè fuisse Dei legatos. Ita *Bullet* ubi suprà pag. 278. 2. Mirum non esse voces hodiè inhonestas videri quæ olim ut honestæ habebantur; nam sensus ususque vocum multùm pendet à linguarum indole et moribus populorum apud quos illæ voces receptæ sunt; et experientiâ notum est linguam eò honestiorem et castiorem fieri, quò magis mores depravantur. Vide *Bullet*, ibid.

ARTICULUS II.

De internis Characteribus divinitatis Religionis Judaicæ.

Duo hìc præstanda habemus; 1.° ab incredùlorum vituperationibus et calumniis vindicanda est Religio Judaica; 2.° illius divinitas adstruenda. Primum efficiemus, varias ipsius Religionis partes, formam scilicet, præcepta et sanctionem totidem paragraphis statim percurrendo; secundum obtinebimus, corolla-

rium deducendo in gratiam divinitatis hujus Religionis.

§ I.

De Formâ Religionis Judaicæ.

In Religionis Judaicæ formâ seu constitutione plurima sunt observanda, quibus tota quæstio absolvetur.

1.° Religio Judaica, seu fœdus Deum inter et Israelitas, quod nomine Dei Moyses promulgavit, nihil aliud erat, quoad substantiam, quàm ipsum fœdus olìm à Deo sancitum cum Abrahamo : siquidem eædem in utroque fœdere sunt leges à Deo impositæ, eadem fœderis servati præmia, eædem moraliter personæ, ut patebit conferenti præsertìm c. 12, ℣. 2 et 3; c. 13, ℣. 15, 16 et 17; c. 15, v. 5, 6, 18 et seqq., et c. 17, ℣. 18 Geneseos, cum c. 3 et 6 Exodi. Dixi, *quoad substantiam*, quia longè plura in fœdere mosaico quàm in abrahamitico præcepta leguntur; sed manifestum est discrimen illud oriri ex solâ differentiâ circumstantiarum in quibus Abrahamus et Israelitæ versabantur; quippè ad regendam solam familiam Abrahami paucissimis legibus opus fuit, dùm verò postquàm gens israelitica in immensam crevit multitudinem, plures instituendæ fuerunt leges positivæ, quarum ope una eademque cultûs ratio facilè servaretur.

Hinc duplici quasi ex parte constabat Religio Judaica : 1. revelatione primitivâ, seu Religione patriarchali, quæ complectebatur tum dogmata et præcepta legis naturalis, tum venturi liberatoris seu Messiæ exspectationem, tum

circumcisionis et sacrificiorum ritus, ut diximus suprà, ubi *de primævâ hominum Religione*. 2. Permultis legibus sive politicis, sive ritualibus, quibus gens israelitica à cæteris populis discernebatur, ut custos esset traditionis primitivæ et spei in futurum Messiam.

2.° Illud erat præ cæteris constitutioni mosaicæ singulare, quod Religionis et imperii administratio in unum coalescerent; ita ut una sine alterâ non consisteret, videlicet, Deus respectu Israelitarum veluti duplicem personam sustinebat, et ab illis non solùm tanquam supremus orbis universi Dominus colebatur, verùm etiam tanquam illorum Rex temporalis cui soli competebat potestas legislativa. Itaque 1. primis Reipublicæ initiis, Deus leges omnes condidit, quibus per 1500 annorum spatium nihil fuit essentialiter immutatum, et controversias omnes graviores circa res sacras aut civiles, responsis ex Propitiatorio datis, dirimebat, Num. c. 27. 2. Deus jure regio sibi ministros eligebat, qui suo nomine Rempublicam regerent, alios quidem extraordinarios, quales fuêre primùm Judices et deindè Prophetæ; alios autem ordinarios, ut in ordine Religionis Levitas, et Reges in ordine civili, Deut. c. 17. 3. Deus ipse exercitum ducebat, Num. c. 9, ℣. 17 et seqq., fœderaque pacisci, bella aggredi, Deo inconsulto, non licebat. Uno verbo in Hebræorum Republicâ, Deus munia Regis, Legislatoris, Judicis Ducisque obibat, undè illam regiminis formam *Theocratiam* meritò appellat Josephus, lib. 2, contra Appionem.

Ex hâc autem theocraticâ constitutione plu-

rima explicantur legis mosaicæ instituta. Hinc scilicet, Tabernaculum fœderis erat simul et Sanctuarium Dei, et ejus tanquam politici regis palatium : dimidium sicli quod Domino offerre jubetur Israelita qui 20 annum attigerat, Exod. c. 30, ℣. 13, erat tributum quod Deo persolvebatur in agnitionem regii dominii: idololatræ morte plectebantur, ut potè rei læsæ majestatis regiæ, etc. Notandum tamen paulatim defecisse illud theocraticum regimen : perfectè eminebat in deserto, minùs conspicuum erat sub Judicibus, et sic deinceps imminutum est usque ad Christi tempus quo penitùs sublatum fuit. Vide *Hooke*, tom. 2, *pag.* 181.

3.° Religionis forma Judæis à Moyse tradita, ipsis solis propria fuit, ut patet tum ex hujus Religionis institutione et promulgatione, Exod. c. 19; tum ex naturâ ipsius cultûs, cujus ritus terræ Chanaan et quibusdam locis, soli templo, v. g., erant alligati, ut in aliis terræ partibus celebrari non potuissent. Alienigenis tamen liberum erat Religioni Judaicæ, circumcisione susceptâ, nomen dare, ut constat exemplo Achioris Ammonitæ, Judith, c. 14. Quoad gentiles, in eo Religionis statu relicti sunt quem ratio naturalis et primitivæ revelationes determinabant.

Advertes obiter Deum, fœdere speciali quod cum Israelitis inivit, nihil cæteris gentibus detraxisse; ut enim sileamus finem præcipuum totius judaicæ constitutionis, missionem nempè filii Dei ad totius generis humani reparationem, cui viam parabat constitutio mosaica, plurima ex eâ in cæteras gentes commoda de-

rivârunt; per hanc quippè constitutionem inter idololatriæ tenebras servata fuit vera Religio, tanquam lucerna lucens in caliginoso loco, undè lumen mutuare potuerunt vicinæ nationes; et reverà ex libris Judæorum, ex eorum commercio cum cæteris populis, ex eorumdem dispersione Philosophi ethnici multa didicerunt, ut testantur Josephus et antiqui Patres.

§ II.

De Præceptis Religionis Judaicæ.

In Religione Mosaicâ triplicis ordinis præcepta distinguuntur; *moralia*, quibus Religionis naturalis officia continentur; *ritualia*, quibus divini cultûs ratio determinatur; *civilia*, quæ politicam Reipublicæ administrationem spectant. De iis seorsìm agemus.

I.

De Præceptis Moralibus.

CONCLUSIO.

Lex Moralis à Moyse proposita, in omnibus legi naturæ consentanea est, et multùm superat regulas quas sive alii Legislatores, sive Philosophi tradiderunt.

Duæ sunt conclusionis partes.

Prob. 1.ª *Pars* brevi legum moralium expositione. 1.° Circa Deum; docet Moyses Deum existere perfectissimum, unum, omnipotentem, hujus universitatis creatorem simul et providum conservatorem; pios erga Deum

affectus commendat amoris, reverentiæ, obsequii, etc. : *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ*, Deut. c. 6 et 10; nomen Dei in vanum assumere vetat; cultum externum præcipit; idololatricas superstitiones, vanas observantias, magicos aut impuros ritus longè removet. 2.° Circa proximum; omnia officia quæ ad justitiam et charitatem pertinent in lege mosaicâ accuratè describuntur; officia quidem justitiæ hoc uno mandato: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt*, Exod. c. 20, ℣. 17; charitatis verò officia uno verbo continentur: *Diliges amicum tuum* (id est *proximum* ex textu hebraico) *sicut teipsum*, Levit. c. 19, ℣. 18. Adde leges humanitate piâque affectione plenas in gratiam pauperum, mercenariorum, viduarum, orphanorum, servorum, advenarum, Levit. c. 19 ferè integro, Deut. c. 21 et alibi passim. 3.° Denique Lex Mosaica præcipit varia hominis erga seipsum officia, omnes abominationes gentium exsecratur, et sub gravi comminatione prohibet, Lev. c. 20 et alibi; inordinatos animi motus reprimit, Hebræos semper ad castos mores et affectuum temperantiam devocat hoc sublimi præcepto: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*, Lev. c. 19, ℣. 2.

Prob. 2.ª *Pars*, nempè *Legem Mosaicam superare, etc.*, ex his quæ diximus in 1.ª parte, cap. 2 *de Revelationis necessitate*, ubi turpissimos errores veterum Philosophorum deli-

navimus : porrò hæc applicari possunt variis legislatoribus qui cùm Religione uterentur tanquam instrumento ad suas leges stabiliendas, parùm curabant utrùm veris aut falsis opinionibus vulgus imbueretur, dummodò ex iis aliquod præsidium suis institutis accederet.

SCHOLIUM.

Vix unus est Judaicæ Religionis articulus quem non impugnent Deistæ. Unum injustitiæ, superstitionis alterum arguunt ; hæc inutilia, imò nociva societati contendunt, ut indè inferant Religionem illam Deum auctorem non habere. Vitiosam esse hanc argumentandi methodum nemo est qui non videat ; ut enim alibi monuimus, et iterùm monebimus, semper in veritatis inquisitione, à magìs noto ad minùs notum procedendum est : sed divinitas Judaicæ Religionis ex characteribus extrinsecis, miraculis nempè et prophetiis, jam probata manet ; ergo injustitiæ, credulitatis, aut cujuscunque vitii expers sit necesse est : ita ut omnia quæ in contrarium objici solent, aut primâ fronte nobis in illâ Religione reprehensibilia videntur, independenter ab illorum discussione, hoc unico principio sponte concidant : *Non sunt neganda clara propter quædam obscura*. Et verò si Religionis certitudinem ex discussione omnium articulorum suspensam efficiamus, 1.° nullus erit disputandi finis ; 2.° valdè timendum est ne grave incurrant periculum simplices præsertim et minùs exercitati, qui, ob imbecillem mentis humanæ aciem et viarum Domini altitudinem, sophismata cum veris de-

monstrationibus confundentes, miserè deluduntur.

Nihilominùs *objicies* 1.° Illa lex non est profectò legi naturæ consentanea quâ humana sacrificia præcipiuntur : atqui Lex Mosaica humana sacrificia præcipit; ergo, etc.

Resp. Nego min. Enim verò contrarium constat ex Deut. c. 12, ℣. 31, ubi sub gravissimis pœnis Moyses prohibet hujusmodi sacrificia, quæ apud Chananæas gentes obtinebant, eaque abominationes appellat. Et reipsâ nullibi apud auctores sacros legitur sacrificia humana à Judæis fuisse oblata, quæ tamen non omisissent religiosissimi Judæorum principes, si à Lege præscripta fuissent.

Inst. I Reg. c. 15, ℣. 33 : Samuel *in frusta concidit* Agag regem Amalec, *coram Domino;* quæ verba verum sacrificium supra altare Domini satis indicant. Judic. c. 11, ℣. 31 : Jephte filiam suam immolavit ut adimpleret votum quod fecerat Domino ; ergo falsum est quod asseritur, nullibi in Judæorum libris mentionem fieri sacrificiorum humanorum.

Resp. Nego ant. Etenim, 1.° Samuel non mactavit in sacrificium sed occidit Agag, tanquam minister vindictæ Dei, ut impleret illius verbum quod legitur, Exod. c. 17, ℣. 14 et 16: id autem factum dicitur *coram Domino,* vel quia peractum est in loco eodem in quo mox oblatum fuerat sacrificium ; vel quia Deus habebatur tanquam speciali modo præsens in generalibus comitiis Judæorum.

2.° Juxta multos interpretes, longè probabilius est filiam Jephte non fuisse Deo morte cruentâ immolatam, sed solummodò virginem

Deo in servitium Tabernaculi dicatam fuisse, quâdam consecratione quæ, cùm esset irrevocabilis, mors vocabatur. Qui verò opinantur eam cruento modo à patre immolatam fuisse, minimè dubitant quin Jephte ingratam Deo victimam obtulerit, et contra Legem peccaverit.

Obj. 2.° Condonatio injuriarum est præceptum legis naturalis quod Pagani ipsi agnoverunt : atqui manifestum est ex *talionis* lege Mosem ultionem saltem permittere his verbis : *Animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges*, Exod. c. 21, Deut. c. 19, Levit. c. 21; ergo, etc.

Resp. Nego ant.; si quidem manifestum est ex ipsis Exod., Levit. et Deut. locis in quibus lex talionis legitur, eam ad solos judices dirigi, ut scilicet monerentur se in litibus de injuriis pœnam decernere debere quæ, quantùm fieri poterat, proportionem haberet cum injuriâ allatâ, et ad æqualitatem. Ita sentiunt eruditiores etiam ex Judæis, excepto tamen casu homicidii voluntarii, de quo vide Num. c. 35, ℣. 31. Et verò hoc sensu meræ compensationis accipiendam esse talionis legem probatur, tum quia possibile non est vulnus pro vulnere, fracturam pro fracturâ æquâ proportione reddere; tum quia pœna physicè eadem ac injuria illata, ferè semper injusta foret, ratione diversi sexûs, diversæ conditionis personarum, aut diversorum officiorum quæ implere tenentur, atque aliarum circumstantiarum.

Cætera quæ objici solent hìc prætermittimus partìm quia suprà soluta fuêre, partìm quia in

aliis tractatibus solventur, partim quia abundè confutantur in operibus toties laudatis D. *Guenée* et *Bullet* quæ juniores candidati diurnâ manu versare debent.

II.

De Præceptis Ritualibus.

CONCLUSIO.

Ritus Legis Mosaicæ sapientissimè instituti fuêre.

Prob. Ritus illi sapientissimè instituti fuêre, quorum afferri possunt rationes religiosæ, politicæ et mysticæ: atqui rituum Legis Mosaicæ afferri possunt, etc.

1.° Rationes *Religiosæ.* Finis enim præcipuus illorum rituum erat ut apud Israelitas pura et integra servaretur vera Religio: atqui eò tendebant religiosi ritus à Moyse instituti. Nam 1. Israelitæ removendi erant ab idololatriâ et gentilium superstitionibus ad quas adeò erant proclives: porrò ad hunc finem obtinendum aptissimè ipsis fuit interdictum ne in lucis, agris, excelsis locis, more gentilium, sacra facerent; imò, ne mensa quidem cum gentilibus foret communis, sapienter Israelitis prohibitum est ne quosdam cibos manducarent. Insuper, *quia multipliciter gentes idololatriæ deserviebant oportuit multa Hebræis præscribi ad singula reprimenda; et iterùm multa talibus imponi, ut quasi onerati ex his quæ ad Dei cultum impenderent non vacarent idololatriæ deservire.* 2. Curandum erat ut vividi majestatis et sanctitatis divinæ sensus animis He-

bræorum imprimerentur: atqui ad hoc multùm inserviebant præcepta quæ tradidit Moyses, scilicet, ut cultus divinus magno apparatu et insigniori pompâ perageretur, ut ministri cujuscunque vitii in corpore essent expertes, ipsæque victimæ ex solis animalibus mundis eligerentur. 3. Populo duræ cervicis sæpè in memoriam revocanda erant opera et beneficia Dei: is autem scopus fuit festorum et solemnitatum quæ Moyses servari mandavit, Sabbatum nempè, Pascha, Pentecosten, etc.

2.° Rationes *politicæ*. Hebræi namque sub jugo Ægyptiorum serviles et sordidos mores contraxerant, quos expolire sapientis erat legislatoris, fraternam charitatem eorum menti instillando eosque elementis humanitatis et urbanitatis imbuendo: atqui ad hoc non parùm valebant præcepta ritualia quæ promulgavit Moyses. 1. Jubet ut ad tabernaculum tanquam ad centrum unitatis ter in anno Israelitæ conveniant, ut communibus sacrificiis et epulis coram Domino unirentur. 2. Multas purificationes instituit non solùm ad morbos plebi communes depellendos, sed ut omnem fœditatem et spurcitiem à suâ gente ablegaret, eamque ad munditiem et morum elegantiam non doctrinâ tantùm sed et Religione devinciret, etc.

3.° Rationes *mysticæ*. Nam 1. totidem ritibus et cæremoniis divinitùs præscriptis Hebræi admonebantur se esse gentem præ aliis electam, et Deo consecratam. 2. Illis etiam præfigurabantur novæ legis mysteria, ut aliis in locis, pro datâ occasione, probabimus.

Obj. Nullus est ritus Hebræorum quem à Gentilibus mutuatus non fuerit Moyses; ergo

ejus sapientia in instituendis illis ritibus non est tantoperè commendanda.

Resp. Nego ant. Etenim, expressè declarat Moyses Deum nolle coli more gentium, speciatim Ægyptiorum, Levit. c. 18, ℣. 3, et Deut. c. 12; et asserit hanc esse Hebræorum prærogativam ut suis ritibus à cæteris populis distinguerentur, Deut. c. 4, ℣. 6 et 8. Prætereà, objectio refellitur ipsis Taciti verbis qui sic loquitur, Hist. lib. 5: *Moses quo sibi in posterum gentem firmaret novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit.* Quòd si ritus nonnulli Judæorum aliis gentibus communes videantur, v. g., pecorum sacrificia, primitiarum oblationes, illud à communi et primævâ traditione defluxisse opinamur.

III.

De Præceptis Civilibus seu politicis.

CONCLUSIO.

Leges civiles cum summâ sapientiâ à Moyse institutæ sunt.

Prob. Brevi expositione legum quæ pertinent 1.° ad generalem Reipublicæ administrationem; 2.° ad juris dicendi rationem; 3.° ad bona familiarum; 4.° ad militarem disciplinam.

1.° Quod spectat ad generalem Reipublicæ administrationem, id Moysi proprium fuit, quòd declarando Deum esse auctorem politici regiminis in omnibus vel minutissimis articulis, efficaciùs promoveret veræ Religionis conservationem, simulque conciliaret legibus promptiorem obedientiam, non solùm à privatis civi-

bus, sed etiam à principibus et magistratibus gentis.

2.° Sapientissimè ordinata fuit juris dicendi ratio ; nam voluit Moyses in singulis civitatibus sedere Judices qui causas quotidianas cognoscerent, et in urbe principe magnum Synhedrium 72 Seniorum ad quod causæ ambiguæ et difficiliores deferrentur. Omnibus autem Judicibus severiùs vetitum fuit personarum acceptionem facere, munera suscipere, ipsisque injunctum est justè judicare ; testis unus non erat audiendus, servi et mulieres ad dicendum testimonium non admittebantur ; falsos testes manebat pœna talionis, etc.

3.° Non minùs elucet Moysis prudentia in legibus quas circa bona familiarum instituit. Nam 1. vetuit ne familiarum patrimonia ad feminas transirent, nisi masculis deficientibus, quo in casu filiabus non liceret nubere viris alterius tribûs, ne possessio unius tribûs ad alteram transiret. 2. Statuit ut unoquoque anno septimo, servi manumitterentur, eisque relaxarentur omnia debita, et anno quinquagesimo seu *Jubilæo*, bona immobilia annis superioribus alienata ad primævos possessores reverterentur : his porrò institutis providebat sapiens legislator fortunarum æquitati, et divitum avaritiæ occurrebat, etc.

4.° Deniquè leges de disciplinâ militari Moysis sapientiam maximè commendant. Sic quamvis quilibet Hebræus, juxta Legem, miles conscriberetur, excusabatur ille qui ædificaverat domum nec eam dedicaverat, vel qui desponderat uxorem, nec eam acceperat. Sic etiam multa militibus erant præscripta sive in bello,

sive post pugnam, sive in urbium obsidione, Deut. c. 20 et 21, de quibus nequidem cogitârunt legislatores sapientissimi. Innumera alia recitari possent in gratiam viduarum, orphanorum, mercenariorum, etc. De his consuli potest D. *Guénée*, opere cit. *Lettres de quelques Juifs, etc., à M. de Voltaire.*

§ III.

De Sanctione Legis Mosaicæ.

Sanctio legis ea est legis pars quæ mercedem aut pœnas illis decernit, qui eam observant vel infringunt. Duplex generatim distingui potest sanctio, alia temporalis quæ in pœnis aut præmiis hujus vitæ consistit, alia spiritualis quæ in pœnis aut præmiis alterius vitæ reponitur. Quæritur quænam sanctio Legi Judaicæ affixa fuerit.

Contendunt Deistæ, duce Voltario, Legis Mosaicæ sanctionem fuisse merè temporalem, tum quia nullum aliud legis implendæ motivum quàm bona aut mala temporalia Judæis proponit Moyses, tum præsertim quia nonnisi post captivitatem Babylonicam Judæis innotuit dogma alterius vitæ. Sed quàm falsò id asserant Deistæ, ex sequentibus conclusionibus patebit.

CONCLUSIO PRIMA.

Omni ætate apud Judæos viguit dogma alterius vitæ, in quâ debita virtuti merces et vitio pœna penderetur.

Prob. 1.° *Ex ipsis Judæorum libris*, qui fidem faciunt Judæos omni ætate hoc dogma tenuisse. Et 1. quidem de libris qui post captivitatem

vitatem Babylonicam exarati sunt, nulla est difficultas, ut fatentur adversarii. 2. Doctrinam alterius vitæ disertè exprimit Daniel qui ab ipso captivitatis initio scripsit, c. 12, ℣. 2 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper.* 3. Idem clarè docet longè ante captivitatem auctor libri Ecclesiastes, pluribus in locis, præsertim c. 12, ℣. 1 et 7 : *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ... antequàm revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Vide etiam c. 3, ℣. 16 et 17, c. 11, ℣. 9. Multa alia omitto testimonia ex Isaiâ, c. 26, ℣. 19, Psalmis 14, 16, 35, libro Job, quem Judæi canoni scripturarum semper affixerunt, c. 19, ℣. 25, 26 et 27, etc. 4. Lege Mosaicâ severè prohibitum fuit *quærere à mortuis veritatem*, Deut. c. 18, ℣. 11 ; igitur, ut observat auctor incredulis minimè suspectus *Fréret : Les Hébreux croyaient les âmes immortelles ; sans cela ils ne se seraient pas avisés de les consulter : on n'interroge point ce que l'on ne croit point exister.* 5. Hanc autem doctrinam Judæi à Patriarchis acceperant ; Abraham enim dicitur post mortem *congregatus ad populum suum*, Gen. c. 25, ℣. 8 : atqui suis non fuit congregatus quoad corpus ; cùm patres Abraham in Mesopotamiâ sepulti essent, ille verò Hebron in terrâ Chanaan. Insuper, Patriarchæ se *peregrinos* confitentur super terram, Gen. c. 47, ℣. 9 ; proindèque meliorem patriam exspectabant ; fixum igitur et indubitatum sit omni tempore Judæos immortalitatis animarum dogmate imbutos fuisse.

Prob. 2.° *Ratione.* Namque fatentur adversarii dogma alterius vitæ admissum fuisse ab omnibus aliis populis quibuscum Judæi conversati sunt, Chaldæis nempè à quibus suam ducebant originem, Ægyptiis apud quos 200 annis et ampliùs vixerunt, Chananæis et aliis circumvicinis gentibus : atqui, hoc posito, repugnat illud dogma sive à Judæis ignorari potuisse, sive à Moyse, quem inter legislatores callidiorem fingunt Deistæ, neglectum fuisse ; cùm frenum sit efficacissimum ad homines sub legum imperio continendos.

Hoc argumentum fusiori calamo prosequitur *Guénée* in opere toties appellato, tom. 2, litt. 4, pag. 57.

CONCLUSIO II.

Lex Mosaica annexam habuit sanctionem spiritalem, seu sancita fuit pœnis et præmiis spiritualibus.

Prob. 1.° *Ex præcedenti conclusione.* Etenim, si apud Judæos viguit fides alterius vitæ, necessariò credebant mercedem aut pœnam ipsis fore post mortem rependendam, prout legem observarent vel infringerent; hæc enim est persuasio omnium populorum qui eâ fide imbuuntur ; à fortiori igitur idipsum sentire debuerunt Judæi, quibus purior inerat supremi Numinis et officiorum suorum cognitio.

Prob. 2.° Vel Moyses legislator fuit merè humanus, vel inspiratus dicendus est : si prius, repugnat profectò ipsum non usum fuisse sanctione spiritali ad auctoritatem suis legibus comparandam, ut modò dictum est ; si posterius, quis sibi persuadeat Deum summè

sapientem, à quo afflatus Moyses supponitur, integram suam legislationem pro populo sibi specialiter dilecto, absque ullâ spiritali sanctione instituisse.

Obj. Moyses nullibì expressè proponit sanctionem spiritalem; sed totus est in inculcandâ Judæis sanctione temporali, ipsis minando mortem, bellum, servitutem, agrorum sterilitatem, etc., si Legem infringant; vel pollicendo longam vitam, pacem, victoriam, fructuum ubertatem, si Legem observent, Levit. c. 26, Deut. c. 28 : atqui talis agendi ratio probat Moysen nullam aliam quam temporalem sanctionem suis legibus adjunxisse; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim 1.° nullibì sanctionem spiritalem expressè proponit Moyses, tum quia illud dogma, primævâ traditione Judæis transmissum, vulgatissimum erat, et omnium insidebat mentibus; tum quia nullum erat periculum illud dogma commercio vicinarum gentium, à quibus admittebatur, unquàm obscurari. Hoc unum cavit Moyses, ne scilicet doctrina de animarum immortalitate superstitiosis ritibus occasionem præberet, ideòque vetuit ne Judæi Pythones consulerent, *ne quærerent à mortuis veritatem.*

2.° Si Moyses temporalem sanctionem suis legibus tam expressè adjunxit, non ideò consequens est eas spiritali sanctione defraudasse; contrarium enim patet ex probatis. Sed ideò hujus temporalis sanctionis adeò frequentem mentionem suis legibus injicit eamque frequenter inculcat, 1. quia nec lumine naturali, nec primævâ traditione, sicut et spiri-

talis sanctio, Judæis innotescebat, cùm esset recens et peculiare genti Judaicæ institutum. 2. Quia hæc temporalis sanctio divinam Legum Mosaicarum demonstrat originem, ut mox probabitur. 3. Quia indoli gentis Judaicæ apprimè congruebat, quæ cùm crassior esset et carnalis, præmiis et pœnis temporalibus magìs afficiebatur. 4. Quia hanc temporalem sanctionem requirebat ipsa natura Legum Mosaicarum, eaque ex *theocraticâ* Constitutione sponte fluebat. Deus enim non tantùm *Deus* erat *et supremus Dominus* Judæorum sicut et cæterorum populorum, sed etiam *Rex et Legislator temporalis gentis Judaicæ*, cujus specialem curam gerere et felicitatem promovere peculiari modo obstringebatur, vi pacti seu *fœderis* cum ipsâ gente initi; vide suprà ubi *de formâ Religionis Judaicæ:* hinc leges à Mose Dei nomine promulgatæ, non solùm in partem Religionis veniebant, sed et totius gentis *politicam Constitutionem* efformabant. Porrò constitutio illa, quatenùs civilis, civili seu temporali sanctione muniri debuit. Aliundè Deus fœdus inierat cum gente Judaicâ ut *gente* spectatâ: atqui gens, ut talis, non aliis quàm temporalibus præmiis aut pœnis affici potest, cùm gentes in alterâ vitâ non ampliùs subsistant; ergo, etc. Vide *Card. de la Luzerne, Dissertation sur la loi naturelle*, cap. 3, art. 2, n. 27.

Hactenùs Judaicam Religionem ab incredulorum calumniis et sophismatibus vindicavimus. Jam operosum non erit illius divinitatem ex suis internis characteribus comprobare, ut ostendet sequens

COROLLARIUM.

Ergo ex internis suis Characteribus Religionem Judaicam divinam esse manifestum est.

Enim verò, illa Religio profectò divina est quæ manifestos præ se fert divinitatis characteres : atqui Religio Judaica sive in suâ formâ et constitutione, sive in suarum legum excellentiâ, sive in illarum sanctione temporali, manifestos præ se fert divinitatis characteres.

I. Quidem in suâ formâ et constitutione. Etenim, Moyses legislativam potestatem è Republicâ sustulit, illudque totius legislationis posuit fundamentum, Deum esse gentis Hebraicæ regem proprium, cujus auctoritate leges sancivit de rebus minutissimis, et severiùs prohibet ne quis unquàm iis aliquid addere vel subtrahere ausit : atqui talis agendi ratio à consuetis humanæ prudentiæ legibus adeò abhorret, ut Moyses, cujus sapientia in suis conscribendis legibus emicuit, summæ dementiæ arguendus esset, nisi dicendus sit ex divinâ prorsùs inspiratione ita se gessisse. Cùm enim leges civiles ad civium bona promovenda inventæ sint, debent esse temporibus, et necessitatibus populorum accommodatæ ; atque hinc sæpè videmus apud varios populos leges mutari, nec unquàm fuisse legislatorem, quamvis multi sese divinitùs afflatos jactitaverint, qui leges suas ita perfectas esse ab initio existimaverit, ut nihil ipsis addere nec demere liceret ; ergo omnium insipientissimus dicendus esset Moyses qui, semotâ divinâ inspiratione, sibi

persuasisset suam legum complexionem perfectam esse et numeris omnibus absolutam.

2.° Huic tam singulari constitutioni morem gesserunt Hebræi, et ad abrogandas suas leges nihil unquàm eos adducere potuit, nec earum legum difficultas, nec amor novitatis, nec variæ quas experti sunt rerum vicissitudines : ex quo sequitur eos semper credidisse legum suarum originem prorsùs esse divinam; ergo 1.°, etc.

II. Religio Judaica manifestos exhibet divinitatis characteres in legum excellentiâ. Leges enim Mosaicæ, ut suprà probavimus, longè superant morum regulas quas alii legislatores tradiderunt. Et certè non nisi longo post Moysen tempore apparent celeberrimi Græcorum legislatores, Lycurgus et Solon, in quorum legibus tot reperiuntur humanitati, justitiæ, pudori naturali, et aliis virtutibus contraria; ergo si tempora cum temporibus et cum populis populi conferantur, Moyses deprehenditur excellentissimus qui unquàm fuerit legislator. Jam verò hæc suarum legum excellentia divinam Moysis legationem adstruit. Undè enim adeò perfectam legum complexionem habere potuit Moyses? 1.° Non à semetipso. Nam ex dictis in 1.ª parte omnes etiam præstantissimi antiquitatis philosophi, quamvis alii aliorum scriptis et experientiâ adjuti, turpiter delirârunt, sive circa dogmata, sive circa mores : porrò quis sibi persuadeat unum hominem solis sui ingenii viribus derelictum, errorum, vitiorum, præjudiciorum diluvie quasi investitum, ad summum sapientiæ et doctrinæ fastigium devenisse, ita ut hanc

præcellentem legum et præceptorum collectionem omni errore expurgatam confecerit. 2.° Neque ab aliis eam haurire potuit; non ab Ægyptiis, qui eo tempore idololatriæ erant addictissimi; nec à Chananæis, quorum impietatem et crudeles ritus perpetuò insectatur; nec ab aliâ quâvis gente; ubique enim obtinebant perversi mores, effrena libido, superstitionum portenta; restat ergo quod Moyses suam eximiam legislationem à Deo acceptam habuerit, proindèque, etc.

III. Nec minùs conspicuis divinitatis characteribus se prodit Religio Judaica in suarum legum temporali sanctione, sive generatim, sive speciatim consideratâ.

1.° *Generatim.* Sanctio namque temporalis quâ leges suas munivit Moyses, nisi à legislatore divinitùs inspirato constitui non potuit: nisi enim Moyses promissorum suorum sponsorem Deum habuerit, incredibilis temeritatis ac dementiæ argumentum exhibuisset, dùm ponit suæ legislationis fundamentum, quod quotidiana experientia ruinosum ostendisset. Nimirùm, observationi legum suarum promittit vitam longam, pacem et gloriam, fructuum ubertatem, pluvias opportunas, etc.; infractoribus verò famem, sterilitatem, pestem, bellum comminatur, ut superiùs dictum fuit. Et reverà, docet Judæorum historia iis vel prospera, vel adversa contigisse, prout Legum Mosaicarum observantes, vel negligentes sese exhibebant; ergo indè manifestum est sanctionem temporalem, Dei nomine, à Moyse fuisse constitutam.

2.° *Speciatim* probatur de sanctione tem-

porali nonnullis legibus annexâ. Levit. c. 25, ℣. 4 et 20 sic loquitur Moyses : *Septimo anno sabbatum erit requietionis Domini; agrum non seres, et vineam non putabis.... Quòd si dixeritis quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum*, quamvis terra post quinque annos culturâ potiùs effeta esse debuisset.

Exod. c. 34, ℣. 23, ter in anno, festis scilicet Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum, masculi omnes Jerosolymam convenire jubebantur. Occurrebat tali præcepto non levis difficultas, nempè quid faciendum sit, si intereà hostis in terras Israel irrumperet : hanc autem solvit Moyses, ibid. ℣. 24 : *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te et apparente in conspectu Domini tui ter in anno.* Certè omnia hæc et similia vel hominis sunt divinitùs inspirati, vel insanientis. Sapientissimus verò fuit Moyses ex probatis ; callidissimus autem ex Deistarum concessione ; ergo divinitùs fuit inspiratus, ac divina proindè Religio quam nomine Dei Hebræis promulgavit.

CAPUT III.

De Abrogatione Religionis Judaicæ.

Notandum 1.° quod jam superiùs fuit observatum, Religionem Judaicam duplici quasi ex parte coaluisse ; 1. Religione primitivâ seu patriarchali, quæ complectebatur tum dogmata

et præcepta legis naturalis, tum venturi liberatoris seu Messiæ exspectationem, tum circumcisionis et sacrificiorum ritus; 2. legibus politicis ac ritualibus à Mose patriarchali religioni superadditis, quibus gens Israelitica à cæteris populis discernebatur, ut custos esset primitivæ traditionis, et fidei in futurum Messiam.

Notandum 2.° hìc quæstionem non esse de abrogatione Religionis quoad dogmata et præcepta legis naturalis, quæ magìs perfici ac evolvi debuerunt in Christianâ Religione; nec etiam quæstio est de venturi Messiæ promissione, et de præceptis ritualibus quæ diversa sacrificia et varias cultûs cæremonias determinabant, si ritus illi et sacrificia spectentur *quantùm ad res* quas præsignabant. Hæc enim omnia suum complementum habere debuerunt in Christianâ Religione quæ nihil aliud est quàm illa prisca Religio, temporum successu et serie eventuum explicita magìs et evoluta.

Itaque controversia duntaxat moveri potest de illâ Religionis Judaicæ parte quæ in præceptis politicis, et ritualibus *quantùm ad usum* spectatis, reponebatur. Quocircà adversarios habemus Judæos recentiores, qui volunt Legem Mosaicam ita esse ex omni parte absolutam, ut sit essentialiter immutabilis, nec consequenter ab ipso Messiâ abroganda. Hinc inferunt Christum Jesum non fuisse Messiam à Judæis exspectatum, ex eo quòd legem antiquam, ut dicunt Christiani, aboleverit.

Nos verò cum antiquâ Synagogâ contendimus Legem Mosaicam excellentem quidem fuisse, ut modò probatum est, sed nihilominùs

temporalem exstitisse, ac veluti præludium ad legem superioris ordinis, cujus auctor futurus esset Messias; proindèque Legem Mosaicam abrogandam fuisse, et reverà hodiè esse abrogatam; quapropter sit

CONCLUSIO PRIMA.

Lex Mosaica fuit abroganda.

Prob. Ad evincendam assertionem nostram facili labore demonstrare possemus legem cæremonialem non fuisse essentialiter immutabilem, ut contendunt adversarii, cùm nec omni tempore, nec pro omnibus hominibus lata fuerit; hâc tamen dimissâ ratione, ex solis prophetiis sic argumentari juvat:

Legem Mosaicam fuisse abrogandam necessariò sequitur ex Prophetarum oraculis quæ spectant 1.° titulos et missionem Messiæ, 2.° gentium vocationem, 3.° expressam præcipuorum rituum revocationem; ergo Lex mosaica aliquandò fuit abroganda.

1.° *Ex Prophetarum oraculis de titulis et missione Messiæ.* Namque inter titulos quibus passìm insignitur Messias, sive in Prophetis, sive in traditione, non minimum obtinet locum legislatoris ac doctoris officium sub quo sæpè annuntiatur. Isaias, postquàm, c. 42, sermonem fecit de Messiâ his verbis: *Ecce servus meus... dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet,* addit paulò infrà: *Et legem ejus insulæ exspectabunt.* Porrò lex necessariò supponit legislatorem. Idem, c. 49, ℣. 6, Messiam in nomine Dei alloquens: *Parùm est,* inquit, *ut sis mihi servus ad suscitandas tribus*

Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentibus ; quæ verba apertè significant Messiam legem daturum esse gentilibus. Percelebris est textus Jeremiæ, in quo prænuntiatur quòd Messias novum fœdus sit initurus cum populo fideli : *Ecce,* inquit, *dies veniunt... dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum... sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel... dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum,* etc. Cæterùm, frustrà renituntur Judæi : constans fuit antiquæ Synagogæ traditio, sub Messiâ novam legem esse ferendam, ut ex pluribus locis Talmudis colligitur : sic, v. g., in *Midrasch cohelet* dicitur, Legem Mosaicam *vanitatem esse præ lege Messiæ,* etc.: atqui hoc posito, necessariò sequitur Legem veterem fore abrogandam. Si enim Messias sit legislator, si debeat novam legem condere, ruit penitùs unicum Judæorum fundamentum ex absolutâ et essentiali Legis perfectione depromptum.

2.° *Ex oraculis de Gentium vocatione.* Inter omnia quæ vates sacri præcecinêre, nihil est, ut meritò observat doctissimus Huetius, Propos. IX, quod tam frequenter, tam clarè annuntietur ac futura Gentilium ad fidem conversio. Quoties ferè de Messiâ fit sermo, simul, tanquam character ac finis præcipuus ipsius missionis, ostenduntur gentes ad cognitionem veri numinis adducendæ. Ex innumeris testimoniis quæ allegari possent, unum aut alterum referre sufficiat. Psal. 85, ℣. 9 : *Omnes gentes quascun-*

que fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum. Isaiæ, c. 2, ℣. 2: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem: et judicabit gentes et arguet populos multos,* etc. His simillima et ferè ad verbum repetit Michæas, c. 4. Uterque autem Propheta significat Christum aliquandò regnaturum et judicaturum gentes, doctrinamque illius de Sion exeuntem seu Judæis primùm traditam, ad gentes posteà perferendam esse, et ab eis recipiendam. Hunc textum de Messiâ intelligunt Kimchius, Aben-Ezra, et alii Judæi. Ex quibus iterùm sequitur abrogandam esse legem cæremonialem, cujus finis, per conversionem gentilium, efficitur inutilis et observatio impossibilis.

1. Finis inutilis. Lex quippe Mosaica nationi Judaicæ ita peculiaris fuit, ut Ethnicis ad verum Deum conversis nunquàm sua præcepta adimplenda imposuerint veteres Hebræi. Is erat finis Legis Mosaicæ præcipuus, ex jam dictis, ut à cæteris populis Israelitæ distinguerentur, ut à commercio removerentur idololatrarum, sicque intemerata remaneret gens cui concreditæ fuerant nascituri Messiæ promissiones: sed post adventum Messiæ, jam conversis gentibus, non timenda erat idololatrarum conversatio, inutilis erat character ille Judæis proprius, nec dein-

ceps necesse fuit ut gens illa à cæteris separaretur.

2. Observatio impossibilis. Lex enim Mosaica locorum ac temporum et personarum circumstantiis ita alligabatur, ut non posset permanere postquàm, conversis gentibus, extra angustos limites Palæstinæ populus Dei extendi debuit; namque, solemnitates ferè omnes in solâ Palæstinâ, et sacrificia omnis generis in solo templo Jerosolymitano, celebrari licebat. Festis Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum masculi omnes Jerosolymam convenire debebant; purificationes innumeræ, escarum prohibitiones ac discrimina et multa hujusmodi, accommodata erant situi regionis et cœli temperaturæ. Hæc et similia profectò servari non potuissent ab aliis supra faciem orbis degentibus populis, in septentrione sicut in plagis australibus, in Americâ, in Insulis Oceani non secùs ac in Asiâ. Ideò Judæi ipsimet hodiè licèt paucissimi numero, à multis prohibentur ritibus, et præcipuè ab iis qui spectant sacrificia; et cùm sibi blandiuntur de lege in integrum restituendâ, simul spem fovent iterùm sedem suam ponendi in Palæstinâ.

3.° *Ex Prophetiis de futurâ quorumdam rituum revocatione.* Novum instaurandum sacerdotium, nova sacrificia, templi eversio, profectò Legis Mosaicæ abrogationem indicant: porrò hæc passìm prænuntiata leguntur in Scripturis.

1. Novum sacerdotium. Psal. 109 manifestè ad Messiam referendo, ut omnes interpretes et antiqui Judæi fateri coguntur, Deus Messiam alloquens, ait: *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, non juxta ordinatio-

nem Aaronis et Levitarum, cùm Messias ex tribu Levi non oriundus erat ; sed juxta sublimius ac præstantius sacerdotium Melchisedecis, in quo regia potestas cum sacerdotali munere conjungitur. Isaiæ, c. 66, ℣. 21, postquàm Propheta vocationem gentium prædixit, hæc addit : *Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas.* Hìc habes clarè interversum ordinem sacerdotii Aaronitici : porrò, ut ratiocinatur D. Paulus : *Translato sacerdotio, necesse est ut et Legis translatio fiat.*

2. Nova sacrificia. Malach. c. 1, ℣. 10 : *Non est mihi voluntas in vobis... et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Præiverat Daniel, c. 9, ℣. 27 : *In medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Quod quidem de legali hostiâ et sacrificio est accipiendum.

3. Templi eversio. Daniel, loco mox citato, postquàm retulit Christi occisionem, addit : *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Sed de isto celebri vaticinio agemus in sequenti Dissertatione.

Objiciunt Judæi : Lex Moysis *in æternum* posita fuit, Deut. c. 29, ℣. 29, Psal. 118 et alibi ; ergo non fuit abroganda.

Resp. Dist. ant. Lex Moysis in æternum posita fuit, quoad dogmata et præcepta moralia, *conc.* ; quoad præcepta cæremonialia et judicialia, *subdist.* ; in æternum sensu minùs strictè sumptum, *conc.* ; sensu strictiori, *nego.* Ex

Scripturæ locis ex quibus Lex in æternum posita dicitur, Judæi concludere non possunt ipsam nunquàm esse abrogandam, modò 1.° voces Hebrææ quæ verti solent, in *æternum*, in *sempiternum*, in *perpetuum*, non semper strictiori sensu, ad durationem infinitam et diuturnitatem mundi significandam in Scripturis usurpentur, sed pluries tempus indefinitum vel etiam finitum sive longum sive breve latiori sensu denotent; modò 2.° ista quæ nobis opponuntur Scripturæ loca non strictiori, sed minùs stricto sensu intelligenda esse probent invictæ rationes: atqui hæc duo vera sunt; 1.° quidem voces Hebrææ non semper strictiori sensu, etc., sed pluries tempus indefinitum, etc. Sic Exod. c. 21, ℣. 6, de servo qui, elapso anno sabbatico, apud suum dominum manere voluit, dicitur quòd futurus sit ei servus *in seculum* seu in perpetuum, id est usque ad Jubilæum qui finem omni servituti in Israel ponebat, Lev. c. 25, ℣. 40 et 54. Aliud exemplum suppeditat, I Reg. c. 1, ℣. 22, etc. 2.° Invictæ rationes probant ista quæ nobis opponuntur Scripturæ loca sensu minus stricto intelligenda esse, ut cuilibet probationes nostras attentè legenti constare poterit; ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Lex Mosaica jamdudùm abrogata est.

Prob. 1.° *Ex præsenti Judæorum statu.* Etenim fœdus illud abrogatum est cujus conditiones à Deo non observantur, neque Judæi, etiamsi vellent, observare possunt: atqui fœderis Judaici conditiones nec à Deo, etc. 1. non

ampliùs à Deo observantur; Deus enim sese obstrinxerat ad conservandam et bonis temporalibus cumulandam Judæorum gentem, quandiù Legem pro viribus custodiret, vel quoties violatæ Legis eam pœniteret, Deut. c. 28 et 30. Jam verò à plusquàm 1800 annis populus ille Legi suæ si unquàm addictus, ab idololatriâ licèt alienus, nedùm paternam in se Dei providentiam experiatur, omnibus divinæ vindictæ flagellis objicitur, miseram et ignobilem vitam agit, patrio solo extorris, sine Principe, sine sede fixâ, omnibus gentibus in opprobrium factus est. 2. Nec ipsi Judæi conditiones fœderis observare possunt; ex quo enim Jerusalem capta est, dirutum templum, sublata omnis tribuum distinctio, Judæi ubiquè terrarum exules, cultum suis legibus præscriptum et Palæstinæ alligatum servare non possunt; ergo, etc.

Prob. 2.° Lex Mosaica abrogari debuit per Messiam et institutione novi fœderis, ut jam probatum est: porrò Messias jam advenit, novumque ab eo sancitum est fœdus, Christiana nempè Religio de quâ statìm tractandum superest in sequenti Dissertatione.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

QUÆ de gravissimo hoc argumento dicenda sunt duplici capite complectemur, acturi in primo de auctoritate librorum novi Testamenti qui sunt primæva Religionis Christianæ monumenta; in secundo de divinitate illius Religionis.

CAPUT PRIMUM.

De Auctoritate Librorum novi Testamenti.

Christianæ Religionis veritas non ita pendet à libris novi Testamenti ut sine illis stare ac probari non possit; etenim, ut in decursu ostendemus, Christi miracula, quæ inconcussa sunt Religionis Christianæ fundamenta, innotescunt et confirmantur universali, antiquissimâ et constanti totius Ecclesiæ Christianæ consensione, in monumentis publicis, in factis indubitatis, in testimoniis auctorum cujuscunque Religionis consignatâ. Attamen plurimùm adversùs incredulos profecerimus, si demonstremus librorum novi Testamenti auctoritatem, id est, 1.° illorum authenticitatem, 2.° integritatem, 3.° veracitatem, de quibus totidem articulis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Authenticitate Librorum novi Testamenti.

Libri illi viginti septem numerantur; nempè, quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim Pauli Epistolæ, duæ Petri, una Jacobi, tres Joannis, una Judæ, et Apocalypsis. Constat illos libros unanimi Christianorum consensu semper receptos fuisse, si paucos excipias, scilicet Epistolam ad Hebræos, secundam Petri, illam quæ Jacobi est, et Judæ, duas posteriores Joannis et Apocalypsim, de quorum auctoribus in quibusdam Ecclesiis aliquandiù

dubitatum est, ita tamen ut eo ipso tempore in multis Ecclesiis pro canonicis haberentur, ac deinceps re pleniùs eliquatâ, auctoritatem ubiquè obtinuerint. Cæterùm, de illorum authenticitate frustrà litem moverent Deistæ, cùm libri illi nullum referant vel dogma, vel factum, vel miraculum quod non reperiatur in aliis qui ubiquè et semper à Christianis velut authentici recepti sunt. Imò, omnia novi Testamenti scripta ita secum cohærent et sese invicem continent atque supponunt, ut nihil efficerent Deistæ, nisi omnia ad unum conficta aut corrupta ostenderint.

Quibus præmissis, sit

CONCLUSIO.

Libri novi Testamenti sunt authentici.

Prob. 1.° *Ex publicâ Christianarum societatum fide et traditione.* Etenim, illi libri profectò sunt authentici, qui eos habent auctores quibus tribuuntur ab innumerabili societate, traditione illis libris coævâ, non interruptâ et ab extraneis confirmatâ : atqui tales sunt libri novi Testamenti ; ergo, etc.

Major est evidens. Nam quisquis de illius veritate vel minimum injecerit dubium, jam certum nihil in litteris habebit ; undè enim Platonis, Ciceronis, Homeri, Virgilii, Taciti, etc. libros nôrunt homines quòd ipsorum sint, nisi eâdem temporum sibimet succedentium traditione continuâ.

Prob. itaque *minor* per partes. Et 1.° quidem libri novi Testamenti eos habent auctores quibus tribuuntur ab innumerâ societate. Ubicunquè

enim occurrunt Christiani, ibi unanimem reperies persuasionem illos libros genuina esse Apostolorum et Discipulorum Christi opera. Ita tenuerunt omnes Ecclesiæ per Europam, Asiam, aliasque regiones dispersæ quæ sive Apostolos, sive eorum successores fundatores habuerunt; imò verò consenserunt novatores ferè omnes et heterodoxæ sectæ quæ, licèt de variis doctrinæ articulis dissentirent, communi tamen assensu novum Testamentum veluti germanum Apostolorum opus agnoscebant. Porrò consensus ille adeò unanimis et universalis invictum est veritatis argumentum; agitur quippè non de quodam obscuro instrumento, parvi momenti, incerto quodam rumore cognito; sed de scriptis quæ normam fidei et morum, cultûs publici ritus, leges disciplinæ immensæ societatis continent : ex quo Christi nomen divulgatum est, scripta illa, propter naturam rerum quas continent, universæ Christianæ societatis attentionem excitare debuerunt ; in omnes linguas translata sunt; ea assiduè pervolvunt Christiani; iis utuntur Pastores in exponendis et stabiliendis doctrinæ Christianæ principiis; ex illis exortas apud se controversias dirimunt. Quo pacto igitur fieri potuit ut tot Christiani populi, linguâ, regione diversi, unanimi consensione receperint tanquam germana Apostolorum opera, libros publicos et tanti momenti, qui reverà ex ipsorum manibus minimè prodierunt?

2.° Iidem libri auctoribus quorum gerunt nomina adscribuntur traditione illis libris coævâ et non interruptâ. Namque fatentur increduli post III seculum libros novi Testamenti ut

authenticos à Christianis omnibus habitos fuisse: atqui eadem fuit Christianorum persuasio et fides seculis anterioribus; siquidem à III seculo usque ad Apostolorum tempora retrogradiendo, præstò est testimoniorum non interrupta series quæ hanc eamdem fidem nobis exhibet.

Sic III seculi initio testatur Origenes se *EX TRADITIONE quatuor Evangelia accepisse, eaque sola in universâ Dei Ecclesiâ quæ sub cœlo est citra controversiam admitti*, in Matth. lib. 1, apud Euseb. Hist. Eccl. lib. 6, cap. 25, et ibidem nomina Evangelistarum recenset. Paucis antè annis Tertullianus hæreticos provocat ad Ecclesias Apostolicas, *apud quas ipsæ authenticæ* (Apostolorum) *litteræ recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem uniuscujusque*, lib. de Præscript. cap. 36 : additque contra Marcion. lib. 4, cap. 2 et 5, Evangelia Apostolos Joannem et Matthæum et Apostolicos viros Lucam et Marcum auctores habere; illudque demonstrat antiquitate et universalitate fidei Ecclesiarum Apostolicarum. Lege textum integrum apud D. *de la Luzerne*, 1.re *Dissert. sur la Religion*, pag. 318, in notis.

II Seculo, S. Irenæus, discipulus S. Polycarpi qui et ipse S. Joannis Apostoli discipulus fuerat, lib. 3 advers. Hæres. cap. 1 et 2, expressè asserit *quatuor esse Evangelia, nec plura, nec pauciora*, ibidemque quatuor Evangelistas proprio nomine apellat. S. Justinus Martyr qui Apostolorum discipulos viderat, in Apolog. 1.ª n. 86 et 87 edit. Oxon, Imperatoribus Antonio Pio, et Vero, Senatui et populo anno 151 oblatâ, affirmat Apostolorum commentaria, *quæ vocantur Evangelia*, simùl cum Prophetarum scriptis

in Christianorum conventibus legi solita, et ex iis describit verba de Eucharistiæ institutione quæ apud Matthæum, Marcum et Lucam leguntur. Insuper, in suo cum Tryphone Dialogo, probat facta quæ à nostris Evangelistis referuntur cum Prophetarum oraculis apprimè concordare; et in 2.ª quam edidit Apologiâ quàm plurimos textus Evangeliorum ad litteram refert. Vide pag. 313, op. jam cit. Jam verò hoc ipso quòd II seculo in Christianâ societate fides viguerit de Evangeliorum nostrorum authenticitate, manifestum est eamdem fidem I seculo obtinuisse; tum quia nullam in contrarium rationem afferre possunt Deistæ; tum quia fides hæc adeò firma, constans et universalis evidenter supponit communem originem, seu traditionem ab Apostolis decurrentem per successionem non interruptam pastorum, qui deposito fidei sibi commisso et in illis libris contento invigilabant.

Et verò nec I seculo desunt SS. PP. in gratiam authenticitatis Evangeliorum testimonia. Nam S. Clemens Romanus successor Petri in Sede Romanâ, S. Ignatius Episcopus Antiochensis qui, ut ipse testatur, Christum post resurrectionem in carne viderat, S. Polycarpus et Papias S. Joannis Evangelistæ discipuli, Hermas et alii aut generatim memorant Evangelia his verbis: *Ait quippè Dominus in Evangelio;* aut speciatim veluti divina oracula citant textus, quos in Evangeliis nostris desumptos demonstrat identitas sensûs et ipsorum quandoquè verborum; imò et Papias nominatim memorat Evangelia à SS. Matthæo et Marco conscripta.

3.° Constantem hanc traditionem confirmant

extranei sive Hæretici, sive Pagani. 1 Hæretici quales fuêre I et II seculo Cerinthiani, Ebionitæ, Valentiniani, etc.; hi enim Evangeliorum authenticitatem non negabant, sed illorum veracitatem labefactare conabantur, sensum nempè, pravis interpretationibus ad suam hæresim accommodatis, adulterantes; vel contendentes Apostolos sacram Christi doctrinam non fuisse assecutos, sibi autem solis veritatem affulsisse, *seque sinceriores Apostolis esse*, teste Irenæo, lib. 2 advers. Hæres. cap. 2. Porrò dùm Hæretici Apostolos arguebant quòd errores suis libris inseruissent, hoc ipso supponebant illos libros auctores habere Apostolos : hinc meritò aiebat S. ille Doctor, ibid : *Tanta est circa hæc Evangelia firmitas, ut et ipsi Hæretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam... ; cùm ergo hi qui contradicunt nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.* 2. Pagani, nempè Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata, nostra Evangelia apprimè noverant, ex illis argumenta adversùs Christianos depromebant, et doctrinam in iis contentam deridebant; nunquàm verò vel minimam quidem de Evangeliorum authenticitate suspicionem injecerunt : Celsus quidem Christianos arguit quòd pluries primævum Evangeliorum contextum perverterint, sed de illorum suppositione omninò silet. Ipse Julianus, apud S. Cyrillum Alex. contra Julian. lib. 10, libros novi Testamenti ipsorum auctoribus expressè adscribit, et Christi divinitatem impugnat eò quòd *illum neque Paulus Deum dicere ausus*

est, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus; sed bonus ille Joannes... primus id prodire ausus est. Mirum igitur ab hodiernis Deistis id negari quod II, III et IV seculo Apostatæ et Religionis Christianæ hostes infensissimi ipsâ factorum evidentiâ victi, confiteri cogebantur.

Prob. 2.° *Ex absurditate sententiæ oppositæ.* Etenim si libri novi Testamenti genuina non fuissent Apostolorum et discipulorum Christi opera, illorum suppositio contigit vel viventibus Apostolis, vel ipsis jam mortuis : atqui neutrum dici potest. Non 1.^{um}; quis enim adeò demens et temerarius esse potuit, ut illud sub ipsis Apostolorum oculis susciperet. Quòd si aliquis tentasset, nonne obstitissent Apostoli ne ipsorum nomine et auctoritate abuteretur impostor ad corrumpendos variis erroribus homines quos tantis laboribus ad veritatem evangelicam adduxerant ? Non 2.^{um}; quomodò enim impostor infinito propè numero fidelium, quibus constabant nobilissimæ Ecclesiæ ab Apostolis Romæ, Corinthi, Ephesi, Jerosolymæ, etc. fundatæ, persuadere potuisset se ab ipsis, dùm viverent, Evangelia et Epistolas ipsâ eorum manu conscripta, accepisse eaque cum summâ reverentiâ tam privatìm quàm publicè legisse, si reverà de iis nihil unquàm audivissent. At si illud fuit impossibile dùm adhuc recens esset Apostolorum memoria, quantò magìs tempore ab eâ ætate remotiori ; tum quia major erat Christianorum numerus ac proindè difficilius ipsis imponere ; tum quia variæ tunc exortæ sunt hæreses quarum duces fraudem istam nec ignorassent nec siluissent ;

nisi fortè dicatur Hæreticos cum Catholicis consensisse ad fraudem concinnandam, quod nimis absurdum est quàm ut refelli indigeat; ergo, etc.

Solvuntur Objecta.

Obj. 1.° Cum *Fréret*, libro cui titulus : *Examen critique des Apologistes de la Religion Chrétienne:* Certum est primis Ecclesiæ temporibus plurima à Christianis evulgata fuisse Evangelia apocrypha seu Apostolis et primis Christi discipulis falsò adscripta, quorum 50 sub diversis titulis enumerat Fabricius, in codice Apocryphorum novi Testamenti : porrò, si tam facilè allucinari potuerunt Christiani, ut apocrypha Evangelia tanquam ab Apostolis conscripta susciperent, sponte ruunt argumenta quibus modò probare conati sumus Evangelia, quæ præ manibus habemus, esse authentica; ergo, etc.

Resp. 1.° Ut clarè solvatur objectio cui tantoperè confidunt Increduli, duplex distinguendum est Evangeliorum apocryphorum genus, alia nempè *Catholicorum*, *Hæreticorum* alia. Primi generis erant relationes gestorum et doctrinæ Christi et Apostolorum, quas ab ipsis Apostolis vel fidei præconibus primùm acceptas, pio quidem, sed præcipiti forsan zelo, fideles scriptis consignârunt. Hæc autem scripta, licèt non eâdem auctoritate gauderent ac Evangelia ab Apostolis exarata, honorificè tamen citari poterant : hujusmodi erat, teste Eusebio, *Evangelium secundùm Hebræos*. Evangelia autem secundi generis vel ab integro fuêre ab Hæreticis conficta, vel à

Fidelibus,

Fidelibus, ut modò dictum est, primùm conscripta, ab Hæresiarchis deinceps in suæ hæresis patrocinium corrupta fuêre, sicuti ipsis illud exprobrant SS. PP., præsertim S. Irenæus, *lib.* 1 adv. *Hæres.* cap. 17, et Tertull. de Præscript. cap. 37. His prænotatis,

Resp. 2.° *Nego suppositum maj.*, nempè, Evangelia apocrypha primis Ecclesiæ temporibus vulgata fuisse; nullum quippè illorum existentiæ argumentum occurrit ante finem II seculi, quo tempore primus omnium duo ex illis memorat Clemens Alexandrinus. Adde hæc apocrypha Evangelia tot numero non fuisse, quot primâ fronte crederetur ex recensione Fabricii; ipse enim fatetur idem Evangelium sub diversis titulis designari.

Resp. 3.° *Nego min.* Etenim, in eo posita est vis argumentorum quibus authenticitatem librorum novi Testamenti comprobavimus, quòd illi libri auctoribus quorum nomina gerunt adscribantur traditione illis libris coævâ, universali et non interruptâ: porrò eamdem certè traditionem non sibi vindicant Evangelia apocrypha cujuscunque sint generis. 1.° Quidem non traditionem coævam, ut constat, tum ex præcedenti responsione, tum ex testimonio SS. PP., et præcipuè S. Irenæi et Tertulliani qui hæreticorum Evangelia ideò impugnârunt quòd illorum erroribus essent recentiora. 2.° Non traditionem universalem, ut de apocryphis Hæreticorum *compertum est*, *quippè* quæ à solâ sectâ è quâ prodierant recipiebantur: sic Ebionitæ Ebioni, Cerinthiani Cerinthi Evangelium duntaxat recipiebant, et sic de cæteris. Quoad verò apocrypha Catholicorum

nullum auctorem appellare possunt Deistæ ex quo probari possit hæc pari honore et auctoritate ac nostra Evangelia apud Catholicos recepta fuisse ; imò ipsi SS. PP. maximè semper curârunt ut hæc apocrypha Evangelia à genuinis Apostolorum scriptis secernerentur. Vide præsertìm Eusebium, Hist. Eccl. lib. 3, cap. 19. 3.° Non traditionem constantem, cùm, ut suprà vidimus, jam à tempore S. Irenæi, II seculo, sola quatuor quæ nunc habemus Evangelia agnoscebantur. Malè igitur inferunt Deistæ ex argumentis quæ protulimus authenticitatem Evangeliorum probari non posse ex eo quòd, primis Ecclesiæ seculis, quædam apocrypha Evangelia vulgata fuerint. Quin è *contrà* ex apocryphorum publicatione novum exsurgit argumentum in gratiam nostrorum. *Les faux Evangiles*, inquit Illust. Episcopus Hermopolitanus, *fruits de l'erreur, de l'ignorance ou d'une piété peu éclairée, sont tombés dans l'oubli ; on n'a jamais pu réussir à les faire passer pour véritables : les Eglises fondées par les Apôtres leurs pasteurs, leurs docteurs, ont repoussé ces livres avec indignation et mépris. Le zèle qu'ont mis ces Eglises à écarter les faux Evangiles nous est un sûr garant que ceux qu'elles nous ont transmis comme authentiques le sont en effet. Défense du Christ.* tom. 2, pag. 301.

Obj. 2.° cum eodem : SS. PP. Justino antiquiores nullibi laudârunt, nec unquàm Evangelia nostra nominatìm appellârunt; sæpissimè verò usi sunt auctoritate librorum apocryphorum ; ergo ex SS. PP. testimoniis nihil certi erui potest in gratiam authenticitatis nostrorum Evangeliorum.

Resp. Nego ant. quoad omnes suas partes. Et 1.° falsum est SS. PP. Justino antiquiores Evangelia nostra nullibi laudasse ; ut constat ex testimoniis inter probandum relatis et multis aliis apud D. *de la Luzerne*, 1.re *Dissertation sur la Religion*, tom. 1, pag. 309, et seqq. in notis. 2.° Falsum est SS. PP. Evangelia quæ præ manibus habemus nunquàm nominatìm appellasse ; contrarium enim evincitur ex Papiæ testimonio, ut jam observavimus. Nec mirum quòd cæteri Patres ante Justinum Evangelia nostra sub proprio illorum auctorum nomine non laudaverint ; cùm enim non tam adversùs Hæreticos ad fidem confirmandam, quàm de pietate Christianâ in gratiam Fidelium scriberent, præsciebant ab illis facilè recognoscenda loca ex Evangeliis authenticis desumpta, quæ memoriter et quoad sensum allegabant. Et verò nec etiam veteris Testamenti libros nominatìm appellant ; quis tamen dixerit eos ab ipsis SS. PP. pro authenticis non habitos fuisse ? 3.° Falsum est etiam PP. Justino antiquiores evangeliis apocryphis sæpiùs usos fuisse ; nam duo tantùm loci his similibus qui citabantur in Evangeliis *secundùm Ægyptios* et *secundùm Hebræos*, apud S. Clementem Papam, et S. Ignatium Antiochenum reperiuntur ; sed quid indè ? nisi Sanctos illos Patres vel ex traditione ea didicisse, vel ex his duobus Evangeliis tanquam ex piis scriptis deprompsisse, quemadmodùm Oratoribus sacris etiamnùm non infrequens est, ut ex asceticis aut etiam profanis operibus nonnulla referant. Et certè, ut jam animadvertimus, nullâ ratione ostendi potest hæc Evangelia veluti authentica et pari honore

ac nostra habita fuisse; imò SS. PP. authentica Evangelia ab aliis diligenter secernebant, quod pluribus exemplis demonstrat Em. Card. *de la Luzerne*, opere mox cit. cap. 1, art. 2, n. 47.

Obj. 3.° Authenticos esse libros novi Testamenti probatur ex solo Christianorum testimonio: atqui testimonium illud nullius est ponderis, cùm nemo judex in suâ causâ esse possit; ergo, etc.

Resp. 1.° Non solùm ex testimonio Christianorum, sed et Paganorum Christianæ Religioni infensissimorum, authenticitas Evangeliorum fuit comprobata.

Resp. 2.° *Nego min.* Audiri enim solent omnes populi in iis quæ ad ipsorum statum, regimen, leges, ritus, disciplinam pertinent: prætereà, *non nascuntur sed fiunt Christiani*, et qui primis seculis Christianam Religionem professi sunt, vel Ethnici erant vel Judæi, qui proindè multis adversùs hanc Religionem laborabant præjudiciis et cupiditatibus; non igitur in suâ causâ judicârunt, sed potiùs contra ipsos, ex solâ compertâ veritate, Evangeliorum authenticitatem suo testimonio confirmârunt; sed de hoc fusiùs infrà, ubi de illorum librorum veracitate dicemus.

ARTICULUS II.

De Integritate Librorum novi Testamenti.

Ultrò fatemur in libros novi Testamenti incuriâ vel ignorantiâ amanuensium levia menda irrepsisse, proutaliis omnibus antiquorum libris accidit. Menda hujusmodi à sacris Codicibus

avertere non debuit divina providentia ; alioquin perpetuis opus fuisset miraculis quæ ad servandam Scripturarum auctoritatem non sunt necessaria. Status igitur quæstionis est an libri novi Testamenti, quoad rerum substantiam, id est, quoad dogmata, morum præcepta et facta alicujus momenti tales hodiè sint, quales fuerunt cùm è manibus Apostolorum et discipulorum Christi prodiêre.

CONCLUSIO.

Libri novi Testamenti sunt integri.

Prob. Illi libri sunt integri quos tales esse asserit societas quæ ipsis utitur, præsertìm si sint maximi momenti, si summo religionis sensu asservati, et passìm vulgati fuerint, si assignari non possit illorum interpolationis epocha et auctor : atqui tales sunt libri novi Testamenti.

1.° Quidem libros novi Testamenti incorruptos esse universalis est et constans omnium Christianorum vox et persuasio, cui nil probabile opponendum habent Deistæ. Et certè omnia illorum librorum exemplaria, in substantiâ rerum, sibi omninò consentiunt, ut ipsi severiores critici testantur.

2.° Illi libri maximi sunt momenti ; siquidem in illis continentur doctrina, leges, disciplina totius Christianæ societatis : ad illorum librorum auctoritatem, controversiæ circa doctrinam et mores inter Christianos exortæ dirimebantur ; pari igitur sollicitudine Catholici et Hæretici invigilare debuerunt ne illi libri vel minimum interpolarentur ; et reverà, ut jam

notavimus, non semel Hæreticis exprobrant SS. PP. quòd sacros Codices corruperint et ad suos errores accommodaverint: *Marcion*, inquit Tertullianus, *Evangelium interpolando suum fecit*, contra Marcion., lib. 4, cap. 1.

3.° Summo religionis sensu asservabantur, ut potè qui verbum ipsum Dei et fundamentum Religionis in iis contineri crederetur. Hinc Proconsul Africanus Scillitanos martyres sic interrogat: *Qui sunt libri quos legitis adorantes?* Hinc, jubente Diocletiano sacros Codices conquiri et comburi, plurimi Christiani potiùs vitam profundere, quàm illos tradere maluerunt; eorum verò *traditores* nonnisi post exantlatos longos pœnitentiæ labores ad Ecclesiæ communionem admissi sunt. Hinc, teste Sozomeno, Hist. Eccl. lib. 1, cap. 2, in concione quâdam Christiana plebs graviter commota fuit, eò quòd Episcopus Evangelium exponens, voculam unam, illæso tamen illius sensu, inani elegantiæ studio emendare ausus fuisset. Hinc etiam præsentiebat Hieronymus, epist. ad Damasum Papam, ne si novam sacrorum librorum versionem aggrederetur, omnium in se indignationem et clamores concitaret: tanta erat Christianorum in suos libros reverentia ut ne verbum quidem, salvo tamen sensu, immutari paterentur.

4.° Illi libri passim erant divulgati. Ut enim historiæ monumenta testantur, infinita propè illorum librorum exemplaria apud varias sectas et in singulis Ecclesiis occurrebant, varias in linguas translata sunt, in omnium ferè manibus terebantur, privatim et publicè legebantur: atqui hæc manifestè probant libros illos

quoad substantiam adulterari non potuisse. Vel enim aliqua tantùm exemplaria corrupta fuissent vel omnia : porrò utrumque repugnat ; 1.um quidem, cùm in omnibus exemplaribus eadem legantur dogmata, præcepta, miracula ; 2.um verò ; ut enim omnia exemplaria corrumpi potuissent, necesse fuisset ut falsarius codices integros ex omnium manibus eripuisset, et eorum loco alios interpolatos tacitè et clanculùm subrogasset, quos et Fideles et ipsi Ecclesiarum Præfecti credidissent eosdem esse quos hactenùs constanter legerant : id autem perabsurdum esse nemo est qui non videat ; ergo, etc.

5.° Nulla epocha, nullusque auctor hujus interpolationis assignari potest. 1. Nulla epocha ; non ipsa ætas Apostolorum, quia certè reclamassent Apostoli et ipsi Fideles, ut evidens est ; non seculis sequentibus, tum propter illorum librorum per orbem universum diffusionem, et Christianorum erga sacros illos codices reverentiam, ut modò dicebamus. Et verò ab Apostolorum ætate habemus non interruptam seriem SS. PP. et scriptorum ecclesiasticorum qui in suis operibus, tractatibus dogmaticis, commentariis, homiliis, etc., ita frequenter loca novi Testamenti laudant, imò et prolixiores textus ad verbum describunt, ut si omnes libri illi casu interirent, singuli fermè eorum versiculi in operibus SS. PP. dispersi reperirentur, et ex iis in unum collectis aliud exsurgeret novi Testamenti exemplar integrum et nostro simillimum : atqui, hoc posito, prorsùs impossibile fuit novi Testamenti libros interpolari, nisi dicatur SS. PP. et aliorum scriptorum ecclesiasticorum opera vel omninò

supponi, vel substantialiter adulterari potuisse; quo nihil absurdius. 2. Nullus assignari potest hujus interpolationis auctor sive Paganus, sive Judæus, sive Hæreticus, sive Catholicus, ut paululùm attendenti facilè patebit; ergo, etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

Solvuntur Objecta.

Obj. 1.° In pluribus antiquis Mss. desiderantur duodecim postremi versiculi S. Marci; in plerisque Mss. græcis non legitur historia mulieris adulteræ; demùm pleraque Mss. græca et plura è latinis non referunt famosum ℣. 1 Joan. c. 5 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, etc. :* atqui hæc manifestè probant libros novi Testamenti corruptos fuisse; ergo, etc.

Resp. Nego min. 1.° ex eo quòd enim unus est aut alter Livii, Taciti, Josephi textus de cujus integritate disputatur, nunquid inferre licet cæteros, qui unanimi omnium exemplariorum fide comprobantur, nullius esse auctoritatis? ergo et à pari, etc. 2.° Exempla quæ objiciuntur nihil nostræ thesi detrahunt; hæc enim substantiam factorum, præceptorum, dogmatum, non afficiunt; nullum quippè factum in duodecim versibus S. Marci refertur quod in aliis evangelicis libris non legatur; historia mulieris adulteræ novum aliquod dogma non inducit; dogma SS. Trinitatis in aliis Scripturæ locis expressè consignatur. 3.° Ex iis quæ opponuntur locis nullus est cujus authenticitatem non vindicaverint eruditi. Vide ad calcem *Tractatûs SS. Trinitatis*, Dissertationem de versiculo S. Joannis qui objicitur.

Obj. 2.° Christianis exprobrat Celsus quòd Evangelium ad suum libitum adulteraverint, idque fateri coactus est Origenes; ergo, etc.

Resp. nedùm fateatur Origenes Evangelia à fidelibus interpolata fuisse, calumniam à Celso impactam sic repellit, contra Celsum, lib. 2, cap. 27 : *Equidem non alios novi qui Evangelii contextum immutaverint quàm Marcionis, Valentini forsitan et Lucani sectatores. Id verò crimini nostræ doctrinæ non imputandum est. In culpâ sunt qui Evangelia depravare audent,* nempè Hæretici qui, non semel sacros Codices interpolare attentârunt. Sed nedùm exindè infirmetur, non parùm è contrà roboratur nostra conclusio, ut suprà ostendimus.

Obj. 3.° VI seculo Victor Episcopus Tunonensis in suo Chronico sic habet : *Messalâ consule, jubente Anastasio Imperatore, sancta Evangelia tanquam ab idiotis Evangelistis composita reprehenduntur et emendantur :* idem refert Isidorus Hispalensis; ergo, etc.

Resp. Etsi factum admitteretur de quo silent omnes alii scriptores, etiam græci historici, id unum sequeretur, nempè Imperatorem Hæreticis faventem Evangeliorum interpolationem attentâsse; nullibi enim refert Victor Evangelia ab Imperatore emendata, in aliquâ Ecclesiâ vulgata et recepta fuisse. Et certè quâ arte potuisset Anastasius adulterare tum innumera novi Testamenti exemplaria quæ per orbem universum VI seculo erant diffusa, tum omnia SS. PP. opera quæ tunc temporis exstabant, et in quibus novum Testamentum integrum describitur. Prætereà, hæc interpolata Evangelia non fuisse evulgata satis evincitur ex eo quòd

nullum hâc de re supersit reclamationis vestigium.

Obj. 4.° Tot sunt in libris novi Testamenti variantes lectiones ut earum triginta millia collegerit Millius Anglus, in suâ novi Testamenti editione græcâ : atqui textus tot mendis refertus, integer dici nequit ; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim 1.° variantes illæ lectiones non obstant quominùs illi libri quoad substantiam sibi consentiant ; hæc quippè varietas in accentibus, in voculis, in transpositionibus, in synonymis plerumquè deprehenditur ; ita ut mendosissimum exemplar non diversa à cæteris exhibeat facta, dogmata, præcepta. 2.° Nobis favet ea variantium multitudo, nedùm noceat ; quò majori enim numero sunt exemplaria alicujus libri, eò difficilius est illum quoad substantiam corrumpere, eòque facilius à suis mendis repurgare, collatis scilicet inter se exemplaribus : porrò lectionum varietas multitudinem exemplariorum probat, cùm ubi unicum est exemplar ibi non possit esse lectionum diversitas.

ARTICULUS III.

De Veracitate Librorum novi Testamenti.

Veracitatem librorum novi Testamenti potissimùm expendemus relativè ad miracula splendidaque facta quæ in illis libris, et præsertim in Evangeliis, referuntur, tum quia id sufficit ad scopum nostrum, tum quia indè sponte fluet eorumdem librorum omnimoda veracitas ; undè sit

CONCLUSIO.

Vera et certissima sunt facta quæ in Libris novi Testamenti referuntur.

Prob. Vera profectò et certissima sunt facta maximi momenti et publica, relata à plurimis scriptoribus coætaneis qui non fuerunt decepti nec deceptores; præsertìm si facta hujusmodi ab illis quorum maximè intererat ea denegare, pro veris agnita fuerint, et cum facto etiamnùm exstante necessariò connectantur : porrò hujusmodi sunt facta quæ in libris novi Testamenti referuntur.

I. Facta in libris novi Testamenti consignata maximi sunt momenti et publica : 1.° Maximi sunt momenti sive spectentur in seipsis, sive in eorum consecutionibus. 1. In se spectata, adeò frequentia sunt, adeò splendida ut non modò attentionem sed etiam admirationem excitare debuerint. Jesum nascentem stella prænuntiat, Angeli celebrant, Magi adorant, Herodes expavescit ; vox Patris è cœlo non semel audita ipsius doctrinam comprobat; Christus tempestates sedat, ægros contactu, nutu, verbo sanat, cæcis à nativitate visum restituit, mortuos jam fœtentes ad vitam revocat, dæmones fugat; modò quatuor, modò quinque hominum millia paucis panibus et pisciculis satiat; eo moriente, sol obscuratur, velum templi scinditur, terra motibus insolitis quatitur, mortui resurgunt ; mox ereptus sepulcro redivivus apparet, et spectante discipulorum turbâ cœlum conscendit. Porrò facta hujusmodi in se splendida esse et maximi momenti nemo non videt. 2. Si verò spectentur

in suis consecutionibus, hæc facta erant momentosa respectu Judæorum et Paganorum ; Judæorum quidem, cùm ex miraculis, si vera essent, agnoscere deberent suum Messiam quem tunc exspectabant, ut deinceps probabitur : Paganorum verò ; horum enim prodigiorum veritas adstruebat divinitatem Religionis novæ et peregrinæ, sui auctoris supplicio infamis, inveteratis præjudiciis et cupiditatibus adversæ.

2.° Eadem facta erant publica tum *ratione sui ;* non enim occultis artibus quibus uti solent præstigiatores, sed solo vocis imperio hæc portentosa facta plerumquè patrata sunt ; tum ratione *locorum ;* non enim clanculùm et *in angulo quidquam horum gestum est ,* sed in nobilissimis Palæstinæ urbibus, Jerosolymis, in foro, in templo et in festis diebus ; tum ratione *personarum* et testium ; his quippè aderat immensa multitudo, et in omni Judæâ videri poterant qui vitæ vel sanitati fuerant restituti, vel à dæmoniis liberati, vel panibus multiplicatis refecti. Horum testes erant non solùm obscuræ plebis homines, sed ipsi principes Judæorum, Sacerdotes, Pharisæi qui Christum ipsiusque doctrinam implacabili odio prosequebantur : porrò oculatissimi illi testes sanè inquirere debuerunt in omnes miraculorum circumstantias ; et reverà examen juridicum bis ab illis tentatum legimus, Joann. c. 9, et Actuum c. 3.

II. Facta hujusmodi referuntur à plurimis scriptoribus coætaneis qui nec decepti, etc. 1.° Referuntur ab octo scriptoribus, nempè à quatuor Evangelistis, à SS. Paulo, Petro, Jacobo et Judâ. Ex his autem Matthæus, Joannes, Petrus, Jacobus, Judas, Christi Apos-

toli, prodigiorum testes oculati et quandoquè ministri fuerunt, ita ut cum Joanne dicere possent, Epist. I, c. 1 : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ..., annuntiamus vobis :* Lucas verò et Marcus è Collegio Apostolico non erant, at fuerunt discipuli, ille S. Pauli, iste S. Petri ; et in Judæâ versabantur tempore quo Christus sua patrabat miracula. Deniquè S. Paulus non solùm cum Apostolis et discipulis Christi conversatus est, sed ipse testatur se Christum post suam resurrectionem vidisse, I Cor. c. 9, ℣. 1 ; et multa refert quæ cum veritate factorum evangelicorum necessariam habent connexionem : porrò si non sufficiat tot taliumque scriptorum testimonium ad veritatem factorum quæ ipsi narrant comprobandam, jam erunt rejicienda et Alexandri victoriæ, cùm non referantur nisi à duobus historicis, Ariano nempè et Quinto-Curtio longè Alexandro posterioribus ; et Socratis gesta quæ à Platone duntaxat et Xenophonte tradita sunt.

2.° Scriptores factorum evangelicorum non fuerunt decepti. Fac enim Apostolos rudes, ignaros, credulos fuisse quantùm volueris, quomodò credere potuerunt se videre facta sensibilia, obvia, publica, claudos ambulantes, cæcos videntes, mortuos suscitatos, tempestates sedatas, etc. ; cùm tamen nihil horum viderint? et etiamsi sibi imponi atque illudi à magistro permisissent, saltem, ipso mortuo, quâ arte sibi in animum induxissent à seipsis quotidiè effici miracula quæ nullatenùs efficiebantur?

3.° Non fuerunt deceptores, ut manifestum est modò expendantur illorum conditio, dotes,

doctrina, stylus, motiva. 1. *Eorum conditio;* sunt enim pauperes, rudes et illiterati, tardioris que ingenii, Paulo excepto : atqui repugnat hujusmodi hominibus tribuere consilium universum orbem decipiendi. 2. *Illorum dotes;* nihil quippe nisi pietatem, sinceritatem et virtutes omnes spirant Apostoli, proprias culpas, suam pusillanimitatem et fugam, suam in credendo tarditatem referunt; sese omnibus devovent laboribus, periculis, ærumnis, suppliciis, ut homines ad virtutem adducant; tandem suum testimonium sanguine obsignant suo : porrò ut pulchrè animadvertit Bossuetius, *Panégyrique de S. André*, 1. part., tom. 6, edit. Versal., pag. 536 : *Ce ne sont pas ici des hommes prévenus qui meurent pour des sentimens qu'ils ont sucés avec le lait; ce ne sont pas ici des spéculatifs et des curieux qui, ayant rêvé dans leur cabinet sur des choses imperceptibles, sur des mystères éloignés des sens, font leurs idoles de leurs opinions, et les défendent jusqu'à mourir. Ceux-ci ne nous disent pas : nous avons pensé, nous avons médité, nous avons conclu; leurs pensées pourraient être fausses, leurs méditations mal fondées, leurs conséquences mal prises et défectueuses. Ils nous disent : « Nous avons vu, nous avons ouï, nous avons touché de nos mains. » S'ils disent la vérité, que reste-t-il à répondre ?* Atque hinc notum illud Pascalii : *Je crois volontiers les histoires dont les témoins se font égorger.* 3. *Illorum doctrina.* Dogmata enim prædicant altissima, rationi impervia, morumque præcepta perfectissima, inveteratis præjudiciis et cupiditatibus adversa. 4. *Eorum stylus* simplex est et candidus; sedato animo,

absque ullâ amoris, odii, vel admirationis significatione, splendida miracula, supplicia, mortem et resurrectionem Christi enarrant : *ibi*, inquiunt, *crucifixerunt eum*; ita ut diceres eos de rebus ad se minimè pertinentibus scripsisse : singulas vel minutissimas circumstantias ad fraudem, si qua esset, detegendam aptissimas describunt, quo tempore unaquæque res contigerit, quâ in urbe, quibus nominatim testibus. An sic se gerere solent impostores ? Undè Philosophus Genevensis : *Dirons-nous que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir ? Ce n'est point ainsi que l'on invente ; et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ. Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire : il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul homme en ait fourni le sujet. Jamais les auteurs Juifs n'eussent trouvé ce ton ni cette morale ; et l'Evangile a des caractères de vérité si grands, si frappans, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros.* Tom. 3 Emilii. 5. *Illorum motivum ;* sic enim pergit illust. Bossuetius, loco mox cit. : *S'ils inventent, que prétendent-ils ? Quel avantage, quelle récompense, quel prix de tous leurs travaux ? s'ils attendaient quelque chose, c'était ou dans cette vie, ou après leur mort. D'espérer pendant cette vie, ni la haine, ni la puissance, ni le nombre de leurs ennemis, ni leur propre faiblesse ne le souffre pas. Les voilà donc réduits aux siècles futurs ; et alors, ou ils attendent de Dieu la félicité de leurs âmes, ou ils attendent des hommes la gloire*

et l'immortalité de leur nom. S'ils attendent la félicité que promet le Dieu véritable, il est clair qu'ils ne pensent pas à tromper le monde; et si le monde veut s'imaginer que le désir de se signaler dans l'histoire, ait été flatter ces esprits grossiers jusque dans leurs bateaux de pêcheurs, je dirai seulement ce mot: Si un Pierre, si un André, si un Jean, parmi tant d'opprobres et de persécutions, ont pu prévoir de si loin la gloire du Christianisme, et celle que nous leur donnons, je ne veux rien de plus fort pour convaincre tous les eprits raisonnables que c'étaient des hommes divins, auxquels et l'esprit de Dieu, et la force toujours invincible de la vérité, faisaient voir dans l'extrémité de l'oppression, la victoire très-assurée de la bonne cause.

III. Facta evangelica vel tacitè vel positivè agnoverunt ii quorum maximè intererat ea denegare, ipsi scilicet Christianæ Religionis adversarii. 1.° Judæi Christo et Apostolis coætanei. Nam cùm Christi miracula Beelzebub dæmoniorum principi tribuerent, Luc. c. 11, ℣. 15, hoc ipso ea tanquam certa agnoscebant: post miraculum cæci nati, et Lazari à mortuis suscitati, anxii videntur quia, inquiunt, *hic homo multa signa facit:* Principes Sacerdotum et Synagoga omnis fatentur signum claudi ab utero, quem sanaverat Petrus, Act. c. 4, ℣. 16, factum fuisse in conspectu omnium habitantium Jerusalem: *certum est*, inquiunt, *et non possumus negare.* Eadem fuit Judæorum posteriorum opinio; undè Rabbinus Maimonides eorum doctissimus non aliter solvit argumentum è miraculis Christi petitum, quàm negando

miracula à Messiâ patrari debuisse. 2.° Pagani qui Christianam Religionem impugnaverunt nunquàm dubium injecerunt de miraculis qui in libris evangelicis referuntur. Celsus apud Origenem, lib. 1, illa magicis artibus tribuit, ita et Julianus Apostata apud S. Cyrill. Alex., lib. 2 contra Jul. Vide *Bullet, Histoire de l'Etablissement du Christianisme*, pag. 161 et seqq., edit. 1825.

IV. Tandem hæc facta cum facto adhuc exstante necessariò connectuntur. Nam factum est etiamnùm perseverans, orbem universum, relictis idolorum superstitionibus, ad Religionem Christianam transiisse : atqui factum illud veritatem factorum evangelicorum necessariò supponit ; si enim evidenter comprobata non fuissent Christi et Apostolorum miracula, incredibile prorsùs est innumeram Paganorum multitudinem ab avitâ Religione, facillimâ, voluptatum amicâ defecisse, ut aliam Religionem amplecteretur inveteratis præjudiciis et cupiditatibus adversam, suos sectatores in apertum vitæ discrimen vocantem, et ab hominibus rudibus et illiteratis propositam : incredibile est viros doctissimos Justinum, Tertullianum, Cyprianum, Origenem, et quotquot præsertìm primis seculis præstantissima floruêre ingenia, huic Religioni adhæsisse, nisi eorumdem factorum veritas ipsis comperta fuisset. Undè sic arguimus : Vel miracula Christi et Apostolorum sunt vera, vel falsa ; si prius, causam habemus ; si posterius, orbis universi conversio absque miraculis omnium miraculorum maximum est, quod solum Christianæ Religionis divinitatem demonstrat.

Solvuntur Objecta.

Obj. Si vera et certissima essent Christi miracula, Judæi omnes factis coævi, ad Religionem Christianam convolassent: atqui tamen plerique eam rejecerunt; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Etenim, veritates apertissimas aliquandò rejici nemo nescit, præsertim cùm opinionibus jam receptis, præjudiciis, consuetudinibus, cupiditatibus adversantur. Hinc Judæi qui ex falsâ opinione Messiam ut regem terrenum exspectabant, Christum pauperem aspernati, ipsius miracula diabolo tribuerunt. Hinc etiam Pontifices propriæ utilitati servientes, suoque in Christum odio, suâque invidiâ excæcati, ipsi nullam fidem adhibendam esse docuerunt. Et reverà quamvis indubitata essent Moysis miracula et sub Israelitarum oculis peracta; quamvis Deum inter tonitrua et fulgura loquentem audiissent, paucis tamen interjectis diebus, dùm Moyses legis tabulas acciperet, in Deum rebellârunt, vitulumque aureum adorare non veriti sunt; pariter ergo potuerunt Judæi Christi et Apostolorum miraculis, licèt verissimis, refragari.

Resp. 2.° Judæi perplures, relictâ Synagogâ, *Christianam Religionem* amplexi sunt: atqui *Judæi qui*, superatis præjudiciis, Christo nomen dederunt, plus valent ad confirmandam factorum evangelicorum veritatem, quàm ad eam infirmandam major reluctantium numerus; nunquid enim rejectâ Lege Mosaicâ in quâ nati erant, ad Christianam Religionem transiissent, nisi eorum contumaciam fregissent splendida, quibus collucebat nostra Religio, miracula?

Resp. 3.° Tandem illam Judæorum cæcitatem non semel prænuntiaverant Prophetæ. Isai. c. 8, et Daniel. c. 9. Ergo quantò magis videtur incredibilis Judæorum obstinatio, eò divinior est ejus prædictio, et ipsa proindè Religio quæ hanc prædictionem in suî gratiam vindicat.

Inst. Si adeò constaret de gestis et miraculis Christi et Apostolorum, ea saltem memorâssent scriptores Judæi, præsertìm Philo qui eâ ætate Alexandriæ florebat, et Josephus historicus qui res judaicas accuratè descripsit, in libro de Antiquitatibus judaicis et de Bello judaico : atqui tamen de factis hujusmodi omninò silent scriptores illi ; ergo, etc.

Resp. 1.° *generatìm.* Illud argumentum est negativum, quod prævalere non potest positivis probationibus, quibus veritas factorum evangelicorum demonstrata fuit. Et verò vel facta de quibus agitur illis auctoribus comperta erant, eo quo scripserunt tempore, vel non ; si posterius, perperàm objicitur quod de iis factis siluerint ; si prius, silentium illis persuadere potuit sola veritatis conscientia, et reverentia sive erga Judæos, sive erga Gentiles, quos offendere noluerunt, miracula Christi ejusque Discipulorum referendo.

Resp. 2.° *speciatìm.* Quod Philonem spectat, ferè omnia illius auctoris opera edita sunt antequàm miracula Christi et Apostolorum divulgata fuissent. Aliundè gesta sui temporis non scripsit ; Philosophus fuit non Historicus ; non mirum proindè quòd de Christi miraculis non scripserit. Et verò nec de Ecclesiarum Christianarum institutione, multitudine, diffusione loquitur Philo ; nec propterea tamen de hisce

factis adeò publicis et notissimis dubitari potest; ergo et à pari, etc.

Quod ad Josephum attinet, negari meritò potest de Christo ejusque miraculis siluisse. Sic enim habet, lib. 18 Antiquit. cap. 4 : *Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere : erat enim mirabilior operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur, et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus, cùmque eum à primoribus gentis suæ accusatum, Pilatus ad crucem damnâsset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primùm cœperant ; nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cùm divini vates, et alia quàm plurima admiranda de eo prædixissent : neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.*

Hoc autem Josephi testimonium authenticum esse contra plures criticos probant, 1.° constans et perpetuus Codicum omnium Josephi, sive exaratorum calamo, sive typis impressorum, in retinendo Josephi testimonio consensus ; 2.° auctoritas auctorum Ecclesiasticorum qui ab initio IV seculi scripserunt, Eusebii scilicet qui præfatum Josephi testimonium, lib. 3 Demonst. Evangel. et lib. 1 Historiæ Ecclesiasticæ, tanquam legitimum et genuinum repræsentavit; Hieronymi, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; Ruffini Aquileiensis, lib. 1 Historiæ Ecclesiasticæ ; Isidori Pelusiotæ, lib. 4 Epist. num. 225. Illius verò memoriam in historiis suis consecrârunt Sozomenus, lib. 1 Historiarum, cap. 1, Cedrenus, Nicephorus, Suidas et alii. Enim verò, præfati Scriptores Ecclesiastici textum de

quo nunc agitur ut certum et fidei indubitatæ proferunt; controversiam de illius authenticitate aliquandò motam nullibi memorant; à nemine veterum reprehensi sunt quòd illum adhibuerint; nullum contradicentem experti sunt ante seculum XVI; ergo ipso eorum tempore, id est à IV Ecclesiæ seculo, legebatur in omnibus exemplaribus; ergo nunquàm adulterinâ manu insertus est; siquidem fieri non potuit omnes historiæ Josephi manuscriptos codices in gratiam Christianorum à IV seculo corruptos fuisse, cùm, usque tunc et longè post, hæc magna pars exemplarium prædicti operis penès Judæos et Paganos fuerit. 3.° Idem præterea suadet ratio: etenim, verisimile non est Josephum suæ gentis historiam texendo, de Jesu vitâ prorsùs tacuisse qui maximos in Judæâ et in orbe toto motus excitârat, sectam novamque Religionem instituerat, præsertìm si attendatur quòd historicus ille, eodem libro Antiquit. cap. 7, de Joanne Baptistâ non sine maximâ laude loquatur; et lib. 20, cap. 9, injustam Jacobi Apostoli necem enarrans, ut eum faciat lectori notiorem, dicat fuisse *fratrem illius Jesu qui dicebatur Christus:* porrò fatendum est Josephum de Jesu omninò tacuisse, si textus suprà allatus genuinus non sit; cùm nullo altero suæ historiæ loco de Jesu sermonem fecerit; ergo, etc.

SCHOLIUM PRIMUM.

Nec soli scriptores Judæi, sed etiam è Paganis perplures veritati factorum evangelicorum suffragantur. Etenim 1.° sub Augusto Imperatore totius imperii censum præscriptum fuisse (cu-

jus Lucas meminit c. 2) colligitur ex Tacito, Annal. lib. 1, et Suetonio in Octav. cap. ult. 2.° De sidere quod Christi nativitatem prænuntiavit, et de Magorum adoratione sic habet Chalcidius, Philosophus platonicus III seculi, comment. in Timæum : *Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam, non morbos mortesque denuntiatas; sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conservationis, rerumque mortalium gratiam; quam stellam cùm nocturno itinere inspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri, et consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertáque illâ Majestate puerili, veneratos esse, et vota Deo tanto convenientia nuncupasse.* 3.° Puerorum Innocentium cædem veluti factum omnibus notum refert Macrobius, II sec., Saturnal. lib. 2, cap. 4, his verbis : *Cùm audisset* (Augustus) *inter pueros quos in Syriâ* (Syriæ nomine Palæstinam designare solebant Romani) *Herodes rex Judæorum infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : melius est Herodis porcùm esse quàm filium.* 4.° Miracula à Christo patrata agnoverunt, ut jam diximus, Celsus, Julianus, atque etiam Porphyrius ipse, utì ex Arnobio discimus, lib. 1 contra Gentes, Lactantio, Instit. lib. 4, cap. 13. Et reipsâ tanta erat apud Paganos Christi prodigiorum fama, ut eum in Deorum numerum Tiberius retulisset, nisi senatus renuisset; et imperatores Adrianus et Alexander Severus templum ei dicare et veluti numen venerari voluerint, quemadmodùm testatur Lampridius in vitâ Alexandri Severi : *Templum,*

inquit, *Christo facere voluit, eumque inter deos recipere, quod et Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ hodiè idcircò, quia non habent numina, dicuntur Adriani. Sed prohibitus est ab eis qui consulentes sacra, repererunt omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset, et templa reliqua deserenda.* 5.° Phlegon, Adriani Imperatoris libertus, Chronic. Eusebii lib. 1, stupendam solis defectionem, et terræ motum qui moriente Christo contigerant sic memorat: *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis* (qui ipse est annus 33 æræ vulgaris), *magna et excellens inter omnes quæ ante eam acciderant defectio solis facta. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bythiniâ Nicææ urbis multas ædes subvertit;* ad quem mundi casum Senatum Romanum appellat Tertullianus, Apologet. cap. 21; atque in illius archivis relatum esse fidenter affirmat. Multa alia, brevitatis causâ, omittimus Paganorum testimonia quæ legi possunt præsertim apud D. *Bullet*, cit. oper.: *Histoire de l'Etablissement du Christianisme, tirée des seuls auteurs Juifs et Païens.*

SCHOLIUM II.

Multa alia objecta sibi proponunt et solvunt Scripturæ interpretes, è quorum operibus subripuerunt increduli, quas exaggerant adversùs veracitatem sacrorum Codicum difficultates: eas solvere præsentis non est instituti: legi possunt Scripturæ interpretes, et præsertim D. *Bullet*, *Réponses critiques*, etc. Id unum

generatim observabimus, nempè, contradictiones inter varias eorumdem factorum circumstantias, quas in libris novi Testamenti deprehendere arbitrantur Increduli apparentes esse duntaxat; et nedùm ex iis falsitatis argui possit Scriptorum evangelicorum testimonium, non parùm è contrà illorum veracitas confirmatur. 1.° Ex iis falsitatis argui nequit Scriptorum evangelicorum testimonium, tum quia sibimet planè consentiunt quoad factorum substantiam; tum quia nulla esset historia à pluribus conscripta, quæ in suspicionem falsi vocari non posset; multæ enim etiam apud profanos historicos occurrunt apparentes pugnæ circa circumstantias factorum quæ narrant; tum quia supponi non potest Scriptores evangelicos qui in suâ vitâ et operibus tantam exhibent sapientiam, adeò stultos fuisse, ut, si mendacia ex communi consilio confixerint, non curaverint de servandâ in suis texendis fabulis concordiâ. Et verò, cùm ipsis minimè necesse foret dicere de omnibus circumstantiis factorum quæ referunt, eas certè omisissent de quibus timendum erat ne à se invicem dissentirent. 2.° Ex illâ discrepantiâ non parùm confirmatur Scriptorum evangelicorum veracitas. Ut enim benè advertit D. *Duvoisin : Le mensonge est circonspect. S'il doit passer par des plumes différentes, il s'attache à une scrupuleuse et servile uniformité. Il n'y a point de dépositions plus unanimes que celles des faux témoins, lorsqu'ils ont pu s'aboucher. Mais l'écrivain que dirige et qu'inspire la vérité, rapporte ce qu'il sait, sans avoir besoin de s'informer de ce que l'on a dit avant lui; il ne craint, ni démenti, ni contradiction.*

Si

Si dans son récit, comparé avec les autres, il se rencontre des variantes difficiles à concilier, il se met au-dessus de ces minutieuses critiques, et se repose sur la vérité elle-même, du soin de résoudre des difficultés qu'il n'a pas daigné prévoir. Démonstration Evangélique V, pag. 108 *et* 109.

CAPUT II.

De Divinitate Religionis Christianæ.

DIVINITATEM Religionis Christianæ demonstraturi sumus 1.° ex Miraculis Christi et Apostolorum; 2.° ex Prophetiis; 3.° ex aliis tum internis, tum externis Divinitatis characteribus in eâ Religione conspicuis; undè tres erunt sectiones.

SECTIO PRIMA.

De Divinitate Religionis Christianæ ex Miraculis Christi et Apostolorum.

Agemus 1.° generatìm de miraculis Christi et Apostolorum; 2.° speciatìm de insigni miraculo Resurrectionis Christi.

ARTICULUS PRIMUS.

De Miraculis Christi et Apostolorum generatìm.

CONCLUSIO.

Miracula Christi et Apostolorum divinam Religionis Christianæ originem demonstrant.

Prob. 1.° Illa miracula divinam Christianæ

Religionis originem demonstrant quæ certa sunt, vera, divina, et in ipsius confirmationem edita; constat hujus propositionis veritas ex dictis in 1.ª parte tractatûs : atqui talia sunt miracula à Christo et Apostolis patrata.

1.° Quidem *certa sunt*, ut mox vidimus in art. præcedenti.

2.° *Sunt vera.* Quippè evidens est ea quæ proferuntur Christi et Apostolorum miracula ordini consueto naturæ corporeæ derogare, præsertìm si attendatur ad eorum numerum, naturam, et modum quo patrata sunt. 1. *Ad eorum numerum;* Christus enim *circuibat totam Galilæam, sanans* OMNEM *languorem et* OMNEM *infirmitatem*, Matth. c. 4, ℣. 23. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*, Luc. c. 7, ℣. 22. Multa pariter ab Apostolis edita fuêre miracula, quæ sic conglobatìm memorat Lucas, Act. c. 5, ℣. 12 : *Per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe.* 2. *Ad naturam et modum*, quo patrata sunt, ut ex dictis satis colligi potest. Christus enim ita sua perficit miracula, ut causam physicam aut ullum humanæ industriæ medium in his operandis vel suspicari non liceat. Si quidem nullâ adhibitâ præparatione, absque ullo machinarum apparatu, derepentè, solo verbo, tactu, nutu, omne genus morborum curat, panes quibus plura hominum millia illicò saturantur multiplicat, aquam in vinum convertit, plures mortuos, maximè Lazarum etsi quadriduanum ad vitam revocat, etc., etc. Tanta inerat Apostolis miraculorum edendorum virtus, ut Petrus non solùm ab utero claudum et paralyticum ab octo

annis confestim verbo sanaverit, Act. c. 3, ℣. 1, et c. 9, ℣. 34; sed et ægroti solâ illius umbrâ curarentur, ibid. c. 5, ℣. 15; imò et mortui voce aut tactu Apostolorum suscitarentur, Act. c. 9, ℣. 40, et c. 20, ℣. 10. Quis autem dixerit hæc et alia portentosa opera vires corporeæ naturæ non superare?

3.° *Sunt divina.* Namque iis omnibus characteribus vestiuntur quæ opus verè divinum manifestè exhibent. Scilicet 1. iis non inficiuntur notis quibus dignoscuntur prodigia quæ à dæmone prodeunt; nihil quippè in Christi et Apostolorum miraculis deprehendes inutile, ridiculum, nihil divinâ majestate indignum, quin è contrà Dei beneficentiam et misericordiam summoperè commendant, ut ex simplici sacrorum Codicum lectione patebit: per alia miracula numero majora vel splendidiora non impugnantur, nec in confirmationem doctrinæ evidenter absurdæ patrata fuêre; multa quidem credenda proponit Christiana Religio rationis captum excedentia, nihil verò quod ipsi rationi repugnet, ut in 1.ª parte probavimus. 2. Miracula de quibus agitur, characteribus quibus divinum se prodit miraculum insigniuntur; cùm enim sint innumera, pro circumstantiis varia, opportunè, non sensim et progressu temporis, sed statim, solo nutu, verbo patrata, et quidem ad procurandam hominis felicitatem, ad extirpanda vitia, ad Dei gloriam maximè promovendam, et dæmonis imperium, idololatriam nempè destruendam, quis Dei Optimi et Omnipotentis actionem in his non agnoscet? Prætereà, nedùm ulla occurrat adversùs illa miracula à Deo facta præmonitio, è contrà

prædicta fuêre à Prophetis quos certò scimus à Deo afflatos fuisse, ut infrà probabitur. Ergo si miracula Christi et Apostolorum collectivè saltem spectare velis, in illis cumulantur omnes characteres quæ divinum opus certo certius manifestant.

4.° Tandem hæc miracula edita sunt in *confirmationem divinitatis Religionis*, seu doctrinæ et missionis Christi. Id quidem negat procaciter Sophista Genevensis, sed Christus pluries illud expressè declarat. Sic, Matth. c. 9, ℣. 6, Paralyticum sanat ut sciant Scribæ *quia filius hominis habet potestatem*, quam ipsi denegabant, *in terrâ*, scilicet, *dimittendi peccata*. Matth. c. 11, ℣. 4 et 5, discipulis Joannis à Christo sciscitantibus an esset Messias, pro solâ responsione sua affert miracula : *Euntes*, inquit, *renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt*. Joan. c. 10, ℣. 25, cùm cæco à nativitate visum restituisset, Judæis ipsum circumdantibus et dicentibus : *Si tu es Christus, dic nobis palàm ; respondit Jesus : opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*. Deniquè, Joan. c. 11, ℣. 42, Lazarum suscitaturus apertè dicit se vitam ei redditurum, *UT CREDANT, quia tu, Pater, ME MISISTI* ; ergo, etc. ; aliundè, etc. ; ergo, etc.

Prob. 2.° *Argumento ad hominem contra Judæos*. Judæi suam dicunt, et meritò, divinitùs institutam fuisse Religionem, ob miracula in confirmationem illius à Moyse patrata ; ergo nostram, ob miracula Christi, divinam fateantur, necesse est. Consequentia est evidens,

modò prodigia Christi et numero et splendore vincant Moysis prodigia : atqui res ita se habet.

Et 1.° Multò plura Christus fecit miracula quàm Moyses ; etenim nonnisi septuaginta sex miracula Moysi adscribunt Judæi ; huncque numerum ut expleant miserè se torquent, quosdam effectus naturales miraculorum numero computant ; quædam absque fundamento multiplicant, quædam ineptè confingunt, v., g., quòd mortuus sit Moyses in ore Domini : at verò Christus non modò septuaginta sex, sed innumera edidit miracula, ut constat ex historiâ novi Testamenti.

2.° Miracula Christi splendore superant miracula Moysis, etiamsi spectentur ratione suî, et quoad operis substantiam ; plures mortuos imò et seipsum à mortuis suscitavit Christus, non ita Moyses : si considerentur ratione modi quo facta sunt, Christus sive præsens, sive absens, solo nutu aut tactu, aut etiam vocis imperio, leges naturæ invertebat ; non ita Moyses qui, nisi præeunte Dei mandato et precibus ad illum fusis, nullum operabatur miraculum : si ratione communicationis spectentur, Christus non solùm miracula operatus est, sed etiam discipulis suis virtutem eadem patrandi communicavit ; nihil autem simile Moysi tribuitur : si ratione prædictionis, miracula Christi prænuntiata sunt à Prophetis, non autem miracula Moysis : postremò si ratione effectuum, Moyses solam gentem Israeliticam in vero Dei cultu confirmavit ; Christus verò idololatriam ubique subvertit, et omnes gentes ad verum Dei cultum perduxit ; ergo, etc.

Quæ objici possent vel in probationibus præoc-

cupata sunt, vel soluta reperies in 1.ª parte, ubi de miraculis in genere.

ARTICULUS II.

De insigni Miraculo Resurrectionis Christi.

Si Christus surrexit à mortuis, vera est et divina Religio ab ipso instituta; miraculum enim adeò stupendum Christus dùm viveret sæpè prænuntiaverat, veluti præcipuum divinæ suæ legationis argumentum. Et certè, fieri nequit ut Deus quem summè bonum, veracem, sapientem et providum agnoscunt Deistæ, impostoris fraudem eo confirmaverit testimonio quo majus dari nequit. Porrò Christum à mortuis verè surrexisse sæpiùs testantur tum libri novi Testamenti quorum veracitatem suprà vindicavimus, tum miracula in hujusce facti confirmationem ab Apostolis patrata. Hìc igitur gradum sistere liceret, nisi speciales in gratiam tanti miraculi militarent probationes quas nunc exponere juvat. Sit itaque

CONCLUSIO.

Resurrectio Christi factum est certissimum.

Prob. Illud factum certissimum est quod referunt testes irrecusabiles; cui innumeri homines, re attentiùs perspectâ, firmam ab initio fidem adhibuerunt; quod adversarii etiam coævi tacitè saltem confessi sunt; quod deniquè sine manifestâ absurditate negari nequit: atqui hujusmodi est factum resurrectionis Christi.

I. Illud factum referunt testes irrecusabiles, qui nempè nec decepti nec deceptores fuerunt.

1.° Testes resurrectionis non fuerunt decepti. Id constat, si attendatur sive illorum numerus, sive eorum adversùs resurrectionem Christi præjudicia, sive variæ apparitionum Christi circumstantiæ. 1. *Numerus testium. Visus* est enim non solùm uni et alteri, sed undecim Apostolis, imò *et plusquàm quingentis fratribus simul, ex quibus*, inquiebat Paulus, *multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt*, I Cor. c. 15, ℣. 6. Jam verò quî fieri potuit tot homines adeò delirare ut unanimiter crediderint se videre quod non videbant. 2. *Præjudicia.* Nemo quippè gravi imbutus præjudicio contra factum aliquod, se decipi sinit, nec illud temerè credit: atqui vix illo majus concipi potest præjudicium quo detinebantur Apostoli adversùs Christi resurrectionem; mulieres enim è tumulo redeuntes, Christum resurrexisse Apostolis nuntiant, *et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis*, Luc. c. 24, ℣. 11. Discipuli Emmaüs idem posteà renuntiant, *nec credideruntillis*, Marc. c. 16, ℣. 13. Christus in medio Apostolorum stetit, nec propriis credunt oculis: *Existimabant se spiritum videre, et dixit illis: palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere... adhuc autem illis non credentibus..... dixit: habetis hìc aliquid quod manducetur? et cùm manducasset coram esi, sumens reliquias dedit eis*, Luc. c. 24, ℣. 37 et seqq. Aberat Thomas, cùm Apostolis Christus apparuit, et cæterorum testimonio fidem adhibere recusat: *Nisi*, inquit, *videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam*

manum meam in latus ejus, non credam. E reverà non priùs incredulitatem deposuit, quàm suis votis Christus annuisset. 3. *Apparitionis Christi circumstantiæ.* Christus enim redivivum se præbuit non Apostolis et Discipulis seorsìm, sed *quingentis fratribus* SIMUL. Non semel aut iterùm, sed *per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei*, Act. c. 9, ℣. 3. Idque non tantùm in cubiculo clauso, sed apertà luce, in horto, in viâ Emmaüs, secus lacum Genesareth, supra montem Galileæ : et quasi visus et auditus rem non satis testarentur, sanctam ejus carnem contrectare jussi sunt ut sciant ipsum esse Jesum *carnem et ossa habentem.* Quid autem facilius quàm certò explorare utrùm quem videbant, audiebant, alloquebantur, is ipse esset quocum tres annos vixerant, cujus vultum, habitum, vocis sonum, sermones noverant ; repugnat sanè in re sensibili deceptio tam constans, tam diuturna, tam universalis ; ergo 1.° testes resurrectionis non fuerunt decepti.

2.° Nec fuerunt deceptores. Omnem enim fraudis suspicionem ab Apostolis removent eorum conditio, defectus cujusvis motivi ad hanc fraudem compingendam, impossibilitas confictam resurrectionis fabulam feliciter divulgandi. 1. *Apostolorum conditio;* cùm enim, ut suprà diximus, præ se ferant omnes sinceritatis ac pietatis characteres, repugnat eos voluisse in tanto de Religione negotio populos decipere; et cùm essent timidi, ignari, illiterati, quis sibi in animum inducat ipsos consilium suscepisse orbi universo persuadendi factum adeò stupendum, cujus falsitas eis aperta

fuisset? 2. *Defectus cujusvis motivi.* Ex axiomate, *Nemo gratis*, à fortiori contra proprium et maximum commodum, *improbus est et mendax*: atqui tamen non unus modò vel alter, sed Apostoli omnes improbi fuerunt et mendaces, in hypothesi quòd circa factum resurrectionis decipere voluerint: *gratis* quidem; nihil enim ex suo mendacio utilitatis vel commodi sperare poterant, sive in præsenti vitâ, ut docuit eventus, sive in alterâ, cùm Deus verax sit et mendacium vindex. Imò mendaces fuissent contra proprium et maximum commodum; quid enim ex mendacio sperandum habuerunt? Quid reverà perceperunt? Ignominiam, opprobria, cruces, tormenta, mortem. Inauditum sanè fraudis incentivum! Vide suprà, pag. 577. ubi hoc argumentum magis evolvimus. 3. *Impossibilitas fabulam confingendi et cum successu divulgandi;* ad compingendam enim et cum successu divulgandam resurrectionis Christi fabulam, necessaria fuit unanimis conspiratio et secretum inviolabile: atqui impossibile fuit ut de fraude tam infandâ silentium servaretur, tum propter conjuratorum conditionem; ex plebe enim erant, et inter eos non paucæ existebant mulieres, infirmum genus, garrulum parùmque secreti tenax; tum propter numerum; nam quingenti saltem homines erant; quî autem fieri potuisset ut ex tot doli consciis, nullus vel animi levitate, vel studiorum diversitate, vel conscientiæ morsu, vel suppliciorum acerbitate, secretum sibi commissum proderet vel vulgaret?

II. Facto resurrectionis innumeri homines, re attentiùs perspectâ, firmam fidem ab initio

adhibuerunt. Enim verò vix *elapsi erant* 50 dies ex quo corpus Christi tumulo conditus fuerat, cùm Apostoli inter ipsa Pentecostes solemnia coram innumeris Judæis *ex omni regione*, Christi resurrectionem, universo populo audiente, proclamant tanquam præcipuum divinæ Christi missionis argumentum. Sic Petrus Judæos alloquens, ait: *Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus*, Act. c. 3, ℣. 15. Sic deinceps Paulus, I Cor. c. 15: *Si Christus non resurrexit, inanis ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur et falsi testes Dei.* Porrò factum illud ita certum habent innumeri quibus annuntiatur, tum ex Judæis, tum ex Paganis homines ut statim, omnibus præjudiciis depositis et superatis cupiditatibus, ad fidem Christianam convolent, ad illius normam vitam moresque componant: porrò manifestum est illos omnes Christi redivivi sectatores, non sic Religionem novam et omnibus pravis naturæ propensionibus adversam amplexos fuisse, nisi priùs factum resurrectionis, quo potissimùm hanc fundari sciebant, maturiùs perpenderint ac verissimum agnoverint.

III. Factum resurrectionis adversarii etiam coævi tacitè saltem confessi sunt. Namque factum illud saltem tacitè illi confessi sunt qui 1.° debuissent et facilè potuissent factum, si falsum esset, negare nec tamen negârunt; qui 2.° suâ agendi ratione narrationem evangelicam de Christi resurrectione confirmârunt: atqui Judæi, etc., 1.° quidem *debuissent et potuissent*, etc. Debuissent quidem; ex illo

enim facto, si verum esset, sequebatur Judaismi ruina et eorum qui Christum damnaverant infamia; potuissent verò, cùm ad hoc satis fuisset vel in medium proferre Christi corpus custodiæ militibus commissum; nedùm autem id effecerint confessi sunt in tumulo repertum non fuisse corpus Christi: jam verò hâc solâ confessione adstruitur factum resurrectionis; vel enim Christus è tumulo redivivus surrexit, vel à suis corpus sublatum est; repugnat posterius ex dicendis; ergo admittendum prius. 2.° *Sud agendi ratione*, etc. Etenim, post 50 dies Apostoli mediâ in Jerosolymâ prædicant Christi resurrectionem, ex quo solo evanescebat rumor de sublato ab ipsis discipulis corpore Christi. Ad hæc quid Sacerdotes et Magistratus Judæi? inter se dolent reverà de Apostolorum prædicatione, illos in carcerem detrudunt, ipsisque prohibent ne ampliùs doceant in nomine Jesu: huic mandato inobedientes iterùmque apprehensos rursùs incarcerant, virgis cædunt et iterùm dimittunt; verùm nullâ ratione falsi eos convincere tentant et ne semel quidem fraudis illos insimulant, remque silentio premunt, quamvis exindè maxima in illos redundaret plebis invidia: porrò hæc agendi ratio evidenter supponit Judæos veritatis resurrectionis conscios fuisse, et meritò dici potest tacita saltem hujus stupendi miraculi confessio; ergo, etc.

IV. Factum resurrectionis Christi sine maximâ absurditate negari nequit; etenim si Christus non resurrexit, dicendum est discipulos Christi corpus è sepulcro sustulisse: atqui hæc hypothesis ex omni parte absurda

est. Nam triplici tantùm modo Christi corpus è tumulo tollere potuissent, scilicet aut per vim, profligando et fugando milites ad sepulcrum excubias agentes; vel per seductionem, custodes nimirùm pecuniâ sollicitando; vel per callidam fraudem, eorum scilicet vigilantiam fallendo : atqui nihil horum dici potest.

1.° Quidem *vim* non adhibuerunt discipuli; res ita est modò tale consilium discipulorum animos subire, nec susceptum ad exitum feliciter perduci potuerit : atqui hæc duo vera sunt: 1.um quidem, ut constat tum ex periculo exsecutionis, tum ex Apotolorum ignaviâ; *quis enim credat Apostolos quorum princeps* ancillæ cujusdam voce perculsus Christum juramento negaverat; quis credat, inquam, Apostolos, qui omnes, ne uno quidem excepto, nimio correpti pavore, apprehenso domino suo, fugerunt, cum custodibus armatis ausos fuisse congredi, ut quem vivum defendere noluerant, mortuum tollerent? 2.um quoque manifestum est; etenim si Apostoli et alii Christi discipuli corpus ejus per vim auferre tentavissent, ergo prælium inter ipsos et milites commissum fuisset; ergo circumstantiæ omnes quæ prælium hujusmodi subsecutæ fuissent, clamores nimirùm validè pugnantium, sanguis effusus, cadavera jacentia fraudem discipulorum omnibus sensibilem et obviam fecissent. Sed in hâc hypothesi quomodò Judæorum vindictam effugissent? quomodò post quinquaginta dies palàm ausi fuissent Christi resurrectionem omnibus Jerosolymitanis proponere, tanquam efficax ejus missionis argumentum? Quomodò

tot Judæi sermonibus ipsorum fidem adhibuissent? Ergo 1.° vim non adhibuerunt.

2.° *Nec seductionem;* sive quia inopes erant et omni gratiâ apud alios destituti; sive quia impossibile est omnes custodes suo officio defuisse, cùm omnia ex Judæis, à quibus tumulo appositi fuerant, pertimescere deberent. Et certè, quis credat Judæorum principes, qui sepulcrum custodibus sigilloque publicæ auctoritatis munierant, de seductione ab Apostolis adhibitâ minimè inquisiisse? Nonne debuerunt tum discipulis ut potè ordinis publici violatoribus litem intentare, tum Romanos milites infidelitatis accusare: neutrum autem præstiterunt; ergo, etc.

3.° Nec *callidam fraudem* adhibuerunt Apostoli; namque vel fraudulenter subripuissent corpus Christi custodibus dormientibus, vel iisdem vigilantibus: atqui neutrum dici potest. Non 1.^{um}; vix enim supponi potest omnes simul custodes gravi somno immersos fuisse, repugnatque à strepitu nullum militem fuisse è somno excitatum; frangendum quippe erat sigillum et ingens revolvendus lapis. Et verò quis sibi persuadeat in re tam anxiâ et præcipiti discipulos tempus otiosè consumpsisse in exsolvendo sudario et evolvendis linteaminibus, propter aromata corpori Christi conglutinatis et multâ arte complicatis? Quis tandem, ut observat S. Augustinus, crediderit obdormientium testimonio? Nec minus repugnat 2.^{um}; vigilantibus enim custodibus, Christi corpus tolli non poterat, nisi supponendo discipulos monumentum, effossâ humo, ingressos fuisse: sed illud nimis absurdum est, tum quia mo-

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

numentum in petrâ fuerat excisum, in quod per cuniculum penetrare res fuisset immensi laboris et magni strepitûs ; tum quia in hâc hypothesi lapis quo claudebatur sepulcrum, non fuisset fracto sigillo amotus; deindè aperta remansissent telluris excavatæ indicia ; ergo, etc. : aliundè, etc. ; ergo, etc.

De resurrectione Christi egregiè inter alios scripserunt *Ditton : La vérité de la Religion chrétienne démontrée par la Résurrection de J. C.* Gilbertus *Weest : Observations sur l'histoire et sur les preuves de la Résurrection de J. C.* Thomas *Sherlok : Les témoins de la Résurrection de J. C. examinés et jugés selon les règles du barreau.*

Solvuntur Objecta.

Obj. 1.° Illa testimonia nullam merentur fidem quæ inter se pugnant : atqui testimonia Apostolorum de resurrectione, etc. ; Evangelistæ nimirùm dissentiunt de omnibus ferè circumstantiis, de apparitionibus Angelorum, de tempore quo mulieres et Petrus ipse ad sepulcrum venêre, de illorum relationibus, etc.; sic ex Marco mulieres venerunt ad sepulcrum *valdè mane una sabbatorum, orto jam sole*, c. 16, ℣. 2 ; ex Joanne, *cùm adhuc tenebræ essent*, c. 20, ℣. 1 ; ex Matthæo, *vespere sabbati*, c. 21, ℣. 1 ; ex quo patet diversa tempora significari ; ergo, etc.

Resp. 1.° *Dist. maj.* Illa testimonia, etc., quæ inter se pugnant de facti substantiâ, *conc.*; de circumstantiis merè accidentalibus, *nego.* Enimverò, licèt historici inter se pugnent de quibusdam circumstantiis accidentalibus, modò

circa facti substantiam sibi consentiant, non ideò destruitur vis probationum ex quibus factum illud reponitur in summo certitudinis historicæ gradu ; imò narratio eorum verior ostenditur ex hâc dissensione ; quippè quæ certum est argumentum nullam inter eos adfuisse collusionem ad decipiendum, sed ipsos, ex solâ rei veritate, circa facti substantiam consensisse. Res illustrabitur exemplo : supponamus à quatuor scriptoribus Cæsari coætaneis nobis traditam fuisse historiam Pharsalicæ pugnæ cum omnibus adjunctis, nempè numerum et nomina legionum ex utrâque parte, illarum dispositionem à Pompeio et Cæsare factam, varios motus, diversasque prælii circumstantias ; etiamsi in quibusdam ex his circumstantiis non sibi consentirent quatuor illi historici, posset-ne dubitari de veritate facti substantialis, cladis nempè exercitûs Pompeii et victoriæ Cæsaris ? minimè, ut patet. Ergo à pari etiamsi, quod certè non concedimus, quatuor Evangelistæ inter se pugnarent de circumstantiis objectis, non minùs certum foret factum substantiale resurrectionis Christi, de quo consentiunt illi Scriptores qui, ex probatis, nec decipi nec decipere potuerunt.

Resp. 2.° *Nego min.* Facilè enim conciliari possunt diversæ et in speciem oppositæ Evangelistarum narrationes circa nonnullas resurrectionis Christi circumstantias, et eventus qui illam subsecuti sunt. Etenim omnis contrarietas evanescit, si supponatur 1.° mulieres de quibus loquuntur Evangelistæ, nec omnes simul, nec eodem tempore, nec semel ad Christi sepulcrum profectas fuisse ; aut etiam

Evangelistas mentionem non facere de omnibus mulieribus quæ sepulcrum adierunt, sed de ferventioribus tantùm et iis quæ duces erant aliarum : undè Joannes solam Magdalenam, Matthæus duas, Marcus tres, Lucas plures commemorat; 2.° pluries Angelos apparuisse, et eosdem nunc visibiles, nunc invisibiles se præbuisse ; 3.° facta hæc à diversis mulieribus Apostolis renuntiata fuisse; 4.° duplicem fuisse apparitionem Christi factam mulieribus; 5.° deniquè Petrum bis ad sepulcrum accessisse. Illæ omnes suppositiones, ut dilucidè ostendit *Gilbertus Weest*, oper. suprà cit., 1.ª part., in ipsis Evangelistarum narrationibus fundamentum habent; et nedùm verisimilitudine careant, apprimè conveniunt cum illâ mentis perturbatione in quâ post mortem Christi versabantur Apostoli et mulieres quæ ei adhæserant. Tandem, iis admissis, exsurgit è quadruplici Evangelistarum narratione historia resurrectionis Christi accuratissima, et ab omni contradictionis suspicione aliena.

Resp. 3.° Ad textus objectos. Facilè conciliari possunt Evangelistæ. Juxta S. Marc. mulieres *veniunt*, id est pervenerunt ad sepulcrum *orto jam sole*, et juxta S. Joan. *veniunt*, id est egressæ sunt è domo suâ ut venirent ad sepulcrum, *cùm adhuc tenebræ essent;* ergo nulla inter utrumque Evangelistam contradictio, cùm loquantur de diverso temporis puncto, discessûs scilicet et adventûs. Vide *Veest.*, cap. 3, art. 3.

Istæ voces, *vespere sabbati quæ lucescit in primâ sabbati*, eædem sunt ac istæ, exeunte nocte quæ est inter sabbatum et diem dominicam; sed tempus ejusmodi pertinet ad *unam*

seu *primam* diem sabbati; ergo nulla inter Matthæum et Marcum contradictio. Cæterùm, vide auctorem mox cit., ibid.

Obj. 2.° In Evangeliis, Luc. 24, legitur Christum *apparuisse, evanuisse* ex oculis Apostolorum; Joan., c. 20, sub alienâ formâ, nempè hortulani, Magdalenæ visus est dixitque ei : *noli me tangere :* atqui hæc omnia merum phantasma denotant; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego min.* Omnem enim phantasmatis suspicionem à mente Apostolorum removere profectò debuerunt ea omnia quæ Christus post resurrectionem coram ipsis gessit; nam Christus Apostolis manus et pedes ut palparent permisit, cum illis mensæ assedit, manducavit, ipsisque reliquias porrexit : hæc autem si veritatem non demonstrent, quo pacto constare poterit ?

Resp. 2.° *ad singula. Ad* 1.^{um} voces illæ, *apparuit, evanuit,* textu primigenio, græco scilicet, idem sonant ac *visus est ab illis et non amplius visus est.* Undè Christus dici potuit ex oculis Discipulorum evanuisse, quin quasi phantasmatum more per aera dilapsus fuerit, sed quia ex visibili subitò factus est invisibilis. Quis enim dubitet corpus, licèt verum et solidum, oculis statìm subduci posse ?

Ad 2.^{um} Nihil impedit quominùs corpus solidum sub diversis *successivè* imaginibus et formis, ita Deo volente, appareat.

Ad 3.^{um} Ex his Christi verbis, *noli me tangere,* minimè sequitur Christum non habuisse corpus solidum; id enim quotidiè dicitur ab hominibus qui verum habent corpus. Et certè Christus ipse, post resurrectionem, Apostolis carnem

suam præbuit palpandam et videndam, ut jam probatum est.

Obj. 3.° Christus prædixerat se futurum in corde terræ *tribus diebus et tribus noctibus:* atqui tamen, si Evangelistis fides adhibeatur, ante tempus à se præfixum resurrexit; nam die veneris ad vesperam sepultus est, et die dominicâ summo mane jam sepulcrum dimiserat; quo intervallo impossibile admodùm est invenire tres dies et adhuc minùs tres noctes; ergo, etc.

Resp. Nego min. Non aliud prædixit Christus quàm quod evenisse referunt Evangelistæ. Nimirùm verba Christi non de tribus diebus et tribus noctibus integris, sed tantùm de eorum aliquâ parte intelligenda sunt. Judæi enim solebant, cùm aliquem dierum vel annorum numerum computabant, primum et ultimum includere, v. g., ad numerum octo dierum, quorum ultimo infans circumcidebatur, pertinebant dies tum nativitatis, tum circumcisionis, nullâ horæ ratione habitâ. Jamverò, juxta hunc computandi modum, dici potest Christum tribus diebus et tribus noctibus in sepulcro jacuisse. Scilicet, primus dies et prima nox computantur ab horâ quâ sepultus est Christus feriâ sextâ, usque ad mediam noctem; secundus dies et secunda nox, à mediâ nocte sabbati usque ad mediam noctem dominicæ; et tertia dies ac tertia nox, à mediâ nocte diei dominicæ ad auroram hujus diei quâ Christus resurrexit.

Obj. 4.° Christus ad synagogam et ad Judæos specialiter à Deo missus fuerat tanquam Messias et futurus salvator: atqui legatus tenetur litteras fiduciarias, *lettres de créance*, exhibere magistratibus Reipublicæ ad quam mittitur;

ergo Christus sese coram Judæorum senatu redivivum sistere debuisset; siquidem ejus resurrectio litterarum fiduciariarum locum tenere debebat apud Judæos, ex ipsomet Christo, Matth. c. 12, ℣. 39 : *Generatio mala, et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ,* Christi nempè resurrectio, cujus Jonas typum gessit.

Resp. 1.° Cùm factum ita firmis probatum est argumentis, ut nullus supersit dubitandi locus, postulari non debent alia argumenta. Cùm in tribunalibus producti sunt testes idonei ad facti certitudinem, nemo conqueritur alios non fuisse appellatos : atqui testes resurrectionis à nobis appellati, ita fide digni sunt, ut factum illud eorum testimoniis certissimè ac evidentissimè demonstretur; igitur nemo jure conqueri debet alios non fuisse appellatos.

Resp. 2.° Christus suam Judæis sufficienter manifestavit resurrectionem, scilicet ex parte militum, à quibus veritatem accipere potuerunt et reverà acceperunt; ex terræ motu; ex vacuo sepulcro, quod omnibus scrutari licuit, et undè corpus rapere non potuerunt Discipuli; ex Apostolorum testimonio fide dignissimo; ex miraculis quæ in nomine Christi patrabant Apostoli, quibusque illius resurrectionem confirmabant.

Resp. 3.° Christus quidem ante mortem specialiter missus fuerat *ad oves quæ perierunt domûs Israel;* ideòque nihil non tentabat ut Judæos salvaret, nempè omnis generis miracula coram ipsis patrando; cùm autem agnoscere noluerint, reprobati sunt. At post mortem missio ejus non specialim ad Judæos, sed ad

omnes gentes pertinuit, et idcircò omnibus sigilla suæ legationis exhibuit, mittens Apostolos *prædicare Evangelium omni creaturæ*, eosque dono miraculorum instruens ut fidem obtinerent Quapropter non magis coram senatu Judæorum quàm coram omnibus gentibus, quæ tunc exstabant, quæ posteà exstiterunt et quæ exstituræ sunt usque ad consummationem seculi, redivivum se sistere debuit.

Cæterùm, etsi Christus plura Judæis dedisset suæ resurrectionis argumenta, nihilominùs in suâ incredulitate perstitissent; Lazarum enim mortuum et jam fetentem propriis oculis viderant redivivum, nec tamen crediderunt. His omnibus accedit, quòd Judæi ob nefandum deicidium se tali beneficio prorsùs indignos præstitissent.

SECTIO II.

De Divinitate Christianæ Religionis ex Prophetiis.

Prophetiæ ex quibus probatur Divinitas Christianæ Religionis, aliæ in Christo impletæ fuerunt, aliæ ab ipso editæ sunt. De utrisque seorsìm dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Prophetiis in Christo impletis.

Certum est 1.°, Judæorum Religionem maximâ ex parte positam fuisse in exspectatione Messiæ, id est Liberatoris potentissimi qui in omnes orbis populos imperium obtineret : id patet tum ex antiquis Judæorum Paraphrasibus, tum ex constanti Judaicæ gentis traditione.

Certum est 2.°, hanc Judæorum fidem de Messiâ Salvatore ab ipsis mundi primordiis hominibus repromisso in sacris Scripturis inniti, ut indicavimus ubi de primævâ hominum Religione et mox clariùs patebit. *Adventus Messiæ*, inquit Rabbinus Abarbanel qui XV seculo floruit, *expositus est in Lege, Prophetis et Hagiographis*, de Opere fidei, cap. 4. His suffragantur generis humani antiquiores traditiones non solùm apud Judæos, sed etiam apud Ethnicos servatæ, ut expressè agnoscit vel ipse *Boulanger*. Vide *D. de la Mennais, Essai sur l'Indifférence*, tom. 3, pag. 408.

Certum est 3.°, eo præcipuè fine, juxta Prophetarum oracula, promissum Messiam à Deo mittendum fore, ut novum fœdus sanciret, novamque Religionem non jam pro solis Judæis, sed pro omnibus populis institueret antiquo fœdere longè perfectiorem. Illud satis evincitur ex dictis ubi de abrogatione Legis Mosaicæ, et ex dicendis magis constabit.

Id unum itaque in controversiam nunc adducitur, an scilicet Messias ille à Prophetis prænuntiatus sit Jesus Christus, Mariæ filius, Christianæ Religionis fundator. Ut autem quæstio hæc clarè solvatur hunc instituemus ordinem : expendemus, 1.° an Prophetarum oracula, quæ tempus venturi Messiæ definiunt, in Christo Jesu fuerint adimpleta; 2.° an omnes characteres quibus passim Messiam designant Prophetæ, Christo Jesu et quidem soli competant. Quibus semel probatis non solùm adversùs Judæos, sed etiam cujuscunque ævi incredulos concludere pronum erit, Religionem à Christo institutam veram esse et divinam.

§ I.

An Prophetarum Oracula quæ adventûs Messiæ tempora prænuntiant in Christo fuerint adimpleta.

Illustriora vaticinia quæ tempus adventûs Messiæ prædixerunt sunt Jacobi Patriarchæ, Danielis, Aggæi et Malachiæ. Ex his duo adstruemus nempè primum, jamdudùm Messiam advenisse, et secundum, Messiam non alium esse quàm Christum Jesum.

PUNCTUM PRIMUM.

De Vaticinio Jacobi.

Cùm morti proximus in lecto decumberet Patriarcha Jacob, et quæ singulis filiis suis postmodùm eventura forent explicaret, speciatìm Judæ benedicens, sic inter alia de eo locutus est, Genes. c. 49, ℣. 10: *Non auferetur sceptrum de Judâ, et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Quo de vaticinio sit

CONCLUSIO PRIMA.

Ex vaticinio Jacobi, Messias jamdudùm advenit.

Prob. Ex Jacobi prophetiâ non auferendum est sceptrum, id est, suprema auctoritas è Judâ, donec veniat Messias : atqui jamdudùm ablatum est sceptrum de Judâ; ergo ex vaticinio Jacobi, Messias jamdudùm advenit.

Minor est extra dubium. Ab eversâ namque Jerusalem, Judæi extorres et errabundi, ubique

sub durâ servitute, sine templo, sine sacrificio, sine Rege, sine Principe, premuntur. Suam hanc gentis suæ calamitatem agnoscunt Rabbini celeberrimi, his verbis prænuntiatam : *Dies multos sedebunt filii Israel, sine Rege, et sine Principe, et sine sacrificio, et sine altari,* Oseæ, c. 3, ℣. 4.

Prob. itaque *major* nempè, etc... Etenim ex Jacobi prophetiâ non auferendum est sceptrum è Judâ donec veniat *qui mittendus est,* et qui, *erit exspectatio gentium,* seu ut alii vertunt, cui *erit obedientia* vel *congregatio populorum :* atqui hisce characteribus Messias in Scripturis apertè designatur. Namque, 1.° in eo *benedicendæ sunt omnes gentes terræ,* Gen. c. 12, ℣. 3, et c. 18, ℣. 18 ; et ideò ipse appellatur *desideratus cunctis gentibus,* Aggæi, c. 2, ℣. 8 ; atque de illo prænuntiant sacri Vates quòd *omnes gentes servient ei,* Ps. 71, ℣. 11 ; *et fluent ad eum populi,* Mich., c. 4, ℣. 1.

2.° Per eum *qui mittendus est*, Messias etiam intelligi debet. Siquidem vocem hebraicam *Schiloh* quam Vulgata nostra vertit, *qui mittendus est* alii interpretantur, *pacificus,* alii *filius,* alii *cui repositum est regnum :* atqui quæcunque admittatur versio, nullus est ex his titulis, qui apprimè Messiæ non conveniat. Etenim, 1.° Messias mittendi et venturi nomine passìm in Scripturis designatur. *Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ,* inquit Isaias, c. 16, ℣. 1. Hinc discipuli Joannis à Christo sciscitantur : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ?* Matth. c. 11, ℣. 3. 2.° Messias in Scripturis titulo *pacifici* commendatur. *Orietur in diebus ejus.... abundantia pacis,* Ps. 71, ℣. 7. *Vocabitur no-*

men ejus... princeps pacis, Is. c. 9, ℣. 6. Quinimò, *et erit iste pax*, Mich. c. 5, ℣. 5. 3.° Notum est, ex Scripturis, ipsis fatentibus Judæis, *filium Judæ*, per antonomasiam dictum, Messiam esse, qui ex Judâ fuit oriundus et quo nullus inter posteros Judæ illustrior esse potuit. 4.° Tandem, meritò dicitur *is cui repositum est regnum;* quippè de eo prædicit Daniel, c. 7, ℣. 14: *Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.*

Confirmatur ex consensu veterum Judæorum, nempè LXX interpretum, Talmudis Babylonici, trium Paraphrastarum Chaldæorum (seu Targum Onkelos, Jonathanis et Jerosolymitanum), qui omnes vocem *Schiloh*, expressè *Messiam* interpretantur; ergo, etc.

Objiciunt Judæi. 1.° Oraculum Jacobi intelligi potest de Mose, Saüle, Davide, Salomone vel de Nabuchodonosore aut de Cyro Persarum rege; ergo de Messiâ intelligi non debet.

Resp. 1.° Scopus est Prophetæ ut aliquam personam determinatam designet; ergo, dùm ad diversas oraculum inflectunt, malæ fidei reos sese produnt Judæi.

Resp. 2.° *Nego ant.* Namque repugnant allatæ interpretationes auctoritati Paraphrastarum, Talmudis et eruditissimorum Judæorum. Prætereà, characteres quibus designatur *Schiloh*, in oraculo Jacobi, ac tempus quo venturus est, nulli eorum de quibus fit mentio in objectione accommodari possunt, ut paululùm attendenti patebit.

Obj. 2.° Vox hebræa *Schebet*, quam vertit latinus interpres pèr *sceptrum*, præcisè *virgam* significat, et passim in Scripturis usurpatur ad

significandam

significandam virgam tribulationis et castigationis. Undè sic intelligi debet prophetia : *Non recedet virga tribulationis, et castigationis à Judâ, donec veniat Messias :* atqui, etiamnùm, non recessit virga tribulationis à Judâ, cùm Judæi, ubique terrarum, miseram servitutem patiantur ; ergo Messias nondùm venit.

Resp. Nego maj. Namque, etsi vox *Schebet* de se sit æquivoca, eò tamen loci ad significandam auctoritatis seu dominationis virgam usurpatur. 1.° Quia vox *Schebet* ubi sine addito, ut in textu præsenti, legitur, imperium denotat cujus est symbolum. 2.° Quia verba antecedentia et consequentia hanc Judæorum interpretationem excludunt. Antecedentia quidem, quibus nonnisi fausta Judæ vaticinatur Jacob : *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui*, etc. Consequentia verò ; additur enim statìm : *Et Dux de femore ejus.* 3.° Quia historia Judæorum huic interpretationi repugnat ; falsum est enim tribum Judæ, quam respicit Jacobi oraculum, in tribulatione, præ cæteris positam fuisse, quin è contrà et ipsa floruit, post aliorum tribuum dispersionem.

Obj. 3.° Hæc verba, *donec veniat*, sic intelligenda sunt : *postquàm venerit.* Nam particula *donec*, juxta phrasim Scripturæ familiarem, non semper cessationem et finem rei de quâ agitur denotat, sed aliquandò illius continuationem. Ità Psal. 109, ℣. 1 : *Sede à dextris meis donec ponam*, etc. Undè sensus vaticinii Jacobi est iste : *Non auferetur sceptrum dominationis à Judâ, postquàm venerit Messias ;* ergo Messias nondùm advenit.

Resp. 1.° Hæc expositio, cùm præcedenti sit opposita, Rabbinorum perplexitatem declarat, ut istius oraculi vim eludant.

Resp. 2.° *directè. Nego ant.* Ille est prophetiæ scopus, ut definiat tempus quo venturus sit Messias, cujus adventûs initium assignat, scilicet finem et cessationem regni judaici: atqui, positâ objectâ interpretatione, nulla erit determinatio temporis quo Messias venturus est. Prætereà, eventus sensum particulæ, *donec*, satis determinavit; siquidem, à multis seculis, non ampliùs stat tribûs Judæ dominatio et regnum. Tandem adversatur huic interpretationi consensus veterum Paraphrastarum et omnium versionum.

CONCLUSIO II.

Christus Jesus est verus Messias, in oraculo Jacobi prænuntiatus.

Prob. Ille est verus Messias, in quo completum est Jacobi vaticinium de Messiâ venturo: atqui in Christo Jesu adimpletum est vaticinium Jacobi de Messiâ venturo. Etenim 1.° Christus Jesus apparuit eo tempore, quo, juxta prophetiam Jacobi, venturus prænuntiatur Messias, scilicet, quandò sceptrum (seu summa potestas) desiturum erat in Judâ. Siquidem adventu Christi fuerat ablatum, et ad Herodem alienigenam transmissum à Romanis. Natio Judaica jam sui juris non erat, sed à Pompeio subacta, Romanis tributum solvebat, nec jus gladii, seu vitæ ac necis retinebat; testantur quippe ipsimet Judæi, tempore passionis Christi sibi *non licere interficere quemquam.* Herodem verò

fuisse alienigenam asserit ipse Josephus historicus, qui de eo scribit : *Erat autem genere Idumæus*, lib. 1, de Bello jud. cap. 6 (1).

2.° Christo Jesu apprimè conveniunt characteres quibus Messias à Jacobo præsignatur. Namque 1.° Christo meritò congruit *exspectatio gentium* appellari. Novum enim regnum, non quidem terrenum sed spirituale, non solùm ex Judæis, sed ex omnibus gentibus conflatum stabilivit, Ecclesiam scilicet, quæ diversos orbis populos in sinu suo complectitur. 2.° Omnes vocis *Schiloh* jam enumeratæ significationes aptissimè Christo conveniunt. Namque dici potest per excellentiam tum *mittendus*, ad salutem enim hominibus afferendam à Deo missus est ; tum *pacificus*, quippe pacem hominibus attulit, et non minùs exemplo quàm doctrinâ eos ad pacem et concordiam invitat, undè *pax nostra* dicitur, Eph. c. 2, ℣. 14 ; tum *Judæ filius* ; siquidem inter posteros Judæ ex quo Christus ortus est, Matth. c. 1, nullus alius fuit Christo illustrior ; tum

(1) Alii volunt sceptrum incœpisse deficere à Judâ, tempore quo Pompeius Magnus, Jerosolymâ obsidione captâ, Hircanum Judæorum regem constituit ; alii verò opinantur nonnisi in ultimo ejusdem urbis excidio, sceptrum in Judâ penitùs defecisse. Sed, ut recte animadvertit Card. *de la Luzerne*, *Dissertation sur les Prophéties*, art. 3, § 1, n. 13 : *Nous n'avons pas intérêt d'entrer dans cette discussion. Quelle que soit l'opinion que l'on adopte, il est toujours certain que la tribu de Juda a cessé d'avoir sa forme de gouvernement régi par ses lois et par des chefs pris parmi elle, seulement un peu de temps avant ou un peu de temps après que Jésus-Christ a paru dans le monde ; ce qui accomplit la Prophétie de Jacob.*

demùm *cui reservatum est regnum*, cùm ipsi *data* fuerit *omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Matth. c. 28, ℣. 18, et *regni ejus non erit finis*, Luc. c. 1, ℣. 33.

Solvuntur Objecta.

Obj. 1.° Vaticinium Jacobi in Christo non est adimpletum, si, longè ante Christi tempora, sceptrum è Judâ defecerit : atqui longè ante Christi tempus sceptrum à Judâ defecit, tempore scilicet captivitatis Babylonicæ, 600 circiter annis ante Christum ; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Longè ante Christi tempus sceptrum è Judâ defecit, si nomine sceptri intelligatur regia tantùm dignitas, *conc. min.* ; si nomine sceptri intelligatur quælibet suprema potestas, *nego min.* Reverà sceptrum regium longè ante Christum natum in Judâ desiit, tempore scilicet quo Sedecias, Judæorum rex ultimus, in Assyriam fuit deportatus, anno 11 captivitatis Babylonicæ ; sed nomine sceptri non regia tantùm dignitas, sed dominatus quilibet designatur ; sceptrum enim gerere dicitur quisquis supremum habet principatum, quæcunque sit forma regiminis. Ita vox *Schebet* interpretantur præstantiores Rabbini ; sic, v. g., vertit *Onkelos : Non deficiet exercens dominatum.* Porrò sceptrum Judaicum, pro quolibet dominatu acceptum, per captivitatem Babylonicam non penitùs defecit ; suas enim leges suumque proprium dominatum retinuit tribus Juda, apud Assyrios captiva, ut liquet tum ex lib. Esther, c. 16, ℣. 15, in quo Judaica gens accusatur tanquam novis utens legibus et cæremoniis, tum ex historiâ Susannæ, Daniel, c. 13,

¥. 5, ubi compertum est Judæos suis vixisse legibus, et servasse formam communitatis, quæ proprios optimates et Judices haberet.

Inst. Sceptrum à Judâ saltem defecit, solutâ captivitate Babylonicâ. Namque per multum tempus summum principatum gesserunt Machabæi ex tribu Levi, cùm eorum pater dicatur sacerdos, I Mach. c. 2; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Et ad probationem *ant. dist.* Machabæi ex tribu Levi gesserunt principatum, ex auctoritate sibi à gente Judaicâ commissâ, *conc.;* ex solâ suâ propriâ auctoritate, *nego.* Etenim certum est, ex lib. Machabæorum, c. 9 et 13, ipsos Machabæos à natione Judaicâ liberè electos, et suam auctoritatem mutuatos fuisse, seu potius ipsam Judaicam nationem, simul cum Machabæis ducibus à se electis, potestatem supremam exercuisse. Siquidem, res maximæ, bella gerenda, fœdera ineunda à Machabæis ad populi arbitrium deferebantur, I Mach. c. 5 et 10. Non tantùm nomine Summi Sacerdotis, qui tunc dux erat Reipublicæ, sed etiam nomine totius populi, Epistolæ ad Spartiatas et Romanos scriptæ sunt, I Mach. c. 14, et ipse rex Antiochus ad Judæos sic scribit: *Senatui Judæorum, et cæteris Judæis salutem,* II Mach. c. 11, ¥. 27.

Obj. 2.° Vaticinio Jacobi non solùm prædicitur sceptrum à tribu Judâ non esse auferendum, usque ad tempora Messiæ; sed etiam ducem ex eâdem tribu prognatum in eâ non defecturum; siquidem additur: *Et Dux de femore ejus,* id est, de stirpe ejus: atqui Machabæi, penès quos satis diù permansit summa potestas, erant, ut dictum est, de tribu Levi;

ergo in hâc parte saltem effectu fraudata fuit Jacobi prophetia.

Resp. 1.° Loco vocis *Dux*, quæ legitur in Vulgatâ nostrâ, textus hebraicus et Versiones Aquilæ, Arabica, et Sanctes Pagnini ferunt: *Legislator.* Huic sensui favent Paraphrastes Chaldaici, in quibus pro voce *Dux* legere est, *Scriba, Doctores legis, Scribæ docentes legem.* Undè

Resp. 2.° *Dist. maj.* Vaticinio Jacobi prædicitur usque ad Messiæ adventum non defuturum in Judâ *Ducem*, id est Optimates et Judices, supremæ potestatis participes, ex Judâ oriundos, *conc. maj.*; non defuturum Ducem seu Principem ex Judâ prognatum qui solus potiretur supremâ potestate, *nego maj.* Itaque, uti ex historiâ compertum est, toto tempore quo stetit regnum et Respublica Judæorum, semper fuêre duces, legislatores, judices ex tribu Judâ prognati, quod facilè constabit percurrendo epochas à Davide, usque versùs tempora Christi. 1. Quidem à Davide, qui primus principatum in Judâ obtinuit, usque ad captivitatem Babylonicam, reges omnes fuêre tribules Judæ. 2. Post captivitatem verò usque ad tempora Aristobuli, etsi nonnulli fuerint duces ex aliâ tribu, omnes tamen à Republicâ Hebræorum ex *tribu Judâ* præsertim tunc conflatâ (Joseph. Antiq. lib. 11, cap. 1, 2 et 5) mutuati sunt auctoritatem eamque nonnisi cum Senatu majori, qui potissimùm ex viris Judâ constabat, et reliquo populo, excercebant. 3. Tandem, à tempore Aristobuli, qui primus Assamonæorum nomen et diadema regium sibi imposuit, magnam sibi in judiciis ferendis

potestatem retinuerunt optimates Judæorum; ii enim majori ex parte constituebant Senatum seu *Sanhedrin* cujus tanta fuit auctoritas ut, teste Josepho, Antiq. lib. 14, cap. 17, Herodes ipse, Galileæ tùm præfectus, illius Senatûs sententiam nonnisi fugâ declinare potuerit, eò quòd Ezechiam quemdam Syriæ fines infestantem, nullâ receptâ ab Hircano potestate, interfecisset. Ex quibus patet maximam potestatem penès Senatum Judæorum constitisse, ac semper fuisse, usque versùs tempora Christi, duces ac judices ex Judâ ortos et supremæ auctoritatis consortes.

Obj. 3.° Si oraculum Jacobi, tempora Messiæ tam clarè determinaret, certè eo vaticinio Christus et Apostoli usi fuissent ad revincendos Judæos : atqui tamen vaticinium istud nec à Christo nec ab Apostolis laudatum est; ergo, etc.

Resp. cum illustrissimo Huetio, *Nego maj.* Quippe Christo et Apostolis non fuit propositum singula Prophetarum oracula in Christo adimpleta referre; ipsis satis fuit quod non pauca, pro datâ occasione laudarent, et Judæos ad Scripturas et Moysen generatim provocarent : Joan. c. 5, ℣. 39, *Scrutamini scripturas*, inquiebat Christus, *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Prætereà, ex illo vaticinio, id unum, ætate Christi, colligi poterat, scilicet, Messiæ tempora instare : porrò de eo non dubitabant Judæi, cùm suspicarentur nùm Joannes Baptista Messias foret, Luc. c. 3, Joann. c. 1; sed de hoc iterùm infrà.

Obj. 4.° Ex vaticinio Jacobi conditionatè intellecto, probari non potest Messiam advenisse : atqui vaticinium illud conditionatè potest et

debet intelligi; ergo, etc. Argumentum istud Christianis proponunt Rabbini plures. Deus, inquiunt, ob frequentes Judæorum transgressiones adventum Messiæ promissi distulit, et ideò tempora Messiæ curiosiùs inquiri prohibent, imò exitium imprecantur iis qui tempus illius adventûs computant.

Resp. Nego min. Si enim vaticinium Jacobi aliquâ conditione suspensum esset, vel illa conditio caderet in ipsum Messiæ adventum, ita ut, propter Judæorum prævaricationes retardari posset; vel in sceptrum à Judâ possidendum usque ad tempora Messiæ, ita ut supponi possit sceptrum priùs à Judâ auferendum esse in pœnam transgressionum ejus, quàm veniat Messias: atqui neutrum dici potest. *Non* 1.^{um}; *quis enim dixerit protrahenda fuisse* Messiæ tempora in pœnam prævarications Judaicæ gentis; cùm ipse, eâ præcisè de causâ venire debuerit, ut non modò Judæorum, sed etiam omnium gentium iniquitates deleret, ut constat ex oraculo Danielis, de quo infrà. Prætereà, si hominum prævaricationes prænuntiatum Messiæ adventum potuerunt retardare, jam prorsùs inutilia sunt Prophetarum oracula quæ tempus, locum et circumstantias Messiæ adventûs determinant. Deniquè, omnes Judæi veteres, et ex recentioribus plerique credunt Messiæ tempora non conditionatè, sed absolutè in Prophetiis declarari. Hinc, quo tempore natus est Christus, Judæorum communis erat opinio instare ipsius adventum, ut infrà videbimus; ergo 1.°, etc. 2.^{um} Quoque dici nequit. Namque 1.° sic filios suos allocutus est Jacob antequàm vaticinium proferret, Genes. c. 49, ℣. 1: *Congregamini*

ut annuntiem quæ ventura sunt vobis; sed qui præcisè ventura prænuntiat, non conditionatè, sed absolutè loquitur. 2.° Idem debet esse judicium de vaticinio Jacobi, quoad sceptrum in Judâ perseveraturum usque ad tempora Messiæ, ac de prophetiis ejusdem Patriarchæ circa undecim ejus filios : atqui prædictiones istæ absolutæ fuerunt, ut ex eventu constat ; ergo, etc. 3.° Si Deus voluerit sceptri defectionem esse velut signum seu epocham adventûs Messiæ, tunc sanè vaticinium Jacobi de non auferendo sceptro, absolutum est non verò conditionatum : atqui reverà Deus voluit defectionem sceptri esse veluti signum, etc. ; ergo, etc.

PUNCTUM II.

De Vaticinio Danielis.

Cùm Propheta Daniel, anno primo Darii Medi captivitatisque 68, fusis ad Deum precibus, populi sui postularet à durâ servitute liberationem, ad ipsum accessit angelus Gabriel, eique futurum Messiam his verbis annuntiavit, Dan. c. 9, ℣. 24 et seqq. : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt* (1) *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio* (2), *et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et Prophetia* (3),

(1) Hebraïcè, *decisæ, definitæ* sunt.

(2) Christum occidendo.

(3) Id est, ut omnia Prophetarum oracula de Christo impleantur.

et ungatur SANCTUS SANCTORUM; scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis (1) *ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt* (2), *et rursùm ædificabitur platea et muri, in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus* (3) : *et non erit ejus populus* (4), *qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium* (5) : *et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem, perseverabit desolatio.*

---

(1) A promulgatione edicti de Jerosolymâ iterùm ædificandâ.

(2) 70 Hebdomades suprà memoratas secat Angelus in tres partes. Primò septem, deindè sexaginta duas, et in fine vaticinii unam et dimidiam ponit. Per septem priores, muri et platea Jerusalem reædificabuntur, et quidem, juxta prophetiam in angusto et brevi tempore, vel inter angustias et ærumnas, uti contigit, II Esdræ c. 4. Post sexaginta duas sequentes Christus venturus occidendus est in ultimâ hebdomadâ, nempe septuagesimâ, novum fœdus est confirmandum, et in dimidio hujus hebdomadis deficient sacrificia et victimæ Judaicæ.

(3) Hebraicè, *exscindetur*, quâ voce mors Christi violenta significatur.

(4) Hebraicè, *non sibi*, id est non propter sua peccata, vel *non ejus*, ubi Vulgata supplet : *erit populus qui eum negaturus est.*

(5) Nempè necessitas, utilitas et valor sacrificiorum evanescet morte Christi quam illa sacrificia adumbrabant, usquedùm usu cessent, quod, non multò post, everso templo, contigit.

Circa celebre illud vaticinium duo sunt expendenda : 1.° an de Messiâ sit intelligendum, et in quo fuerit impletum; 2.° undè repeti debeat initium 70 hebdomadarum.

I.

An de Messiâ sit intelligendum Oraculum Danielis, et in quo fuerit impletum.

Hanc quæstionem solvent duæ sequentes conclusiones.

CONCLUSIO PRIMA.

Ex hoc Danielis Oraculo jamdudùm advenisse Messiam demonstratur.

Prob. Qui in hâc prophetiâ venturus prædicitur, jamdudùm advenit : atqui Messias est qui ibi venturus prænuntiatur; ergo Messias advenit.

Major sic probatur : qui eo loco venturus prænuntiatur advenire debuit, 1.° intra hebdomadas septuaginta, ordiendas ab exitu sermonis ut iterùm ædificaretur Jerusalem : sic enim Angelus Danielem alloquitur : *Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem.* 2.° Ante ejusdem civitatis eversionem et templi dissipationem ; nam sic pergit Angelus : *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* 3.° Ante sacrificiorum Mosaicorum abrogationem; sic enim addit Angelus : *Deficiet hostia et sacrificium.* Atqui singula hæc jamdudùm evenerunt.

1.° Jamdudùm efflùxerunt hebdomades sep-

tuaginta ab exitu sermonis ut iterùm ædificaretur Jerusalem ordiendæ; in Scripturis namque duplex tantùm commemoratur hebdomadarum genus, dierum nempè et annorum: hebdomadæ dierum memorantur, Levit. c. 23, ℣. 15; de annorum autem hebdomadibus fit mentio ibidem, c. 25, ℣. 8. Porrò sive hebdomades Danielis sint dierum, sive sint annorum, jam diù elapsæ sunt. Siquidem 70 hebdomades annorum, 490 annos; dierum verò, 490 dies efficiunt: sed ab ipsâ Jerusalem restauratione multò plus temporis effluxit; ergo, etc. 2.° Civitas et templum post captivitatem Babylonicam exstructa jamdudùm funditùs eversa sunt à Tito Romanorum duce, anno nempè 70 æræ vulgaris. 3.° Abrogata sunt Mosaica sacrificia, ut constat; ergo, etc.

Breviùs, qui eò loci venturus prædicitur, debuit eo temporis intervallo advenire, quod fluxit ab instauratione Jerusalem post captivitatem Babylonicam faciendâ, ad ejusdem urbis deindè futuram subversionem: atqui jam diù effluxit illud tempus; ergo, etc.

Minor demonstratur ex eo quòd soli Messiæ conveniant quæcunque dicuntur de eo qui venturus annuntiatur; nempè 1.° vocatur simpliciter et antonomasticè *Christus:* porrò nomen istud sine addito pronuntiatum Messiæ proprium est, nec ullus alter *Christus* simpliciter appellatus est in Scripturis. 2.° Dicitur *Dux*: atqui hocce titulo Messias sic insignitur: *Ecce... dedi eum Ducem ac præceptorem gentibus*, Isaiæ c. 55, ℣. 4. 3.° Appellatur *Sanctus Sanctorum*, Hebraicè, *Sanctitas Sanctitatum;* cui autem nisi Messiæ convenit hæc appellatio de

quo, Ps. 15, ℣. 10, legitur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 4.° Venturus prædicitur ut *deleatur iniquitas et adducatur Justitia sempiterna:* porrò idem de Messiâ asseritur, Jerem. c. 23, ℣. 6: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster,* et Ps. 71, ℣. 7: *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis.* 5.° Demùm ille de quo agitur apud Danielem est occidendus non propter se sed propter homines, impleturus est omnem visionem et prophetiam, sanciturus novum fœdus, et veteris Legis sacrificia abrogaturus: atqui totidem hi sunt characteres quibus passìm in Scripturis Messias designatur. Namque, *Vulneratus est,* inquit Isaias, c. 53, ℣. 5 et 7, *propter iniquitates nostras; sicut ovis ad occisionem ducetur;* in eo solo impleri debuit omnis visio et prophetia, cùm esset omnium prophetiarum finis; oportebat deniquè à Messiâ vetera sacrificia abrogari et oblationem seu hostiam novi fœderis offerri, juxta illud Malach. c. 1, ℣. 10: *Non est mihi voluntas in vobis et munus non suscipiam de manu vestrâ... et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda;* ergò soli Messiæ congruere possunt characteres in Danielis vaticinio expressi, ac proindè Messias est qui in eo venturus prædicitur.

SCHOLIUM.

Judæi quidam recentiores, imò et pauci numero christiani scriptores, Danielis vaticinium alium quàm Messiam spectare contendunt. Nimirùm, Danielis prophetiam in duas partes secant, quarum prima usque ad hæc verba: *Scito ergo et animadverte,* etc., ipsis fatentibus,

Messiam respicit; secunda verò, ab hisce verbis incipiens, alium, juxta ipsos, quàm Messiam designat. Porrò licèt singulas illorum auctorum opiniones referre, multò minùs refellere per tempus non liceat, fundamentum tamen quo suum systema adstruunt, paucis evertemus, probando scilicet seriem totius vaticinii, et temporum rationem unam eamdem personam, nempè Christum Messiam, exhibere.

Etenim tanta est inter duas vaticinii partes habitudo et affinitas, ut posterior non sit nisi major declaratio prioris. 1.° Illud non obscurè indicant hæc verba : *Scito ergo et animadverte*, quibus posteriorem vaticinii partem cum priori connectit Angelus. 2.° Idem est numerus hebdomadarum in utrâque prophetiæ parte, et 70 quas in priore parte statìm enumeraverat, declarat in alterâ à quo tempore sint inchoandæ, nempè, *ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem*. 3.° Accedit quòd in utrâque parte Angelus de eâdem personâ loquatur, cùm eam designet eodem nomine. Siquidem, in posteriori oraculi parte eam vocat *Christum*, id est, *unctum*, dùm in priori dixerat, quod *ungatur Sanctus Sanctorum*; cùm igitur pars prior vaticinii à Rabbinis ipsis de Messiâ explicetur, planum est et alteram de eodem Messiâ esse intelligendam.

CONCLUSIO II.

Ex vaticinio Danielis Christus Jesus verus est Messias.

Prob. Ille est verus Messias in quo completum est Danielis vaticinium de Messiâ venturo : at-

qui in Christo Jesu adimpletum est Danielis vaticinium de Messiâ venturo; ergo, etc.

1.° Quidem Christus Jesus præ se fert characteres, quibus Messias in hâc prophetiâ describitur. Etenim, ut jam dictum est, Messias dicitur Christus, Dux, Sanctus Sanctorum, deleturus iniquitatem, adducturus justitiam sempiternam, à populo suo negandus, occidendus sed non propter se, vetera sacrificia aboliturus, novum fœdus sanciturus, atque impleturus omnes prophetias; deniquè, post ejus mortem civitas et sanctuarium dissipanda sunt, templum abominatione fœdandum, et desolatio usque ad consummationem super populum judaicum mansura : atqui hæc singula in Christo eminent suumque effectum habuerunt.

Namque, 1.° nomen *Christi* per excellentiam nulli nisi ipsi soli unquàm datum est; undè et ejus discipuli *Christiani* dicti sunt, fuitque *Dux* novi populi et Ecclesiæ seu societatis quam fundavit. 2.° Dicitur et exstitit, modo eximio, *Sanctus* : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei,* Luc, c. 1, ℣. 35. 3.° Peccatum delevit, testante Joanne Baptistâ : *Ecce qui tollit peccata mundi,* Joan. c. 1, ℣. 29. 4.° Adduxit justitiam sempiternam cùm venit *ipse factus* nostra *justitia*, I Cor. c. 1, ℣. 30, et Religionem sanctam et justificantem instituit, ad finem usque mundi permansuram. 5.° Occisus est, non sibi, sed *dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate*, Tit. c. 2, ℣. 14. 6.° Vetera sacrificia abolevit, cùm non multò post ejus mortem, templo Jerosolymitano everso, hostia et sacrificium penitùs defecit. 7.° Novum fœdus confirmavit, Legem

Evangelicam promulgando quam suo sanguine sancivit : *Hic est sanguis meus novi Testamenti,* Marc. c. 14, ℣. 24. 8.° Omnes prophetias ita adimplevit ut post ipsius mortem, fatentibus Rabbinis, nullus Propheta in Israel exstiterit, et ipse moriens in cruce exclamavit : *Consummatum est,* Joan. c. 19, ℣. 30. Tandem post Christi mortem, à Romanis, duce Tito, Jerosolyma expugnata et eversa est, templum violatum, exustum, populus ita dispersus est ut nullum, ex hoc tempore, superfuerit Judaicæ Reipublicæ vestigium. Unum quidem superest adimplendum ex iis quæ ab Angelo Danieli prædicta sunt, nempè, quod ad finem usque mundi perseveratura sit desolatio in gente Judaicâ; sed præterquàm quòd tempus nondùm advenerit, cùm cætera, ad unguem fuerint adimpleta, quis dubitat quin etiam hâc in parte prophetia suum sit sortitura effectum ?

II.

Undè repeti debeat 70 *hebdomadarum initium.*

Observ. 1.° Christianorum causam ab hujus quæstionis solutione prorsùs esse independentem; ut enim observat illustrissimus Bossuetius, *Discours sur l'histoire universelle,* 2.ª part., cap. 9 : *Dieu a tranché la difficulté, s'il y en avait, par une décision qui ne souffre aucune réplique. Un événement manifeste nous met au-dessus de tous les raffinemens des chronologistes; et la ruine totale des Juifs, qui a suivi de si près la mort de Notre-Seigneur, fait entendre aux moins clairvoyans l'accomplissement de la prophétie.*

Observ. 2.° Certum est apud omnes, 70 hebdomades computandas esse ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem; illud enim expressè notat Angelus: *Ab exitu sermonis*, inquit, *ut iterùm ædificetur*, etc. Sed qualis sit ille sermo, et consequenter quo tempore exierit, olim magnò animorum æstu disputatum fuit: quod nobis probabilius videtur paucis referemus.

Observ. 3.° Sermo ille de quo mentionem facit Angelus non alius esse potest quàm aut prophetia aut decretum regis Persarum, de iterùm ædificandâ Jerusalem. Novem autem sunt prophetiæ, quarum præcipuæ referuntur, Jeremiæ c. 29 et 50, et Danielis, c. 9, de quâ nunc agitur; verùm quatuor numerantur edicta seu rescripta regum Persarum: nempè primum Cyri, anno imperii sui primo; I Esdræ, c. 6, ℣. 3, et seqq. Secundum Darii Hystaspidis quo prius Cyri edictum confirmatur; I Esdr. c. 6, ℣. 6. Tertium Artaxercis Longimani, anno ipsius regni septimo; I Esdr. c. 7, ℣. 7 et seqq. Quartum deniquè ejusdem principis, anno ipsius imperii vigesimo; II Esdræ, c. 2, ℣. 1, et seqq. His præmissis,

Statuitur: Initium septuaginta hebdomadarum nec ab aliquâ prophetiâ, nec ab edictis Cyri, Darii Hystaspidis, et Artaxercis Longimani anno 7 sui regni; benè verò ab edicto hujus principis, anno vigesimo, repetendum est.

Prob. Etenim, sermo cujus mentionem facit Angelus in vaticinio Danielis duobus characteribus insigniri debet: 1.° ut sit sermo de iterùm ædificandâ et muris cingendâ Jerusalem; illud

constat ex ipsis prophetiæ verbis : *Ab exitu sermonis... rursùs ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum.* 2.° Ut ab eo sermone usque ad Christi mortem inveniantur 70 hebdomades, vel, ut accuratiùs loquamur, 69 et dimidia, siquidem in dimidio ultimæ hebdomadis, juxta prophetiam, Christus est occidendus : atqui hi duo characteres nulli prophetiæ nec tribus prioribus edictis jam memoratis, sed soli rescripto Artaxercis Longimani, anno 20 sui regni competere possunt; ergo, etc.

1.° Quidem duo characteres assignati nulli ex memoratis prophetiis conveniunt; cùm enim novem numerentur diversis editæ temporibus et nulla earum præ cæteris ad reædificationem urbis specialem respectum habeat, non est potior ratio cur ab illâ potiusquàm ab alterâ ducatur initium hebdomadarum : atqui tamen hìc quærimus tempus præfixum et ab Angelo determinatum à quo Danielis hebdomades computentur. Prætereà, ab ultimo, qui Danielis est, prophetico sermone de reædificandâ Jerusalem usque ad Christi mortem, plusquàm 70 annorum hebdomades effluxerunt, ut patebit ex dicendis.

2.° Neque etiam tribus prioribus regum Persarum rescriptis competunt duo characteres assignati; namque 1. tria hæc edicta nullam mentionem faciunt de urbe et mœnibus Jerusalem reædificandis; Cyrus quippe duntaxat præcipit ut domus Dei seu templum iterùm Jerosolymis ædificetur, operis quoque materiam et magnitudinem præscribit, et sumptus ad perficiendum necessarios promittit; Darii Hystaspidis rescripto tantùm renovatur Cyri edictum de templo

iterùm construendo; nec Artaxerces Esdræ licentiam fecit muros et urbem excitandi, cùm in suo edicto ne unum quidem verbum de urbe et mœnibus inveniatur, ut legenti patet. 2. Neque constant calculi, si ab uno ex illis decretis ducatur initium hebdomadarum; quippè, juxta probatissimos chronologos, annus 1.^us Cyri Babylone regnantis, quo tempore latum est ipsius edictum, incidit in annum 536 ante æram vulgarem; Darii Hystaspidis annus 2.^us, quo Cyri decretum confirmavit, cadit in annum 519, et 7.^us Artaxercis Longimani ipse est annus 467 ante æram vulgarem; Christus verò mortuus est anno 33 æræ vulgaris, ut probabitur infrà: atqui ab anno 467 ante æram vulgarem usque ad annum 33 æræ vulgaris plures sanè quàm 70 fluxêre hebdomades; ergo et longè plures numerabis, si hebdomadarum initium sumas ab edictis Cyri et Hystaspidis, quæ longè remotiori epochâ lata fuêre.

Superest igitur ut 70 hebdomadarum initium ducatur ab exitu decreti quod tulit idem Artaxerces anno 20 regni sui; etenim, ut jam dictum est, quinque tantùm proferuntur sermones de quibus dubitari possit an 70 hebdomades ab iis inchoari debeant; nempè sermo propheticus, seu prophetia aliqua, edictum Cyri, rescriptum Darii Hystaspidis et utrumque Artaxercis Longimani decretum: atqui, ex probatis, 70 hebdomades à quatuor prioribus inchoari nequeunt; ergo à posteriori sumant exordium necesse est.

Et verò, ille est sermo à quo Danielis hebdomades sunt inchoandæ, cui duo assignati characteres conveniunt: atqui tale est edictum Ar-

taxercis Longimani latum anno 20 sui regni. 1.° Quidem expressum sermonem facit de iterùm ædificandâ et muris cingendâ Jerusalem, ut legenti constat; 2.° ab eo dicto usque ad Christi mortem effluxêre 69 hebdomades cum dimidiâ intra quam occidi Christus debuit juxta Danielis oraculum; illud autem sic probatur: Annus 20 regni Artaxercis cadit in annum 454 ante æram vulgarem; Christi autem mors in annum æræ vulgaris 33: atqui ab anno ante æram vulgarem 454 usque ad annum æræ vulgaris 33, effluxerunt præcisè 69 hebdomades cum dimidiâ, id est 487 anni. Hæc *minor* propositio evidens est; itaque *prob. major*, cujus duæ sunt partes.

Prob. 1.ª *pars* quæ sic est: Annus 20 Artaxercis Longimani incidit in annum ante æram vulgarem 454; namque Thucydides auctor coætaneus narrat lib. 1, Themistoclem in Persidem confugisse ac litteras misisse ad Artaxercem Xercis filium, nuper regnantem: porrò Themistocles in Persidem fugit anno ante æram vulgarem 473, ut testatur Diodorus Siculus et Eusebius in Chronico; ergo Artaxerces nuper regnare cœperat, anno ante æram vulgarem 473, proindèque vigesimus ejusdem regni annus cadit in annum 454 ante æram vulgarem, quod *majoris* probandæ prima pars est.

Prob. 2.ª *pars*, quòd scilicet mortuus sit Christus anno 33 æræ vulgaris; etenim, Christus mortuus est illo æræ vulgaris anno quo contigit illa portentosa eclipsis, quam non modò Christiani sed etiam Pagani scriptis consignârunt: atqui hæc solis defectio contigit anno 33 æræ vulgaris, ut constat tum ex Chronico Alexandrino, tum ex Phlegonte cujus testimonium jam

retulimus suprà pag. 585; ergo mors Christi cadit in annum 33 æræ vulgaris; et aliundè, ex probatis, annus vigesimus regni Artaxercis incidit in annum 454 ante æram vulgarem; sed ab anno ante æram vulgarem 454 usque ad annum æræ vulgaris 33, sexaginta novem annorum hebdomades cum dimidiâ, id est 487 anni effluxerunt; ergo edictum quod emisit Artaxerces Longimanus, 20 sui regni anno, est ipse sermo à quo inchoandæ sunt 70 Danielis hebdomades.

Dices: Xerces pater Artaxercis Longimani regnare incœpit anno 485 ante æram vulgarem, ut fatentur omnes; ipse autem 20 annis integris regno est potitus, ut demonstrat Possinus in dissertatione apud Menochium, ex quo sequitur Artaxercem filium ejus solium conscendisse anno 465 ante æram vulgarem: cujus proindè annus 20.us cadit in annum 445 ante æram vulgarem: atqui ab anno 445 ante æram vulgarem usque ad annum æræ vulgaris 33 quo mortuus est Christus, non omninò effluxerunt 69 hebdomades cum dimidiâ, ut patet; ergo sententia nostra repugnat calculo chronologico.

Resp. Hanc difficultatem variè à variis solvi. Quidam Danielem interpretantur de hebdomadis annorum lunarium, qui solaribus ut potè breviores, defectum in objectione propositum abundè compensant; alii autem cum Usserio tradunt Xercem 12 tantùm annis regnâsse. Post Galatinum pauci annos imperii regum Artaxercem subsequentium ultrà quàm à chronologicorum vulgo fieri solet producunt. Cæteri communiter 20 regni Artaxercis annum computant à primâ ipsius coronatione quæ 12 regni Xercis anno contigit; tunc enim su-

premæ auctoritatis consors à patre suo factus est : huic postremæ responsioni adhærendum esse censemus. Nec dicatur præfatam Artaxercis cooptationem à nullo historicorum expresso niti testimonio, illud enim minus necessarium est, cùm probationes aliæ nobis suppetant; scilicet 1.° Herodot., lib 7, testatur apud Persas morem fuisse ut rex ad bellum profecturus regni successorem declararet : atqui Xerces 12 regni sui anno bellum adversùs Græcos paravit, ut notat Petavius, lib. de doctrinâ temp. ; ergo tunc regni successorem declaravit, seu Artaxercem filium suum *in dignitatem* regiam cooptavit. 2.° Juxta Thucydidem auctorem coætaneum et alios, Themistocles profugus litteras misit ad Artaxercem nuper regnantem : aliâ ex parte testatur Diodorus Siculus cum pluribus aliis Themistoclem, regnante adhuc Xerce, fugisse in Persidem ; ut ergo in concordiam vocentur auctores præfati, necessariò dicendum Xercem et filium ejus simul aliquot annis regnasse, et proindè Artaxercem regni patris sui consortem aliquandiù factum fuisse.

PUNCTUM III.

De Vaticiniis Aggæi et Malachiæ.

Quis in vobis est derelictus, ait Aggæus, c. 2, ℣. 4, *qui vidit domum istam* (id est templum) *in gloriâ suâ primâ* (priusquàm à Nabuchodonosor incenderetur) : *et quid vos vidétis hanc nunc ? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris ?... dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est et ego com-*

movebo cœlum et terram, et mare et aridam; et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloriâ... magna erit gloria domûs istius novissimæ plusquàm primæ.... et in loco isto dabo pacem.

Malachias verò in eumdem sensum sic loquitur, c. 3, ℣. 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antefaciem meam, et statìm veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.*

Quàm validum contra Judæos argumentum suppeditent hæc duo oracula, ut demonstremus, sit

CONCLUSIO PRIMA.

Ex vaticiniis Aggæi et Malachiæ rectè deducitur Messiam advenisse.

Prob. Etenim pluribus abhinc seculis destructum est templum illud quod Aggæi temporibus ædificabant Judæi : atqui in memoratis vaticiniis Messias venturus prænuntiatur, stante adhuc illo eodem templo ; ergo pluribus abhinc seculis advenit Messias. Major est extra dubium.

Prob. itaque *minor*, et quidem quoad 1.am partem, nempè *quòd Messias sit qui venturus ibi prænuntiatur;* his enim characteribus designatur qui soli Messiæ conveniunt; nam 1.° dicitur, *Desideratus cunctis gentibus :* atqui pari titulo Messias donatur in Jacobi vaticinio, et aliis Prophetis quos jam appellavimus. 2.° Vocatur *Dominator*, et *Angelus testamenti*, sive

novi fœderis, à Judæis quæsitus et exoptatus : atqui Dominator ille et Angelus testamenti ipse est Messias et Liberator Judæis promissus, et ab iis tantoperè exspectatus. *Dominator,* inquit Rabbinus Kimhhi, in hunc Malachiæ locum, *ipse est rex Messias idemque Angelus fœderis.* Ita cæteri Rabbini quos citat D. *Drach*, 2.me *Lettre d'un Rabbin converti*, pag. 165.

Prætereà, major prædicitur futura secundi templi gloria quàm primi : atqui non aliundè secundi templi gloria major futura erat, quàm quod præsentiâ suâ Messias illud ornaturus esset ; pluribus enim, ut ipsi tradunt Rabbini, carebat ornamentis quibus primum Salomonis templum decorabatur ; in illo scilicet defuerunt arca fœderis, ignis sacer, oleum unctionis, urim et thumin et spiritus sanctus, quos defectus sola Messiæ præsentia compensare potuit ; ergo, etc.

Prob. 2.a *pars minoris ; qui*, nempè, *venturus annuntiatur, advenire debuit stante illo secundo templo, quod Aggæi temporibus ædificabant Judæi.* 1.° Quia pronomen demonstrativum, *domum istam, domûs istius*, non aliud certè templum denotat quàm quod tunc temporis ædificabant Judæi. 2.° Quia nonnisi ut Judæos consolaretur et ad promptam hujus secundi templi ædificationem excitaret, istud edidit oraculum Aggæus ; ergo illud idem templum spectat Aggæi prophetia ; ergo, stante secundo templo, Messias advenire debuit ; ac proindè, cùm jampridem destructum sit, consequens est Messiam jam advenisse.

Obj. 1.° Messias non potuit ab Aggæo vocari desiderium

desiderium cunctarum gentium ; prius est enim cognoscere quàm desiderare : atqui tempore Aggæi gentes Messiam non cognoscebant ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Tam potuit enim ab Aggæo Messias vocari desiderium gentium quàm expectatio populorum à Patriarchâ Jacob. Huic autem appellationi non obstat infidelitas gentium, quæ, ut fert objectio, non potuerunt salvatorem ipsis incognitum desiderare ; illud non obstat, 1.° quia etiam gentes eum ignorantes implicito et naturali pondere quodammodò ipsum desiderabant, eo nimirùm sensu quòd adventu Messiæ plurimùm indigerent ; sicut enim terra exsiccata pluviam desiderare dicitur, sic arentia gentilium corda redemptorem suspirasse dici possunt. 2.° Quia per anticipationem Messias ab Aggæo vocari potuit desiderium cunctarum gentium ; ipse enim à gentilibus postmodùm ad fidem convertendis colendus et desiderandus erat.

Obj. 2.° Independenter à Messiæ præsentiâ major fuit secundi templi gloria quàm primi ; etenim 1. decem annis ampliùs duravit ; 2. longè magis innotuit gentibus exteris quarum donis vehementer auctum est ; 3. postmodùm ab Herode ita amplificatum fuit et decoratum, ut prioris templi magnificentiam longè superaverit : ita testatur Josephus, lib. 15 Antiquit. ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. propter rationem suprà allatam. Quoad probationem ejus fateor secundum templum multò pluribus annis primi durationem superasse, ipsumque gentilium muneribus præ Salomonis templo claruisse ;

sed illa duo, nullius fermè ponderis, non sufficiunt ut major fuerit secundi templi gloria quàm primi, maximè cùm, ex dictis, quinque præcipua prioris templi ornamenta defuerint: quod autem objicitur posterius templum ita decoratum et amplificatum ab Herode fuisse ut prioris magnificentiam longè superaverit, omninò falsum est, ut cuilibet constare poterit, modò conferat ea quæ, III Reg. c. 6, I Paralipom. c. 22, et II Paralipom. c. 2, ℣. 24, de priori templo dicta sunt, cum iis quæ de posteriori tradidit Josephus, lib. 15 Antiquit., cap. 4. Hinc ipse Judæus Abarbanel in Prophetam Aggæum candidè confessus est templum secundum primo æquiparari non posse. Cæterùm, Josephus nullibi contrarium expressè asseruit.

CONCLUSIO II.

Ex oraculis Aggæi et Malachiæ Christus Jesus verè Messias est.

Prob. Etenim ille est verus Messias in quo vaticinia Aggæi et Malachiæ de Messiâ venturo impleta sunt: atqui in Christo Jesu vaticinia Aggæi et Malachiæ impleta sunt; namque vaticinatur Aggæus fore ut tempore adventûs Messiæ, cœlum, terra, mare, gentes commoveantur: atqui id in Christo suum eventum habuit. Christo enim nascente, novum sidus in cœlo illuxit, Matth. c. 2, ℣. 2: *Et facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, etc.*, Luc. c. 2, ℣. 13. Christo baptismum accipiente, *apertum est cœlum, et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut*

columba in ipsum; et vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, Luc. c. 3, ℣. 22. Christo prædicante quot miracula terrâ marique edita sunt? Christo moriente, sol contra solitas naturæ leges tenebris involvitur, terra contremiscit, velum templi disrumpitur, petræ scinduntur, monumenta aperiuntur, Matth. c. 27, ℣. 51; tandem Christus gentes à sacrilego idolorum cultu, ad veram Religionem protraxit; ergo temporibus Christi impletum est vaticinium de cœlo, terrâ, mari et gentibus commovendis.

Prætereà, juxta Aggæum et Malachiam, templum secundum ingressurus erat Messias sive *Dominator et Angelus testamenti;* undè futura erat gloria *domûs istius novissimæ, plusquàm primæ:* atqui hæc vaticinii pars suum in Christo effectum consecuta est: 1.° enim eum summum Dominatorem esse constat ipsiusmet verbis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ:* 2.° verè fuit *Angelus testamenti*, siquidem novum fœdus sanxit: *Hic est enim*, inquit, *sanguis meus novi Testamenti;* Matth. c. 26, ℣. 28. 3.° Templum secundum ingressus est, nam parentes ejus *tulerunt illum in Jerusalem ut sisterent eum Domino*, Luc. c. 2, ℣. 22. Et frequens in eodem templo docuit: *Quotidiè*, inquit, *apud vos sedebam docens in templo*, Matth. c. 26, ℣. 55; ergo, etc.

Dices: Christus Dominus in templum à Zorobabele constructum non intravit, illud siquidem penitùs destruxit rex Herodes, et ipsi novum planè substituit; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Templum enim à Zoroba-

bele constructum non ita fuit ab Herode rege immutatum, ut idem simpliciter et absolutè dici non possit ac debeat; 1.° quia simul et ex omni parte non fuit à fundamentis reædificatum, sed solummodò successivè et per partes reparatum atque amplificatum; 2.° quia, Joan. c. 2, Judæi dicunt templum illud quadraginta sex annis fuisse ædificatum; Herodes autem octo annorum duntaxat spatium circa templi restaurationem insumpsit, teste Josepho; 3.° quia aliàs tria fuissent in urbe Jerusalem successivè templa: atqui falsum illud esse constat ex eo quòd duo tantùm fuisse scripserint Judæi omnes, atque etiam illud quod, Herode rege, subsistens erat, constanter secundum templum appellaverint; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Ex dictis probatum manet insigniora Jacobi, Danielis, Aggæi et Malachiæ oracula in Christo Jesu suum exitum habuisse, ac proindè Christum Jesum Messiam esse à sacris Vatibus prænuntiatum. His accedit communis Judæorum Christo coævorum opinio tunc instare tempora Messiæ, cujus quidem opinionis, quam profectò ex antiquis traditionibus et ex oraculis Prophetarum hauserant, plurima vestigia in Evangeliis deprehenduntur:

1.° Herodes audiens Magos ex Oriente venire infantem recens natum adoraturos, *turbatus est et omnis Jerosolyma cum illo*, et à Sacerdotibus ac Legisperitis *sciscitatur ubi Christus nasceretur*, Matth. c. 2, ℣. 3 et 4. 2.° Refert Lucas, c. 2, Simeonem tunc exspectasse *consolationem Israel*, et Annam Prophetissam de infante Jesu

locutam fuisse *omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.* 3.° Ubi Joannes Baptista prædicare cœpit, permulti è Sacerdotibus et Levitis dubitaverunt utrùm ille esset Messias, an verò alius esset exspectandus, Joan. c. 1, ℣. 19. Eadem opinio ad Samaritanos transierat : *Scio*, inquit mulier samaritana, Joan. c. 4, ℣. 25, *quia Messias venit.* 4.° Hæc ab Evangelistis dicta confirmantur tum numero Judæorum qui Christum tanquam Messiam agnoverunt; tum silentio Scribarum, Pharisæorum et totius Synedrii, qui Apostolos Christum ut Messiam promissum annuntiantes nunquàm confutare tentârunt, reponendo nondùm advenisse tempus à Prophetis statutum; tum ingenti numero Pseudo-Messiarum, qui ante vel post Christi mortem prodierunt, de quibus meminit Josephus, lib. 6 de Bello Judaico.

Nec solùm apud Judæos Messiæ proximè venturi persuasio tempore Christi obtinebat; ut enim refert Suetonius in Vespasiano, cap. 4 : *Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo* (Christi) *tempore Judæâ profecti rerum potirentur;* et addit Tacitus, Hist. lib. 5, cap. 13 : *Pluribus persuasio inerat antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profecti Judæâ rerum potirentur.*

§ II.

Utrùm Christo conveniant varii characteres quibus Prophetæ passìm Messiam designant.

Quæ de Messiâ Prophetæ vaticinati sunt ad quatuor facilè reducuntur : ortum scilicet, vi-

tam, mortem et quæ ejus mortem subsecutura erant. Hinc quatuor erunt puncta, in quibus ex veteris Testamenti oraculis ad Messiæ ortum, vitam, etc., pertinentibus cum evangelicâ narratione collatis, omnibus palàm fiet ea in Christo Jesu fuisse completa, ac proindè ipsum esse Messiam à Deo promissum.

PUNCTUM I.

De Prophetarum Oraculis Messiæ ortum spectantibus.

CONCLUSIO.

Omnia Prophetarum oracula de Messiæ ortu in Jesu Nazareno completa sunt.

Prob. Ad Messiæ ortum pertinent 1.° origo ipsius, 2.° generationis modus, 3.° locus et circumstantiæ ejus nativitatis : porrò quæcunque Vates sacri prænuntiaverunt de Messiæ origine, etc., in Christo Jesu completa sunt.

I. *De Messiæ Origine.* Etenim ex Prophetarum vaticiniis Messias oriri debuit ex Davide, et consequenter ex patriarchis Judâ, Jacob et Abraham. In re tam apertâ et à Judæis concessâ hìc unum appellare sufficiat Jeremiæ textum, c. 23, ℣. 5 : *Ecce dies venient, dicit Dominus : et suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium in terrâ..., et hoc est nomen ejus quod vocabunt eum, Dominus justus noster :* atqui reverà Jesus Christus ex Davide ortum habuit, ut constat ex ipsius genealogiâ quam texuêre Matth. c. 1, et Luc. c. 2 ; ergo, etc.

II. *De Generationis modo.* Namque, juxta

Prophetarum oracula Messias nasci debuit ex Virgine : atqui Christus Jesus ex Mariâ Virgine natus est ; ergo, etc. *Minor* constat ex Evangelio, Matth. c. 1, ℣. 18 et Luc. c. 1, ℣. 31. Sic habet prior : *Christi generatio sic erat : cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.*

Major itaque *prob.* ex Isaiæ, c. 7, ℣. 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Undè sic arguere licet : Ibi Messias prædicitur ex Virgine generandus, modò Propheta Virginem parituram prænuntiet, et Emmanuelis nomine Messias designetur : atqui hæc duo constant.

Et 1.° Propheta Virginem parituram prædicit, quod triplici ratione probatur. 1. Ex significatione vocis *Alma*, quæ denotat virginem semper absconditam et viro intactam, ideòque nunquàm vocibus *concipere, parere* conjungitur, præsertìm cùm ei præfigitur particula *He*, quasi diceres *Haalma*, seu Virginem singularem et præstantissimam. 2. Ex auctoritate omnium antiquarum versionum, Chaldaicæ nempè, Syriacæ, Arabicæ et LXX, quæ nostræ interpretationi consentiunt. 3. Ex contextu et scopo Prophetiæ. Non enim commune quidpiam, sed rem stupendam et omninò portentosam indicat Propheta : *Pete tibi signum à Domino*, inquit Isaias regem Achaz alloquens, *sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà.* At cùm rex impius, sub specie pietatis, respondisset : *Non petam et non tentabo Dominum*, statìm zelo Dei succensus subjungit Vates sacer : *Audite ergo, domus David.... dabit*

Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet, etc. : atqui si de puellâ quæ secundùm naturæ leges mater fieret, hæc ultima verba intelligantur, quid miraculosum ac stupendum habebit signum ab Isaiâ prænuntiatum ?

2.° Emmanuelis nomine Messias in hoc oraculo designatur. Etenim, teste D. *Drach*, oper. cit. pag. 106, fatentur omnia Rabbinorum commentaria Emmanuelem quem Isaias hìc prædicit ex Virgine nasciturum, eumdem esse filium qui ab eodem Prophetâ, c. 9, ℣. 6, vocatur *Admirabilis, Deus, Pater futuri seculi*; de quo dicitur quod *multiplicabitur ejus imperium, et super solium David sedebit usque in sempiternum.* Insuper, de eodem in utroque loco sermonem esse satis declaratur ex serie totius oraculi contextûs, utì fusè probat Card. *de la Luzerne*, opere cit., cap. 2, art. 4, § 3, n. 5 : atqui, juxta Judæorum traditionem et veterem Paraphrasim Chaldaicam, Messias est ille qui prædictis characteribus ab Isaiâ, c. 9, depingitur. Et reverà, quis alter nisi Messias titulis adeò magnificis decorari potuisset ? Ergo Emmanuelis nomine Messias in nostro oraculo designatur ; aliundè, etc. ; ergo, etc.

III. *De Loco et Circumstantiis ortûs Messiæ.* Etenim 1.° Messias nasci debuit in Bethleem, Mich. c. 5, ℣. 2 et 5 : *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es* (locus) *in millibus Juda ; ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel : et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis... et erit iste pax.* In hoc textu rem esse de Messiâ constat tum ex discussione ; quis enim præter Messiam dici potuit sine addito : *Dominator in Israel, pax, egressus à diebus æternitatis ?*

tum ex auctoritate veterum Judæorum, ut colligitur ex Matth. c. 2 : *Herodes congregans omnes principes Sacerdotum et scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur, at illi dixerunt : in Bethleem Juda; sic enim scriptum est per Prophetam*, etc. 2.° Ex Prophetis Messias vocari debuit Jesus, id est *Salvator*, Zach. c. 9, ℣. 9 : *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator.* 3.° Adorandus erat à Magis, Psal. 71, quem de Messiâ intelligendum esse fatentur veteres Judæi, ℣. 10 : *Reges Tharsis et Insulæ munera offerent : Reges Arabum et Saba dona adducent... et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ.* Isaiæ, c. 60, ℣. 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Hic est Rex Messias*, aiunt Judæi in *Beresch. rabba*, adv. 6, c. 25 Gen.

Atqui hæc tria completa sunt in Jesu Christo : 1.^{um} quidem, Matth. c. 2, ℣. 1 : *Cùm natus esset Jesus in Bethleem Juda :* 2.^{um} quoque, Luc. c. 2, ℣. 21 : *Postquàm consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* 3.^{um} Deniquè, Matth. c. 2, ℣. 11 : Magi *intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.*

Dices: Jesus in Scripturis vocatur Nazaræus, Joan. c. 1, ℣. 45 ; ergo ex Nazareth oriundus erat.

Resp. Nego conseq. Nazaræi vocabulum accepit Jesus propter locum non in quo natus erat, sed quem ejus parentes incolebant, et in

quo ipse fuerat educatus : hanc nobis explicationem suppeditat Matth. c. 2, ℣. 23 : *Veniens*, inquit (Joseph cum puero Jesu), *habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.*

PUNCTUM II.

De Prophetarum oraculis Messiæ vitam spectantibus.

CONCLUSIO.

Quæ de vitâ Messiæ nuntiaverunt Prophetæ in Jesu Christo completa sunt.

1.° Messias præcursorem habere debuit, Isaiæ c. 40, ℣. 3 et 4 : *Vox clamantis in deserto : parate viam Domini*, etc. Et Malach. c. 3, ℣. 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Hæc testimonia de Messiâ Judæos intellexisse constat apud Huetium, Dem. Evang., Propos. 7.ª, n. 15 et 30 : atqui Jesus præcursorem habuit Joannem Baptistam, Matth. c. 3; Marc. c. 1, ℣. 2, 3 et 4; Luc. c. 3, ℣. 3, 4, 5 et 6.

2.° Pauperem et humilem vitam ducturus erat Messias, Zach. c. 9, ℣. 9 : *Ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam :* illud autem Jesu Christo maximè convenit, Matth. c. 8, ℣. 20 : *Vulpes*, inquit Christus, *foveas habent, et volucres cœli nidos ; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

3.° Messias præconis munia obire debuit,

Isaiæ c. 55, ℣. 4 : *Ecce testem populis dedi eum ducem ac præceptorem gentibus*, et c. 61, ℣. 1, 2 : *Spiritus Domini super me ut... prædicarem captivis indulgentiam et claudis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino* : atqui Christus hæc omnia complevit, Matth. c. 9, ℣. 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.*

4.° Messias inter prædicandum debuit miracula operari, morbos expellere, etc. ; apud Isaiæ c. 35, ℣. 4, 5, 6 : *Deus ipse veniet et salvabit vos ; tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum :* atqui Jesus per semetipsum et per discipulos innumera patravit miracula, Matth. c. 11, ℣. 2, 3, 4, 5 : *Joannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, etc. Respondens Jesus ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis ; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

Obj. 1.° Ipse Joannes præcursor Christi dubitavit an Jesus esset Messias ; misit enim duos ex discipulis suis qui nomine ipsius dicerent : *Tu es qui venturus es*, etc. ; ergo vita Christi perfectè non congruebat oraculis Prophetarum ad vitam Messiæ pertinentibus.

Resp. Nego ant. Joannes in carcere detentus non misit discipulos suos qui Jesum de missione suâ interrogarent ; non eos, inquam, misit, tanquam hâc de re dubius ; jam enim Christo

testimonium perhibuerat, Joan. c. 1, ℣. 29: *Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* sed ut discipulorum animos ipsis Christi verbis, miraculis et aspectu in eâdem fide confirmaret.

Obj. 2.° Messias pacem afferre debuit: atqui Christus non pacem sed gladium attulit mundo, ut ipse testatur, Matth. c. 10, ℣. 34; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Messias pacem afferre debuit spiritualem, *conc.*; temporalem et mundanam, *nego:* solutio patet. Cæterùm, quandò dixit Jesus: *Non veni pacem mittere sed gladium*, non ita loquebatur quasi ipse futurus esset causa efficiens et propriè dicta dissentionùm et belli; sed quòd propter hominum *nequitiam* qui Evangelium ferre non possent, occasionem per accidens bello et inimicitiis præberet.

Obj. 3.° Ex Prophetis Messias futurus erat rex potens, bellator fortis, cunctarum domitor gentium, Jerem. c. 23, ℣. 5; Num. c. 24, ℣. 17; Psal. 71, ℣. 9, 10 et 11: atqui Jesus Christus hisce titulis non fuit decoratus; natus est enim in stabulo, vixit pauper, et rejectus est à propriâ gente, morte turpissimâ affectus est; ergo, etc.

Resp. Nego min. His titulis spirituali sensu intellectis decoratus est Jesus; regnum enim habet spirituale; hinc Pilato interroganti eum an Judæorum rex esset, respondit: *Tu dicis;* ne quis autem ipsum de regno terreno interpretaretur, subdidit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Item bellator fortissimus exstitit mortem suâ morte destruendo, peccatum abolendo, Joan. c. 12, ℣. 31: *Nunc judicium*

est mundi, inquit Jesus, *nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs.* Cunctas deniquè domuit gentes, eas scilicet ad verum suî cultum convertendo : *Ego si exaltatus fuero*, inquiebat, *omnia traham ad me ipsum ;* quod ultrà quàm credi potest, mirificè confirmavit eventus ; ergo, etc.

Inst. 1.° Regnum Messiæ terrenum esse debuit : atqui ex concessis regnum Jesu Christi non fuit de hoc mundo ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Regnum Messiæ, non semel à Prophetis sub imagine terrestris imperii depictum, spirituali sensu accipiendum esse ex eo solo probatur, quòd si Scripturæ textus quibus Messiæ regnum describitur litteraliter et juxta corticem intelligantur, jam contradicunt aliis clarioribus Scripturarum testimoniis. Namque ex jam dictis necnon ex dicendis posteà, vaticinati sunt Prophetæ Messiam pauperem acturum esse vitam, ipsum à propriâ gente negandum, saturandum opprobriis et occidendum fore ; in cujus sceleris pœnam urbs et templum in finem dissipanda erant : atqui hæc omnia clariùs in Scripturis prænuntiata conciliari non possunt cum iis quæ Rabbini fingunt de terreno Messiæ regno, de victoriis ab eo per ferrum et ignem reportandis, de templo Jerusalem pro tertiâ vice restaurando ; ergo, etc.

Inst. 2.° Isaiæ, c. 9, ℣. 7, Messias *super solium David et super regnum ejus sedebit :* atqui regnum Davidis terrestre fuit ; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Messias regnum Davidis occupaturus est, sed diversâ ratione et sub diversâ formâ, *conc.* ; eodem planè modo, *nego.*

Itaque Messias dicitur à Prophetis regnum Davidis obtenturus, eo quòd spiritualiter recturus sit populum Dei quem præfatus rex temporaliter gubernavit. Hinc utriusque regnum ex aliquâ parte unum idemque fuit, ex alterâ verò parte diversum ; conveniunt inter se propter eumdem cui ambo præfecti sunt populum, differunt autem ratione modi seu formæ regiminis. Et verò in eodem qui nobis objicitur textu, regnum Messiæ finis expers declaratur : *Multiplicabitur ejus imperium*, inquit Propheta, *et pacis non erit finis : super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud amodò et usque in sempiternum :* atqui regnum temporale in æternum subsistere nequit ; ergo regnum utriusque, Messiæ scilicet et Davidis, non secundùm eamdem formam esse debuit.

Inst. 3.° Veteres Judæi ante adventum Messiæ putârunt ipsum fore regem terrenum : propterea Herodes, cùm audivisset à Magis stellam Messiæ præsagam apparuisse, mortem ipsius statìm decrevit, timens ne Messias ille terrenum sibi regnum eriperet ; ergo, etc.

Resp. Nego conseq. Fateor equidem Judæos versùs Christi ætatem in hanc descendisse sententiam : sed in hoc errârunt nimio scilicet quo temporalibus ardebant affectu decepti. Quoad veteres Judæos, Prophetis viciniores, quid circa præsentem quæstionem opinati fuerint, incertum manet : fortassis, propter materiæ obscuritatem, assensum cohibuerunt suum. Quidquid sit, eventus fugavit offusas Prophetarum vaticiniis tenebras, ita ut ampliùs dubitari non liceat quin Messiæ regnum

spiritualiter accipiendum sit. Hinc novum istud insurgit argumentum : ad summum, si res in se et independenter ab eventu spectetur, dubium est an Prophetarum oracula de regno Messiæ crassiori et terreno sensu intelligi debeant ; hæc propositio evidens erit cuilibet Prophetias de Messiâ secum invicem conferenti ; ergo dilucidandæ sunt ex eventu : porrò eventus apertè demonstrat regnum Messiæ non temporalibus, sed spiritualibus bonis contineri ; ergo, etc.

PUNCTUM III.

De Vaticiniis Prophetarum circa Messiæ mortem in Jesu Christo adimpletis.

CONCLUSIO.

Quæ vaticinati sunt Prophetæ circa necem Messiæ inferendam et mortis ipsius circumstantias in Jesu Christo completa sunt.

Prob. Messias 1.° debuit ab amico prodi, Ps. 40, ℣. 10 : *Homo pacis meæ... magnificavit super me supplantationem ;* 2.° triginta denariis vendi, Zach. c. 11, ℣. 12 : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos ;* 3.° à suis deseri, Zach. c. 13, ℣. 7 : *Percute pastorem et dispergentur oves ;* 4.° falsos testes experiri, Ps. 26, ℣. 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui ;* 5.° accusationibus non respondere, Isaiæ, c. 53, ℣. 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum ;* 6.° alapas, sputa et omnis generis contumelias pati, Isaiæ c. 50, ℣. 6 : *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me,* et Jerem.

Thren. c. 3, ℣. 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis;* 7.° crucem subire, Ps. 21, ℣. 17 : *Foderunt manus meas et pedes meos;* 8.° inter sceleratos medius interfici, Isaiæ c. 53, ℣. 12 : *Cum sceleratis reputatus est;* 9.° à prætereuntibus irrideri, Ps. 21, ℣. 8 : *Omnes videntes me deriserunt me;* 10.° felle et aceto potari, Ps. 68, ℣. 22 : *Dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto;* 11.° super vestes ejus sors mitti, Ps. 21, ℣. 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem;* 12.° pro persecutoribus et transgressoribus orare, Ps. 108, ℣. 4 : *Detrahebant mihi, ego orabam,* et Isaiæ c. 53, ℣. 12 : *Pro transgressoribus rogavit;* 13.° à patre derelinqui, Ps. 21, ℣. 2 : *Deus, Deus meus... quarè me dereliquisti?* 14.° in latere transfigi, Zach. c. 12, ℣. 10 : *Aspicient ad me quem confixerunt;* 15.° ipsius ossa non frangi, Exod. c. 12, ℣. 46 : *Os illius non confringetis* (agni scilicet paschalis qui Messiæ typus erat). Atqui hæc omnia in Christo Jesu completa sunt : 1.° traditus est à familiari, Judâ scilicet, Matth. c. 26, ℣. 48 : *Judas qui tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum;* 2.° triginta denariis venditus, ibidem, ℣. 15 : Judas Iscariotes ait principibus sacerdotum : *Quid vultis mihi dare et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos;* 3.° à discipulis suis derelictus est, ibidem, ℣. 56 : *Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt;* 4.° accusatus fuit à falsis testibus, ibid., ℣. 59 : *Quærebant falsum testimonium*

contra Jesum... et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent; 5.° accusatus siluit, ibid., ℣. 62 : *Surgens princeps sacerdotum ait : nihil respondes ad ea quæ isti adversùm te testificantur? Jesus autem tacebat;* 6.° Sputis conspersus et alapis cæsus est, Matth. c. 27, ℣. 29 et 30 : *Milites... illudebant ei dicentes : Ave, rex Judæorum, et expuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus;* 7.° crucifixus est, Luc. c. 23, ℣. 33 : *Postquàm venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum;* 8.° cum sceleratis reputatus est, Matth. c. 27, ℣. 38 : *Crucifixi sunt cum eo duo latrones : unus à dextris et unus à sinistris;* 9.° à prætereuntibus derisus fuit, ibid., ℣. 39 : *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua;* 10.° felle et aceto est potatus, ibid., ℣. 34 : *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum;* et ℣. 48 : *Currens unus ex eis accepit spongiam et implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere;* 11.° sors missa est super vestem ejus, Joan. c. 19, ℣. 24 : *Dixerunt* milites *ad invicem : non scindamus eam* (nempè tunicam ejus), *sed sortiamur de illâ cujus sit;* 12.° pro persecutoribus suis oravit, Luc. c. 23, ℣. 34 : *Jesus dicebat : Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt;* 13.° à patre derelictus est, Marc. c. 15, ℣. 34 : *Exclamavit Jesus voce magnâ, dicens : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* 14.° in latere transfixus est, Joan. c. 19, ℣. 34 : *Unus militum latus ejus lanceâ aperuit;* 15.° ipsius ossa confracta non fuêre, ibid., ℣. 33 : *Ad Jesum cùm venissent*

milites, *ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura... ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.*

Obj. Quæ Prophetarum oracula in probationem attulimus maximè sumuntur ex Isaiâ, c. 53, et Psalm. 21: atqui de Messiâ in his non agitur; ergo, etc.

Resp. Nego min. Isaiam de Messiâ loqui, c. 53, constat 1.° *Ex contextu.* Namque, ℣. 7 et sequentibus capitis 52 indubiè agitur de Messiâ: *Quàm pulchri,* inquit Isaias, *super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem..... Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri..... Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt: et qui non audierunt, contemplati sunt.* Quis, præter Messiam, mundo pacem et humano generi salutem afferre debuit? ipse profectò solus potuit vocari brachium Domini sanctum et salutare Dei. Quis, præ ipso, exaltandus, elevandus et valdè sublimandus fuit? quis deniquè, præter ipsum, gentes aspersurus? constat ergo Messiam designari ℣. 7 et sequentibus citati capitis Isaiæ, sicuti docuerunt Judæi veteres et Targum, seu Paraphrasis Chaldaica quæ verba, *Ecce intelliget servus meus,* sic vertit: *Ecce prosperabitur servus meus* MESSIAS: atqui c. 53 Isaiæ agitur de eodem

de quo sermo est ℣. 7 et sequentibus cap. 52, tum quia capitis utriusque series et junctura tam perspicua est legenti, ut continuæ orationis videatur esse complexio; tum quia inter utrumque magnam cernere est analogiam et similitudinem; dicitur enim ℣. 14, c. 52 : *Inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum :* quibus respondent ista, c. 53, ℣. 2 : *Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus;* tum quia Judæi ex utroque unicam ordine trigesimam prophetiam constituunt.

Constat 2.° *Ex eventu.* Nimirùm quæ vaticinatus est Isaias c. 52 et 53, tam accuratè Jesu Christo congruunt, ut negari non possit Jesum velut Messiam ab Isaiâ, seu potiùs à Spiritu Sancto, cujus motu vaticinabatur, intentum fuisse.

Constat 3.° *Ex plurium etiam Judæorum testimoniis* quæ videris apud Huetium, Demonst. Evang., Prop. 7.ª

Constat 4.° Ex eo quod Judæi ab hâc nostrâ opinione recedentes, incerti quò pedem figant, in varias et oppositas coguntur abire sententias omninò intolerabiles. Apud Isaiam c. 53, Justum quemlibet exprimi volunt quidam recentiores, plurimi Judaicam gentem, alii regem Josiam in campis Mageddo occisum, aliqui Jeremiam : quarum opinionum falsitas ex eo patet quod characteres illius quem ibi repræsentat Isaias nec justo cuivis, nec populo Judaico, nec Josiæ, nec Jeremiæ, aut alteri cuilibet à Messiâ distincto conveniant. Quis enim illorum vulneratus est propter iniquitates nostras, aut cujus eorum livore sanati sumus? Vide *Hooke*, tom. 2, pag. 431 et seqq.

Non minùs constat de Messiâ sermonem fieri Ps. 21; in eo quippe tam graphicè depinguntur variæ passionis Christi circumstantiæ, nimirùm ejus derelictio, opprobria quibus oneratus est, pedum manuumque transfossio, vestimentorum divisio, etc., ut Psaltes regius historici partes non Vatis egisse videatur.

Inst. 1.° Ps. 21, ℣. 7, hebraicè legitur *caari*, id est, sicut leo, non autem *caarou*, latinè, foderunt, ita ut sensus sit: impii sicut leo *manus meas et pedes meos;* ergo malè asseritur crucis supplicium in hoc versu exprimi.

Resp. Nego ant. Fateor quidem Rabbinos à duodecimo seculo legere *caari*, sicut leo, sed ex ipso Judæorum testimonio, *caarou* legebatur in quibusdam vetustis exemplaribus optimæ notæ: porrò hæc secunda lectio tenenda est 1.° quia sensum aliquem præfert qui tamen deficit in alterâ; 2.° quia LXX interpretes omnium antiquissimi ante omnem eâ de re litem verterunt ut nos legimus, *foderunt*; 3.° quia veteres Judæi legebant *caarou*, foderunt, alioquin SS. PP. non omisissent eorum alteram lectionem impugnare, quod tamen nullibi fecerunt.

Inst. 2.° Duplex admitti debet Messias, alter obscurus, opprobrio saturandus et occidendus, alter verò gloriosus, victoriis suis et imperii sui diffusione conspicuus: atqui, positâ semel hujusmodi distinctione, nihil obstat quominùs dicatur Isaiæ c. 53, agi quidem de Messiâ gradûs inferioris, obscuro scilicet; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Hæc duplicis Messiæ distinctio quibusdam Rabbinis olim probata et à plerisque hodiè eorum rejecta defendi nequit,

1.° quia nullo nititur fundamento; 2.° quia in Prophetis idem omninò Messias et gloriosus et humiliatus, prosperè succedens et vir dolorum exhibetur, ut ex c. 52 et 53 Isaiæ et Dan. c. 9 satis patet ex jam dictis.

PUNCTUM IV.

De Prophetarum Oraculis quæ Messiæ necem subsecutura erant, in Christo Jesu adimpletis.

CONCLUSIO.

Quæ vaticinati sunt Prophetæ de his quæ Messiæ necem subsecutura erant in Christo Jesu completa inveniuntur.

Prob. Messias debuit 1.° à mortuis resurgere, Ps. 15, ℣. 9 : *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, de quo lege Act. c. 2, ℣. 26, et c. 13, ℣. 35. 2.° In cœlum ascendere, Ps. 67 : *Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem*; Ps. 109 : *Dixit Dominus Domino meo : sede à dextris meis.* Quem locum de Messiâ intelligunt Judæi, Matth. c. 22, ℣. 44. 3.° Spiritum Sanctum mittere, Joel. c. 2, ℣. 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem.* 4.° Gentes ab idololatriâ ad verum Dei cultum adducere, Isai. c. 49, ℣. 6 : *Ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terræ* : atqui hæc omnia impleta sunt in Jesu Christo, ut constat tum ex Evangeliis, Marc. c. 16, ℣. 6, 19, 20, et Act.,

c. 2; tum ex mirabili Religionis Christianæ propagatione, de quâ infrà dicemus. Scio equidem Judæos ejusmodi facta in libris novi Testamenti scripta credere nolle; sed, ipsorum incredulitas tot tantisque momentis impugnatur, ut manifestè pateat mentes eorum obcæcatas fuisse, sicutì prædixerat Isaias, c. 6, ℣. 10: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude.*

Quàm meritò igitur inferre licet cum D. *Drach*, olìm Rabbino, nuper ad fidem Christianam converso, omnia Prophetarum oracula quæ Messiam spectant, in Christo Jesu suum exitum habuisse. Doctissimi viri confessionem hìc referre juvat: *Dans cet examen attentif du texte sacré, je vis clairement que toutes les prophéties ne forment, si j'ose m'exprimer ainsi, qu'un grand cercle de la circonférence de quatre mille ans, dont tous les rayons aboutissent au centre commun, qui n'est, et ne peut être, que N. S. Jésus-Christ. Le Rédempteur du genre humain coupable depuis le péché d'Adam, tel est l'objet et l'unique but de toutes les prophéties, qui concourent à nous le signaler de manière à ne pouvoir pas le méconnaître. Elles forment, dans leur ensemble, le tableau le plus parfait. Les Prophètes les plus anciens en retracent la premìère esquisse; à mesure qu'ils se succèdent, ils achèvent les traits laissés imparfaits par leurs devanciers. Plus ils approchent de l'événement, plus leurs couleurs s'animent; et quand le tableau est terminé, les artistes disparaissent. Le dernier, en se retirant, a soin d'indiquer le personnage qui doit en lever le voile: « Voici que je vous envoie,*

» *dit-il, au nom de l'Eternel, Elie le Prophète* » *(Jean-Baptiste), avant que vienne le jour* » *grand et redoutable du Seigneur.* »

COROLLARIUM.

Ergo Christiana Religio ex prophetiis in Christo adimpletis divina probatur.

Etenim, illa Religio divina est in cujus auctore impleta sunt prophetiæ quæ divinam ejus missionem adstruunt : atqui in Christo Religionis Christianæ auctore impletæ sunt, etc. Res ita est, modò prophetiæ in Christo impletæ, saltem collectivè sumptæ, gaudeant dotibus quæ veram et proprii nominis prophetiam demonstrant : porrò prophetiæ in Christo impletæ omnibus, etc., ut illarum dotum enumeratione patebit.

1.° Quidem vaticinia in Christo adimpleta eventum præcessêre. Namque Judæi, licèt Religioni Christianæ hostes infensissimi, nobis asservant et exhibent codices in quibus continentur illæ prophetiæ, eosque ut sacros et authenticos venerantur, ut jam suprà dictum est: porrò quis sibi persuadeat Judæos eò unquàm adductos fuisse ut tanquam authenticos reciperent libros quos suppositities rescivissent, et quibus eorum pervicacia tam apertè damnatur. Et certè sacri illi Codices ducentis circiter annis ante Christi ætatem à LXX interpretibus in linguam græcam translati sunt, et tempore Christi adventûs non solùm apud Judæos, sed inter Paganos erant diffusi ; ut quis igitur potuisset libros illos supponere vel adulterare, non modò textum hebraicum, sed et græcam

versionem confingere aut interpolare debuisset: utrumque repugnat.

2.° Eventus prophetias adeò perfectè adimplevit ut diceres Prophetas *non de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere*, inquit Hieronymus, et ex dictis satis constat.

3.° Eventus quos sacri Vates prænuntiant ejusmodi sunt ut naturaliter prævideri non potuerint. Id manifestum est modò attendatur 1. *ad naturam* factorum quæ prænuntiantur, quorum alia naturæ vires excedunt, v. g., miracula; alia à liberâ Christi vel hominum determinatione pendent, ut mortis Christi genus et circumstantiæ, gentium conversio, etc. 2. Ad factorum prædictorum *circumstantias*, temporis scilicet, loci, personarum, etc., quæ licèt multitudine quasi infinitæ, diversæ, arbitrariæ, clarè et minutatim prænuntiatæ, accuratè tamen et adamussim adimpletæ sunt. 3. *Ad pugnam apparentem* quæ in nonnullis vaticiniis deprehenditur, v. g., cùm de Messiâ dicitur quòd futurus sit Dominator et virorum Novissimus, Bellator et Pacificus, etc. 4. Ad temporis *intervallum* quod prophetias ab eventu disjungit.

4.° Prophetiæ illæ casu fortuito adimpleri non potuerunt. Non enim ab uno tantùm Prophetâ, sed à successione Prophetarum per longum seculorum decursum, Messias, cum omnibus propè innumeris adjunctis vitæ, mortis, et eorum quæ ejus necem subsecutura essent, accuratè prænuntiatur: porrò absurdum foret adeò perfectam prophetiarum cum tot eventibus consensionem, in casum merè fortuitum refundere; ergo, etc.

ARTICULUS II.

De Prophetiis à Christo editis.

CONCLUSIO.

Ex prophetiis à Christo editis demonstratur Religionis Christianæ divinitas.

Prob. Illa Religio verè divina est, cujus auctor, prophetiis vim probantem habentibus, suam confirmavit missionem : atqui Christus, etc. Multa quippè vaticinatus est sive de seipso, sive de suis discipulis, sive de suâ Religione, sive de Judæis.

1.° Christus de seipso prædixit passionis suæ tempus et circumstantias, mortis genus, suamque resurrectionem, Matth. c. 16, ℣. 21; c. 17, ℣. 9, 21 et 22; c. 20, ℣. 17, 18 et 19.

2.° De suis Discipulis vaticinatus est Judæ proditionem, Matth. c. 26, ℣. 21 et seqq. : trinam Petri negationem, et quidem præfixo tempore, *in hâc nocte, antequàm gallus cantet*, Matth. c. 26, ℣. 34 : prænuntiavit fore ut, postquàm cœlos conscendisset, Spiritum Sanctum in Apostolos effunderet, cujus virtute non solùm intrepidi illius testes existerent, sed splendidiora patrarent miracula, Joan. c. 16; Act. c. 1, ℣. 8; Joan. c. 14, ℣. 12.

3.° De suâ Religione prædixit suum *Evangelium in toto mundo* prædicandum, Matth. c. 26, ℣. 13; omnes gentes ad ipsius fidem, rejecto idolorum cultu, esse pertrahendas, Joan. c. 12, ℣. 32 et 33; et suam Religionem usque ad finem mundi esse duraturam, Matth. c. 16 et 18.

4.° De Judæis inter alias insignis est prophetia

quâ Christus Jerosolymæ cladem, templi ruinam et Judaicæ Reipublicæ subversionem citò futuram prænuntiavit cum omnibus circumstantiis quæ catastrophen illam præcedere, comitari vel subsequi debuerunt, Matth. c. 24; Marc. c. 13; Luc. c. 19 et 21.

Jam verò prophetiæ illæ gaudent omnibus dotibus requisitis ut vim probantem habeant. 1.° Ante eventum editæ fuerunt. Quod *generatim* probatur, 1. quia referuntur in libris quos authenticos, integros et veraces jam suprà demonstravimus; *speciatim* verò, quia plures ex illis sunt Apostolis probrosæ, easque proindè ab ipsis confictas esse supponi non potest. 2. Quia Judæis ut plurimùm notæ erant eo tempore quo à Christo editæ sunt, ut patet, v. g., ex prophetiâ quâ suam resurrectionem prænuntiaverat; siquidem postquàm corpus ejus tumulo conditum est, Judæi Pilatum adeunt dicentes: *Recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam*, Matth. c. 26, ℣. 63. 3. Quia tres Evangelistæ qui vaticinium de subvertendâ Jerosolymâ referunt, ante eventum scripsêre; Joannes verò qui post ruinam urbis suum conscripsit Evangelium de hâc prophetiâ omninò silet, etc. Adde quòd ex historicis monumentis certum est nullum in obsidione urbis Jerosolymæ Christianum periisse; cùm enim audierunt Fideles Romanorum exercitum appropinquare, juxta Christi consilium fugere cœperunt. Ex quo demonstratur vaticinium de urbis eversione non fuisse post eventum confictum.

2.° Evidens est eventus prophetiis apprimè quadrare, ut nemo diffitetur. De clade Judæo-

rum lege Josephum, de Bello Judaico, et Tacitum, Hist. lib. 5, cap. 13.

3.° Nec minùs constat eventus, quorum plures ordini consueto naturæ adversantur, v. g., Christi resurrectio, et illius Religionis propagatio, quorum alii à liberâ hominum voluntate pendebant, naturaliter prævideri non posse; maximè, si attendatur circumstantias nonnullorum ex iis eventibus, v. g., Reipublicæ Judaicæ cladis, adeò multiplices esse, singulares, incredibiles.

4.° Nec sine manifestâ absurditate dici posset eventus prænuntiatos cum minutissimis eorum adjunctis casui fortuito esse tribuendos; ergo, etc.

SECTIO III.

De aliis tum internis, tum externis Divinitatis Characteribus in Christianâ Religione conspicuis.

Tres erunt articuli, 1.us de Christianæ Religionis excellentiâ, et vitâ præcellenti Christi ejus fundatoris; 2.us de Propagatione illius Religionis; 3.us de Martyribus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Christianæ Religionis excellentiâ, et vitâ præcellenti Christi ejus auctoris.

CONCLUSIO.

Christiana Religio divina probatur ex illius excellentiâ, et vitâ præcellenti Christi ejus auctoris.

Hujus conclusionis probationes vindicare

Theologorum est, exponere Oratoris Christiani.

Itaque 1.° in Religione Christianâ spectanda occurrunt, 1.° ipsius dogmata; 2.° præcepta moralia; 3.° consilia; 4.° salutis media; 5.° tandem sanctio. Quanta verò in ejus dogmatibus perlucet dignitas et sublimitas! Quanta in præceptis moralibus puritas et sanctitas! Quanta in consiliis ejus perfectio! Quanta in salutis mediis et sanctione legis virtus et efficacia! 2.° Christi præcellens sanctitas satis constat ex narratione Evangelistarum, quos veraces fuisse jam probatum est; et aliundè, ut ait Civis Genevensis, *ce n'est pas ainsi qu'on invente; et l'Evangile a des caractères de vérité si grands, si frappans, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros.* Jam verò tanta in vitâ Christi sanctitas et perfectio hominis certè non est, ut fateri coactus est Civis ipse Genevensis: *Se peut-il*, inquit, *que celui dont l'Evangile fait l'histoire ne soit qu'un homme? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses mœurs! Quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation... Quel aveuglement ne faut-il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre...! Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus-Christ sont d'un Dieu.*

Superest itaque ut ea solvamus quæ vulgò

contra 1.am conclus. partem à Deistis objiciuntur, videlicet,

Objiciunt 1.° Religio Christiana 1. jubet inimicorum dilectionem et vindictam prohibet; ergo nec hostium vim nec injusti raptoris audaciam repellere licebit, quod adversatur bono societatis. 2. Præcipit humilitatem seu contemptum suî, sicque æmulationem et gloriæ stimulum exstinguit, quibus homines ad præclara facinora excitantur. 3. Voluntarias corporis afflictationes commendat quibus homo sese lento conficit homicidio. 4. Consulit paupertatem quæ inertiam et segnitiem parit, artes, industriam, commercium perimit. 5. Cœlibatum commendat qui societatem orbat innumeris propè membris, etc.; ergo, etc.

Resp. 1.° *generatìm*. Religio Christiana divina est, ex probatis; ergo nihil est quod in eâ vituperari aut reprehendi possit. Et verò, eò præcipuè tendit objectio ut Christianam Religionem exhibeat tanquam societati nocivam. Porrò, ut egregiè ait S. Augustinus, Epist. 128: *Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse Reipublicæ, dent exercitum talem quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales deniquè debitorum fisci redditores et exactores quales esse præcipit doctrina Christiana, et audeant eam dicere adversam esse Reipublicæ.*

Resp. 2.° *speciatìm* ad singula.

Ad 1.um: Religio Christiana præcipiendo inimicorum dilectionem permittit simul vim vi repellere, et docet à Deo constitutos esse prin-

cipes ad quos tanquam ad Dei ministros quisque recurrere potest in vindictam malorum quæ sibi inferuntur: prohibet duntaxat ne quisquam privatâ auctoritate vindictam sumat injuriæ illatæ, neque ex odii aut ultionis motivo, sed pro solâ sui juris defensione publicam auctoritatem in suî præsidium advocet.

Ad 2.um: In hoc consistit suî contemptus seu humilitas quam Christiana Religio præcipit, ut totum bonum quod habet homo à Deo acceptum agnoscat, et de hoc non glorietur, quasi non acceperit. Nedùm autem hic suî contemptus animum deprimat, majores è contrà addit stimulos ad sectandam virtutem, juxta illud Apostoli: *Cùm infirmor tùm potens sum... omnia possum in eo qui me confortat:* quod multis posset confirmari exemplis.

Ad 3.um: Docet ipsa ratio naturalis, et agnoverunt sapientiores inter veteres Ethnicos, pulchrum esse corpori non servire; idem proindè, imò et aliquid perfectius proponere potest Religio supernaturalis. Cæterùm, in Christianâ mortificatione ita tenendus est modus ut nec corpus officiis implendis impar fiat, nec animus ad suas obeundas functiones languidior.

Ad 4.um: Lege Evangelicâ damnantur otium et pigritia: *Si quis non vult operari, nec manducet, inquit* Apostolus, II Thess. c. 3. Paupertas Evangelica moderatam bonorum temporalium curam admittit, non solùm pro nobis ipsis, sed et pro iis quibus providere debemus, imò nec mandat nostris opibus effectivè renuntiare, sed *non sperare in incerto divitiarum... Divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere,* etc. I Timoth. c. 6.

Ad 5.^{um} : Lex Evangelica sanè non consulit imò et abhorret nefandum cœlibatum illorum qui ut vagis indulgeant libidinibus, sacrum conjugium fugiunt; attamen videre est istiusmodi homines Christianum cœlibatum virtutis amore susceptum acriùs insectari tanquam societati nocivum. Deindè, falsum est cœlibatum Christianum societati nocere; virtus enim et gloria societatis multò magìs pendent ex minori civium benè moratorum numero, quàm ex majori eorum qui ob dissolutos mores, grave detrimentum ordini publico afferunt. Hinc sequitur *bonum physicum*, quod ex paulò majori natorum numero oriri posset, abundè compensari *bono morali*, quod non solùm erga Religionem, sed etiam erga societatem, *precibus*, *exemplis*, consiliis, et operibus promovent ii qui pietate ducti cœlibi vitæ sese devovent.

Objiciunt 2.° Vigent apud Christianos horrenda vitia, pessimaque depravatio; ergo tanta non est ac prædicatur Christianæ Religionis efficacia ad hominum mores componendos.

Resp. 1.° Negare non possunt Increduli, statìm atque prodiit Christiana Religio, subitam fuisse apud Ethnicos morum conversionem : simile autem prodigium non alteri profectò causæ, quàm Christianæ Religionis divinæ virtuti et efficaciæ, tribuendum est.

Resp. 2.° *directè*. Quod publicos mores spectat, manifesta sunt permulta et maxima commoda quæ ex Christianismi indole et præceptis in leges civiles et consuetudines populorum effluxerunt; abrogata sunt in christianis regionibus expositio infantium, gladiatorum cer-

tamina, illimitata servitus, crudeles et obsceni religionum ritus, etc. Multarum gentium barbaries, admisso Evangelio, non parùm emollita fuit, stabilita magìs et consecrata est Principum auctoritas, matrimonii leges puriores et æquiores fuêre. Jam verò, ut ait S. Augustinus, *Hoc Christi nomini, hoc Christiano tempori tribuendum quisquis non videt, cæcus; quisquis videt nec laudat, ingratus; quisquis laudanti reluctatur insanus est,* De Civit. Dei, lib. 1, cap. 7.

Quod spectat mores privatorum, fatemur quidem luctuosis hisce temporibus mores in pejus mutatos fuisse, nosque à majorum innocentiâ longiùs distare : sed nihil indè concludi potest contra efficaciam Legis Christianæ, 1.° quia plurima et quidem nobilissima pietatis, charitatis, temperantiæ exempla etiamnùm inveniuntur, multique eorum qui evangelica præcepta ignavè sequuntur, deteriores futuri essent, nisi à teneris annis christianè instituti fuissent. 2.° Quia si rariora sunt, quàm par est, apud Christianos virtutum exempla, doctrinæ evangelicæ nequaquàm culpa est, sed eorum qui sanctissimæ huic disciplinæ mores componere detrectant.

ARTICULUS II.

De Propagatione Christianæ Religionis.

CONCLUSIO.

Christianæ Religionis propagatio est nota sufficiens divinæ illius originis.

Prob. Religio præjudiciis et cupiditatibus contraria, subsidiis humanis destituta, modis

omnibus impugnata, et tamen per universum orbem celeriter diffusa, nonnisi Deum suæ propagationis auctorem habere potuit : atqui ita se habet Religio Christiana.

1.° Quidem præjudiciis erat opposita; suadendum enim erat Judæis, ut Legis Mosaicæ ritus et cæremonias, quibus erant addictissimi, desererent; ut quem hominem, veluti nefandum impostorem, probrosâ morte damnaverant, eumdem tanquam verum Deum, genuinum Messiam et generis humani liberatorem agnoscerent et adorarent : atqui nihil erat à Judæorum præjudiciis magis alienum. Persuadendum erat Paganis ut, veluti inania simulacra rejicerent, quos hactenùs coluerant Deos; ut eorum templa et altaria everterent; ut sacrificia et superstitiones, quibus tot à seculis assueti erant, detestarentur; ut *Jesum* cruci à Judæis affixum, tanquam verum Deum, venerarentur : atqui hæc omnia ex adversâ fronte pugnabant cum receptissimis apud Paganos, et longo seculorum tractu formatis opinionibus; ergo Religio Christiana præjudiciis vetustate roboratis opposita erat.

2.° Et cupiditatibus. Nullibi enim vitiis indulget, sed omnibus bellum indicit; jubet motus animi intra moderationem coercere, sensus corporeos conflictare, voluptates fugere, inimicos diligere, injurias condonare, paupertatem amare, nos ipsos despicere, et alia multa quæ naturam humanam exterrent. Bona quidem suis cultoribus promittit, sed futura, sed nostris sensibus impervia; plurimùm ergo offendebat Religio Christiana cupiditates hominum quibus proponebatur.

3.° Humanis omnibus destituta *fuit* præsidiis, quæ novæ doctrinæ gratiam possunt conciliare. Quænam enim sunt potissima hæc adjumenta? Nonne dotes Præconum naturales? Nonne Principum auctoritas? Nonne temporalis emolumenti spes quædam injecta? Atqui omnibus illis subsidiis caruit Religio Christiana; ipsius nimirùm Præcones sunt piscatores, nullis divitiis, nullis viribus, nullâ eloquentiâ, nullis armis instructi; sed ignobiles, pauperes, illitterati; nullâ boni temporalis promissione gentes alliciunt, suis sectatoribus in præsenti vitâ nihil pollicentur præter ignominiam, ærumnas, supplicia; Principes autem ante Constantinum, non patronos, sed infensissimos hostes habuit Religio Christiana.

4.° Modis omnibus impugnata fuit. Statìm ab hujus incunabulis, in ipsius excidium conspirabant ubique vigens Paganismus, Philosophorum subtilitas, Rhetorum eloquentia, Politicorum prudentia, populorum superstitio, Sacerdotum invidia, Judæorum perfidia, tyrannorum immanitas, et omnia suppliciorum genera.

5.° Non obstitêre tot difficultates, quominùs Religio Christiana per universum orbem sese brevì diffuderit. Tam stupendi progressûs testis est, exeunte I seculo, Plinius Asiæ proconsul: *Non civitates tantùm*, inquit, *sed vicos etiam atque agros christianæ superstitionis contagio pervagata est*, Lib. 1, Ep. 97. *Usque adeò*, ait Seneca apud Augustinum, *sceleratissimæ gentis christianæ consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus*

leges dederunt, Lib. de Civitate Dei, cap. 11. Testis inter Christianos occurrit S. Justinus Martyr, qui, medio II seculo, in suo Dialogo cum Tryphone asserere non dubitavit *nullum esse genus hominum, sive barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum populorum, quocunque nomine appellentur, apud quos non fiant preces patri et creatori omnium, per nomen Jesu crucifixi.* Tertullianus verò, III seculo, Romanos Antistites sic compellat: *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus; urbes, insulas, castella..... Castra ipsa, palatium, senatum, forum, sola vobis relinquimus templa*, Apol. cap. 37; ergo, etc.

Et verò, vel orbis universus Religionem Christianam amplexus est propter miracula, vel sine miraculis; si primum dixeris, divina est Religio Christiana; si secundum, omnium miraculorum maximum est, ab ignobilibus et infimæ plebis hominibus, tam latè celeriterque propagatam fuisse eam Religionem, quæ tot impedimenta superanda habuit; tanti enim prodigii solus Deus auctor esse potest. Eodem hoc argumento sic incredulos urget S. Augustinus: *Si, ... miracula facta esse non credunt, hoc unum nobis grande miraculum sufficit*, quod *terrarum orbis sine ullis miraculis crediderit*, Lib. 22 de Civit. Dei, cap. 5.

Obj. 1.° Ex celeri propagatione Religionis Christianæ ipsius divinitas concludi non potest, quin eodem argumento concludatur Paganismi, Mahumetismi, Lutheranismi et Calvinismi veritas ac divinitas; cùm tam celeres habuerint progressus cultus illi, quàm Religio Christiana: falsum consequens; ergo et antecedens.

Resp. Nego maj. Siquidem non præcisè ex celeri Christianismi propagatione in gratiam Christianæ Religionis arguimus ; sed ex illius propagatione in iis rerum adjunctis, quæ institutionem merè humanam in ipso ortu præfocavissent. Falsæ Religiones nihil simile exhibent. Paganismus quidem orbem universum occupavit ; sed Paganismi erroribus, quos peperit ignorantia et primævæ Religionis corruptio, nulla præjudicia obstiterunt, nulla repugnavit auctoritas ; imò et in præjudiciis et cupiditatibus passim invalescentibus, et in Legislatorum artibus maximum ubiquè præsidium reperit idololatria.

Mahumetana superstitio intra paucos annos latè propagata est, sed armorum vi, et continuis Mahumetis ipsiusque successorum victoriis ; nullibi persuasione et doctrinâ illam receptam et stabilitam videmus ; non nititur factis et argumentis quæ Mahumetani expendi patiantur, imò solemne est ipsis principium, de Religione cum infidelibus non esse disputandum. Prætereà, Religio illa ex variis Judaismi, Christianismi et superstitionum arabicarum principiis coalescens, eorum quibus primùm proposita est, opinionibus, præjudiciis, consuetudinibus mirè erat accommodata, atque etiam vitiis quibus illi magis dediti erant, non parùm favebat.

Deniquè, Lutheranismus non erat nova Religio, sed prætensa Religionis ubiquè receptæ emendatio, quam eò faciliùs principes nonnulli et populi admiserunt, quòd et principibus ingentes opes ordini ecclesiastico ablatas offerret, et populos multiplici officio liberos

faceret, vota, jejunia, confessionem, decimarum solutionem, aliaque non parùm molesta abrogando. Huic sectæ initio faverunt Reformatorum plerorumque facundia et eruditio, quorumdam pietas apparens, corrupti passim virorum ecclesiasticorum mores, superstitiones in Religionem per ignorantiam invectæ, intolerandi abusus et cætera ejusmodi quæ apud imperitos veri speciem doctrinæ Reformatorum induxerunt.

Obj. 2.° Religio Christiana ante Constantinum non obtinuit nisi apud plebem et ignarum vulgus novarum rerum semper avidum; ergo nihil habet divini propagatio Christianæ Religionis.

Resp. 1.° *Nego ant.* Nam Christo, etiam dùm viveret, plures adhæserunt discipuli, genere, conditione et doctrinâ conspicui, Nicodemus scilicet, princeps Judæorum, Joseph Arimathæus nobilis decurio, Zachæus princeps Publicanorum, Jairus unus è principibus Synagogæ, Sergius centurio, etc. Deindè post primas Apostolorum prædicationes, *multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei*, Act. c. 6, ℣. 7. Apud Paganos habemus Cornelium centurionem; Proconsulem Sergium Paulum; Athenis, Dionysium Areopagitam; Romæ, *plures de domo Cæsaris*, etc. Inter fideles priorum seculorum computantur Clemens senator romanus, Ignatius, Polycarpus, Quadratus, Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Origenes, Arnobius, Cyprianus, quos rudes indoctosque fuisse non dixerit qui eorum scripta et nomina noverit. Benè ergo scribit Hieronymus in præfatione ad catalogum scrip-

torum ecclesiasticorum : *Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, discant eorum sectatores qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint, ornaverint; et desinant fidem nostram rusticæ simplicitatis arguere, suamque potiùs imperitiam agnoscant.*

Resp. 2.° *Nego conseq.* Vulgus in iis quæ ad Religionem pertinent, non adeò est avidus rerum novarum, imò multò magìs est avitæ Religionis tenax, quàm esse solent potentes et sapientes hujus seculi, et præsertìm ubi omnia motiva humana in eâdem avitâ Religione plebem confirmant, præjudicia infantiæ, exempla Sacerdotum, auctoritas legum, potentia principum, et majorum suorum reverentia ; cùmque ex alterâ parte omnia deterrent à mutatione, doctrinæ molesta puritas et nimia in speciem severitas, fortunæ et vitæ periculum.

ARTICULUS III.

De Martyribus.

CONCLUSIO.

Ex Martyribus suis manifesta est Divinitas Christianæ Religionis.

Prob. Primis Ecclesiæ temporibus, innumeri Martyres pro defendendâ Christianâ Religione morti occubuerunt : atqui in illâ Martyrum fortitudine sese prodit divina virtus et supernaturalis providentia ; ergo ex suis Martyribus Religio Christiana vera et divina comprobatur.

Major est inconcussa, quidquid in contra-

rium dicat *Dowellus in sud* 11.ª *Dissertatione cyprianicâ*. Eam siquidem testantur non solùm antiqui Patres Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Lactantius, etc. Eusebius passìm in Hist. Eccl.; sed etiam Scriptores ethnici; Tacitus nempè, Annalium lib. 15, n. 44; Plinius proconsul in Asiâ, lib. 10, epist. 97; Celsus apud Origenem; ipse Julianus apostata. Idem prætereà adstruunt Imperatorum edicta, acta sincera Martyrum etiam nunc exstantia à Ruinartio collecta, Apologistarum Christianæ Religionis supplicationes Senatui et Imperatoribus oblatæ, orationes SS. PP. ad Martyres, basilicæ nominibus Martyrum insignitæ, et alia innumera invictæ fidei monumenta.

Minor non minùs constat, si attendatur 1.º natura rei quam Martyres testantur; 2.º eorum numerus, conditio et constantia; 3.º motivum quo induci potuerunt ad moriendum pro nomine Christi; 4.º illorum martyrii consectaria.

1.º Si attendatur natura rei quam ipsâ suâ morte attestabantur Martyres. Non enim occubuêre speculativæ cujusdam opinionis defensores, quæ licèt falsa, subtilibus argumentis persuasibilis fieri potest; sed mortui sunt, ut attestarentur facta, de quibus impossibile erat eos decipi. Nimirùm Apostoli et primi discipuli testabantur se vidisse Christum ex mortuis redivivum et in cœlos ascendentem, qui eis jusserat ut illam quam annuntiaverat doctrinam, prædicarent. Huic igitur primæ Martyrum generationi apprimè convenit effatum Pascalii: *Je crois volontiers les histoires dont les témoins se font égorger.*

Generatio subsequens Martyrum, et alia illi proxima, si non in eâdem strictissimè loquendo, saltem in causâ maximè simili testimonium reddebant. Reverà nec viderant nec audierant Christum ; sed quidquid de illo credebant, dicebant se excepisse ab ipsis Apostolis, vel proximis eorum successoribus ; et certè circa hoc factum decipi non poterant. Prætereà, ipsi erant testes oculati aliorum factorum quæ cum evangelicis proximè connectebantur, nempè testimonii plurimorum Martyrum qui Apostolos viderant et audierant, quorum nonnulli, ut Polycarpus, Joannis discipulus, qui obiit anno 169, diutissimè vixerunt ad confirmandas Ecclesiarum traditiones de miraculis et doctrinâ Apostolorum. Itaque verissimè dicitur omnes illos Martyres secundæ, tertiæ et quartæ generationis, mortem obiisse pro testificandis factis, naturâ suâ publicis et conspicuis, de quibus decipi non poterant. Ergo et de ipsis verè dici potest : *Je crois volontiers les histoires dont les témoins se font égorger.*

2.° Si attendatur numerus, conditio, et constantia illorum Martyrum. Innumeri fuerunt, ex jam probatis, et omnis sexûs ac conditionis : multi Philosophi et litterati, iique, ut plurimùm, ortu et educatione Pagani, qui proindè, contra primas quibus imbuti fuerant opiniones, moriebantur pro novâ Religione quam sponte amplexi fuerant, certò scientes se illius professione omni bonorum temporalium spe orbari, atque ipsius vitæ discrimen adire. Omnes illi Martyres mortem et prævia supplicia, sæpiùs morte acerbiora, non alacri tantùm et forti animo patiebantur, sed erant placidi, quieti, et in suos

tortores mansueti. Jam verò omnibus moralis ordinis legibus repugnat, innumeros homines ex omni ætate, conditione et sexu, mortem appetere et alacriter obire, ad attestanda facta falsa, circa quæ decipi non poterant; speciatìm cùm ageretur de Religione quæ in causâ quâlibet, etiam profanâ, mendacium et fraudem tam severè prohibebat.

3.° Motivum quo inducti sunt illi Martyres, manifestè fuit supernaturale. Quodnam enim tantæ constantiæ motivum naturale et humanum excogitari potest? An stolida quædam et insana pertinacia? At inter primos illos Martyres plurimi fuerunt non minùs eruditione et ingenio, quàm morum sanctitate conspicui. Prætereà, quantùm hebetes fingantur homines, non ideò innatum omnibus vitæ amorem exuunt. An fanaticus furor? Sed à fanatico furore certè alieni erant qui tum in scriptis, tum in totius vitæ ratione, tum in ipsâmet morte, inter omnes eculeos, faces et bestias, placidi ac quieti animi signa dedêre, quibus spectatores, judices, carnifices ipsi plurimùm commoveri solebant. An gloriæ cupido? Sed prioribus Ecclesiæ seculis, nihil magìs probro erat et dedecori quàm nomen christianum. Paucos insuper reperire est quos ita moveat gloriæ desiderium, ut pro eâ consequendâ nihil refugiant periculi. Ergo necessariò dicendum est, illos egisse ex supernaturali motivo.

4.° Tandem divina virtus in eis illuxit quæ mortem Martyrum sequebantur. Hæc consectaria sic exponit Tertullianus, Apolog. cap. 50 ad persecutores: *Nec quidquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebræ est*

magis sectæ ; plures efficimur quoties metimur à vobis : semen est sanguis Christianorum.

Ergo ex Martyribus Christianæ Religionis divinitas ejus invictè comprobatur.

Obj. 1.° Nulla est falsa Religio, nulla secta quæ suos Martyres non habuerit ; ergo dubium prorsùs est argumentum ex Martyribus desumptum in gratiam Christianæ Religionis.

Resp. Nego conseq. Nam dispar prorsùs est causa Martyrum Christi. 1.° Martyres falsarum Religionum non moriebantur pro attestandis factis, quorum veritatem aut falsitatem facile erat cognoscere, sed pro opinionibus speculativis quas, licèt falsas, facile est imbuere, et semel imbutas deserere prorsùs difficile, ut quotidianâ constat experientiâ. 2.° Illi Martyres, ratione habitâ Christianorum, paucissimi sunt, qui pro singulis sectis exstiterunt tantùm in aliquâ regione, brevi temporis spatio, atque, ut plurimùm, in unâ hominum classi. 3.° Opiniones semel imbutas obstinatè retinere potuerunt ex pluribus humanis motivis, qualia sunt odium in eos à quibus condemnabantur, *fama* quam sic apud suos comparabant, ipse metus miseriorem vitam agendi, si desisterent. 4.° Tandem sæpiùs fanatico furore acti videbantur. Ex his autem nihil dici potest de Martyribus Christi, ut probatum fuit ; ergo, etc.

Obj. 2.° Ex ipsâ variarum persecutionum historiâ manifestum est Christianos à Paganis occisos non fuisse, nisi quia habebantur ut nefandorum scelerum rei, et hostes Imperatoribus atque imperio infensissimi. Esto illos reverà innocentes fuisse ; nihilominùs indè se-

quitur eos non occubuisse pro Religionis suæ causâ ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. È contrario nihil in historiâ certius est quàm istud, Christianos in variis persecutionibus occisos fuisse propter solam confessionem nominis Christi, etiam ubi ad persecutorum tribunalia adducebantur, tanquam scelestissimi homines, qui et Imperatoribus et Reipublicæ erant inimici. Id demonstrat Tertullianus, in suo Apologetico quem ad Romani imperii Antistites direxit, ubi illos accusat gravioris, quæ unquàm exstiterit, injustitiæ in suis adversùs Christianos judiciis. Inter innumera celeberrimæ hujus Apologeticæ loca quibus probare aggreditur ille auctor damnari et torqueri Christianos ob id solum, quòd *confitentur se esse Christianos*, hæc describere juvat: *Non scelus aliquod*, inquit, *in causâ est, sed* NOMEN,... *de cujus solâ confessione damnamur,... ideò torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes, quia* NOMINIS *prælium est... Quid de Tabellâ judicii recitatis* CHRISTIANUM *? Cur non et homicidam? Si homicida* CHRISTIANUS, *cur non et incestus, vel quodcunque aliud esse non creditis ?* Apologet. cap. 2. Vide etiam varia Imperatorum adversùs Christianos edicta quæ refert *Bullet*, oper. cit. : *L'Etablissement du Christianisme*, etc.

FINIS TOMI I.

INDEX TOMI I.

THEOLOGIÆ PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM. *De Nomine, Naturâ et Divisione Theologiæ.* Pag. 2

CAPUT II. *De Proprietatibus Theologiæ.* 7
Articulus primus. *De Necessitate Theologiæ.* ibid.
Articulus II. *De Theologiæ Certitudine.* 13
Articulus III. *De Unitate Theologiæ.* 18

CAPUT III. *De Locis Theologicis.* 21
Articulus primus. *De Scripturâ sacrâ.* 22
§ I. *De Existentiâ Scripturæ sacræ.* ibid.
§ II. *De Authenticitate Vulgatæ Versionis.* 39
§ III. *De Regulis in interpretandâ Scripturâ sacrâ observandis.* 50
Articulus II. *De Traditione.* 53
Articulus III. *De Auctoritate Ecclesiæ.* 80
Articulus IV. *De Conciliorum Auctoritate.* 83
Articulus V. *De Romano Pontifice.* 85
Articulus VI. *De Auctoritate Sanctorum Patrum.* 87
Articulus VII. *De Auctoritate Theologorum.* 91
Articulus VIII. *De Auctoritate Historiæ.* ibid.
Articulus IX. *De Philosophorum Auctoritate.* 92
Articulus X. *De Rationis humanæ Auctoritate.* 93

APPENDIX ad Locos Theologicos. *De Censuris seu notis theologicis.* 95

TRACTATUS

DE FIDE.

CAPUT PRIMUM. *De Naturâ et Divisione Fidei.* 103
Articulus primus. *De Nomine et Definitione Fidei.* ibid.
Articulus II. *De Divisione Fidei.* 105

CAPUT II. *De Objecto materiali Fidei.* 106
Articulus primus. *Quodnam sit Objectum materiale Fidei.* 107
Articulus II. *Utrùm successu temporis creverit objectum Fidei.* 109

Articulus III. *Utrùm Articuli Fidei nostræ convenienter in Symbolo fuerint descripti.* Pag. 113
CAPUT III. *De Objecto Formali Fidei.* 116
Articulus primus. *Quodnam sit Objectum Formale Fidei.* 117
Articulus II. *Qualis ad Fidem requiratur et sufficiat divina Revelatio.* 121
Articulus III. *Qualis ad fidem Catholicam revelationis publicæ requiratur propositio.* 123
Articulus IV. *De Resolutione Fidei.* 133
CAPUT IV. *De Fidei Proprietatibus.* 135
Articulus primus. *De Fidei Veritate.* 136
Articulus II. *De Obscuritate Fidei.* 139
CAPUT V. *De Subjecto Fidei.* 145

TRACTATUS

DE DEO ET EJUS ATTRIBUTIS.

PARS PRIMA.

De Existentiâ Dei.

CAPUT PRIMUM. *Varia exponuntur Atheorum systemata, et verus quæstionis status aperitur.* 157
CAPUT II. *Refellitur Atheismus, Deique demonstratur Existentia.* 160
CAPUT III. *Speciatìm convellitur Spinosæ Systema.* 178
CAPUT IV. *Varia solvuntur quæsita Existentiam Dei spectantia.* 182

PARS SECUNDA.

De Attributis divinis in genere.

CAPUT PRIMUM. *Quis sit Fons omnium Attributorum Dei.* 187
CAPUT II. *De Distinctione Attributorum Dei.* 191

PARS TERTIA.

De Attributis divinis in specie.

CAPUT PRIMUM. *De Unitate Dei.* 200
CAPUT II. *De Simplicitate Dei,* 207
CAPUT III. *De Infinitate Dei,* 219

CAPUT IV. *De Æternitate Dei.* Pag. 212
CAPUT V. *De Immensitate Dei.* 217
CAPUT VI. *De Libertate Dei.* 227
CAPUT VII. *De Immutabilitate Dei.* 237
CAPUT VIII. *De Visibilitate Dei.* 244
Articulus primus. *De Existentiâ Visionis intuitivæ.* ibid.
Articulus II. *De Tempore Visioni intuitivæ destinato.* 253
CAPUT IX. *De Scientiâ Dei.* 265
Articulus primus. *De Objecto Scientiæ Dei.* 266
§ I. *An Deus cognoscat futura contingentia et libera.* ibid.
§ II. *De Præscientiâ conditionatè futurorum.* 274
Articulus II. *De Medio Scientiæ Dei.* 277
Articulus III. *De Divisione Scientiæ Dei.* 282
CAPUT X. *De Voluntate Dei.* 285
Articulus primus. *De Partitione Voluntatis divinæ.* ibid.
Articulus II. *De Objecto Voluntatis divinæ.* 290
Articulus III. *De Proprietatibus Voluntatis divinæ et perfectionibus ipsi annexis.* 325
CAPUT XI. *De Providentiâ Dei.* 326
Articulus primus. *De Providentiâ Dei in genere.* ibid.
Articulus II. *De Providentiâ Dei in specie.* 330
§ I. *De Prædestinatione.* ibid.
§ II. *De Reprobatione.* 342

TRACTATUS

DE RELIGIONE.

CAPUT PROOEMIALE. *De Necessitate Religionis.* 349
Articulus primus. *De Religionis Necessitate relativè ad Deum, seu de Necessitate Cultûs divini.* 350
Articulus II. *De Necessitate Religionis relativè ad hominem privatum.* 363
Articulus III. *de Necessitate Religionis relativè ad societatem.* 367

PARS PRIMA.

De Religione revelatâ in genere.

CAPUT PRIMUM. *De Possibilitate Revelationis.* 372
CAPUT II. *De Necessitate Revelationis.* 391
CAPUT III. *De Inquisitione Revelationis.* 404
Articulus primus. *Refellitur Indifferentium systema.* ibid.
Articulus II. *Impugnatur Rationalistarum methodus in inquisitione Revelationis.* 419

CAPUT IV. *De Notis seu Characteribus quibus Revelatio hominibus certò innotescere potest.* Pag. 423
Articulus primus. *De Miraculis.* 424
§ I. *Quid sit Miraculum.* 425
§ II. *De Miraculorum Possibilitate.* 427
§ III. *De Possibilitate Certitudinis Miraculi.* 430
§ IV. *De Vi probante Miraculorum.* 437
Articulus II. *De Prophetiis.* 449

PARS SECUNDA.

De Revelatione in specie.

De Primævâ hominum Religione. 458
DISSERTATIO PRIMA. De Religione Judaicâ. 462
CAPUT PRIMUM. *De Auctoritate monumentorum Religionis Judaicæ.* 463
Articulus primus. *De Authenticitate et Integritate Pentateuchi.* ibid.
Articulus II. *De Veracitate Pentateuchi.* 482
§ I. *De Veracitate quatuor posteriorum librorum Pentateuchi.* 483
§ II. *De Veracitate libri Geneseos.* 496
Articulus III. *De Auctoritate cæterorum librorum veteris Testamenti.* 513
CAPUT II. *De Divinitate Religionis Judaicæ.* 518
Articulus primus. *De Notis seu Characteribus externis quibus Religionem Judaicam divinam esse probatur* 519
Articulus II. *De internis Characteribus Divinitatis Religionis Judaicæ.* 525
§ I. *De Formâ Religionis Judaicæ.* 526
§ II. *De Præceptis Religionis Judaicæ.* 529
I. *De Præceptis Moralibus.* ibid.
II. *De Præceptis Ritualibus.* 534
III. *De Præceptis Civilibus seu Politicis.* 536
§ III. *De Sanctione Legis Mosaicæ.* 538
CAPUT III. *De Abrogatione Religionis Judaicæ.* 546
DISSERTATIO II. De Religione Christianâ. 554
CAPUT PRIMUM. *De Auctoritate Librorum novi Testamenti.* 555
Articulus primus. *De Authenticitate Librorum novi Testamenti.* ibid.
Articulus II. *De Integritate Librorum novi Testamenti.* 566
Articulus III. *De Veracitate Librorum novi Testamenti.* 572
CAPUT II. *De Divinitate Religionis Christianæ.* 587

SECTIO PRIMA. *De Divinitate Religionis Christianæ ex Miraculis Christi et Apostolorum.* Pag. 587
Articulus primus. *De Miraculis Christi et Apostolorum generatim.* ibid
Articulus II. *De insigni Miraculo Resurrectionis Christi* 592
SECTIO II. *De Divinitate Christianæ Religionis ex Prophetiis.* 606
Articulus primus. *De Prophetiis in Christo impletis.* ibid.
§ I. *An Prophetarum Oracula, quæ adventûs Messiæ tempora prænuntiant in Christo fuerint adimpleta.* 608
Punctum primum. *De Vaticinio Jacobi.* ibid.
Punctum II. *De Vaticinio Danielis.* 619
Punctum III. *De Vaticiniis Aggæi et Malachiæ.* 632
§ II. *Utrùm Christo conveniant varii characteres quibus Prophetæ passim Messiam designant.* 639
Punctum primum. *De Prophetarum Oraculis Messiæ ortum spectantibus.* 640
Punctum II. *De iisdem vitam Christi spectantibus.* 644
Punctum III. *De iisdem Messiæ mortem spectantibus.* 649
Punctum IV. *De iisdem Messiæ necem subsequentibus.* 655
Articulus II. *De Prophetiis à Christo editis.* 659
SECTIO III. *De aliis tum internis, tum externis Divinitatis Characteribus in Christianâ Religione conspicuis.* 661
Articulus primus. *De Christianæ Religionis Excellentiâ.* ibid.
Articulus II. *De Propagatione Christianæ Religionis.* 666
Articulus III. *De Martyribus.* 672

FINIS INDICIS TOMI I.

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

6 vols
in 2



